ld simpliciter usum P. Fr. Nicolai Livini a Valent.º M.O. 1842.

SACRAE
THEOLOGIAE SPECULATIVAE
INSTITUTIONES

A BLASIO PANZUTI
CONGREGATIONIS SANCTISSIMI REDEMPTORIS

CLERICIS JUVENIBUS
EIUSDEM PRAESERTIM CONGREGATIONIS PROPOSITAE

VOLUMEN V.

COMPLECTENS TRACTATUS DE INCARNATIONE
VERBI DIVINI.

Accedit Appendix super cultu, et invocatione Sanctorum, nec non cultu Sanctae Crucis, Sacrarum Reliquiarum, Sacrarumque Imaginum.

NEAPOLI,
EX TYPIS RAPHAELIS MIRANDA
MDCCCXXXI.

Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Oseae c. 4. v. 6.

Esto, o Doctor, quasi Beseleel (Exodi 36. *), et pretiosas Divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adiice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur, te exponente, illustrius, quod antea obscurius credebatur. . . . . Eadem tamen, quae didicisti, doce, ut quum dicis nove, non dicas nova.* Vincentius Lyrinensis in Commonitorio.

CONSPECTUS

Huius quinti voluminis.

LIBER V.

De Incarnatione Verbi Divini.

TRACTATUS I.

De integro huic Libro praeambulis.

TRACTATUS II.

De veritate Incarnationis adversus Judaeos.

TRACTATUS III.

De Incarnationis Mysterio adversus Haereticos.

APPENDIX.

LIBER V.

De Incarnatione Verbi Divini.

Mysterium illud altissimum, sacratissimumque, per quod eruti a Deo sumus e potestate tenebrarum, et translati in admirabile lumen suum, et Regnum, pertractandum in hoc libro suscipimus. Fuit istud, ut nemo fidelium nescit, Verbi Divini Incarnatio, quam totum vetus Testamentum modo praeformaverat symbolis, modo pinxerat figuris, modo conceptis verbis promiserat. Hinc Judaeorum pervicaciam Christus redarguens Jo. 5., *scrutamini* (ad eos ait) *Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere, et illae sunt, quae testimonium perhibent de me.* Et paullo infra: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, de me enim ille scripsit.* Hinc etiam, ut D. Lucas refert c. 24, quum post suam Resurrectionem discipulis in Emmaus euntibus sub peregrini specie se junxit, *incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant.* Quod et, morte devicta, cum Apostolis egisse, ut eorum animos ob Crucis exitium tristitia dejectos levaret, et consolaretur, auctor est loco cit. idem D. Lucas; illis enim praesto factus, *haec sunt verba* (ait), *quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, etc.* Hinc etiam Apostoli tum praedicationis munus obeuntes, tum epistolis fideles erudientes, passim de Christo interpretabantur veteris Testamenti libros, modo ajentes: *Hoc totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam* (*Matth.* 1.); modo: *Tunc adimpletum est, quod dictum est per Prophetam* (*Matth.* 2.); modo: *Deus autem, quae praenuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, sic implevit; et omnes Prophetae a Samuel, et deinceps qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos* (*Act.* 3.); ac demum Apostolus ad Rom. c. 10. universim inquit: *Finis legis Christus.* Ut autem recta incedamus methodo, sit

TRACTATUS I.

De integro huic libro praeambulis.

CAP. I.

De notione Mysterii Incarnationis.

Incarnationis nomine non obscure donatum ab ipso D. Joanne in exordio sui Evangelii hoc salutis Mysterium fuit illis vocibus: *Et Verbum caro factum est*; ubi carnem tantum pro humanitate integra commemoravit vel per figuram *synecdochen*, vi cujus, ut advertit D. Aug. l. 14. De Civ. Dei c. 2., non raro in Scripturis per carnem tota intelligitur humanitas, ut cum dicitur Gen. 6. *Omnis caro corruperat viam suam*; et Ps. 68. *Ad te omnis caro veniet*; et Luc. 3. *Videbit omnis caro salutare Dei*: vel ad magis commendandam Filii Dei humilitatem, ac dilectionem, commemorans, ut ait D. Aug., *quid Deus dignatus sit esse pro nobis*. Hinc appellatum quoque fuit istud Mysterium ab Isaia c. 10. *Abbreviatio* illis verbis: *Abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio terrae*; et ab Apostolo ad Philipp. c. 2. *exinanitio*, siquidem ait, quod *cum in forma Dei esset . . . exinanivit semetipsum formam servi accipiens.*

Ejus tamen praecisa definitio est: *Unio personalis Naturae Divinae, et humanae in unica Persona Verbi Divini, ex qua unus Christus*. Singulas definitionis partes expendamus.

Unio; idest distinctorum conjunctio. *Personalis*, non localis nempe, quam mera utriusque naturae in eodem loco praesentia constituat, nec moralis, vel metaphorica, in singularibus gratiae donis naturae humanae concessis consistens, nec in adoptione, aut praedestinatione posita; sed vera, realis, et physica, ac eo fere modo, ut explicat Symbolum Athanasianum, quo in homine anima unitur corpori vera, ac physica unione.

Naturae Divinae, et humanae; de fide enim est, duplicem in Christo esse Naturam, Divinam, et humanam, ac utramque perfectam, quin scilicet vel Divinae, vel humanae aliquid desit, vel facta fuerit unius

in alteram conversio, vel aliqua earum confusio, aut permixtio.

In unica Persona Verbi Divini; non enim, prout duplex est in Christo Natura, Divina, et humana, ita et duplex est in eo Persona, Divina, et humana, vel una ex duabus illis Naturis coalescens, ac utrique Naturae communis, prout in homine ejus personalitas communis est animae, et corpori; sed unica in eo est Persona, eaque solius Verbi Divini: est enim de ratione personae, ut non sit pars proprie dicta, quae scilicet naturalem habitudinem ad aliam dicat, et ex unione cum ea aliquatenus perficiatur; quia enim pars est semper toto imperfectior, improprie dicitur pars, quae nullatenus ab alia perficitur. Utroque autem modo tam corpus, quam anima in homine est pars proprie dicta; 1.° scilicet modo, quia tam corpus ad animam, quam anima ad corpus naturalem dicit habitudinem, quippe quod seorsum facultatum sibi naturalium exercitio, et functionibus privantur: etiamque altero, quia mutua inter se unione sese mutuo perficiunt, ac una est alterius complementum, propter quod vocantur etiam naturae incompletae. Neutro tamen modo Divina Verbi Natura in Christo est pars proprie dicta; non 1.° quia in eo tum Natura Divina, tum Natura humana independenter ab unione habent quidquid naturaliter sibi competit, ideoque ad mutuam unionem nullam ex se habitudinem dicunt: non altero, quia Divina quidem Verbi Natura humanitatem sua unione perficit, ac perfectionum additamento ulterius complet; ipsa vero, utpote infinita, et perfectissima, nec ab ea perficitur, vel completur, nec perfici, vel compleri potest: In homine igitur neque corpus quidem, neque anima est persona, sed ex utriusque unione haec coalescit, at in Christo humana quidem Natura nullatenus personae rationem habet, Divina tamen Verbi Natura ipsius Verbi Personae rationem servat; ex quo sequitur, quod in eo nec duplex Persona est, Divina, et humana, nec una ex duabus Naturis coalescens, ac utrique Naturae communis, sed unica in eo est Persona, eaque solius Verbi Divini.

Ex qua unus Christus; est enim Christus ipsa Verbi Divini Persona, quae ob nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, humanam Naturam, ut nos salvos faceret, assumpsit; duplici idcirco Natura constans, Di-

*

vina, et humana, personaliter unitis in unica Persona ipsius Verbi.

Quae cum sint totidem fidei nostrae articuli, operae pretium est, verbis Concilii Chalcedonensis ea magis statuere: *Sequentes igitur Sanctos Patres, unum, eumdemque confiteri Filium, et Dominum nostrum Jesum Christum, consonanter omnes docemus, eumdem perfectum in Deitate, et eumdem perfectum in humanitate, Deum verum, et hominem verum, eumdem ex anima rationali, et corpore, consubstantialem Patri secundum Deitatem, consubstantialem nobis eumdem secundum humanitatem: ante saecula quidem de Patre genitum secundum Deitatem, in novissimis autem diebus eumdem propter nos, et propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei Genitrice secundum humanitatem, unum, eumdemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum in duabus Naturis, inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum . . . non in duas personas partitum, et divisum, sed unum, eumdemque Filium Unigenitum Deum Verbum, Dominum Jesum Christum* (*act.* 5.).

Errarunt proinde contra istud Mysterium quotquot aliquid ex modo dictis inficiati sunt; ut prae aliis Marcion, qui solidae carnis veritatem abstulit; Apollinaris, qui animam, et mentem; Arius, qui Divinitatem; Nestorius, qui unitatem Personae; Eutyches, qui Naturarum distinctionem; Monothelitae, qui duplicem voluntatem, et duplicem operationem, Divinam nempe, et humanam negavere: et quotquot alii, de quibus suo loco, qui Christum vel phantasticum, vel purum hominem dixerunt, vel humanis infirmitatibus liberum, vel Divinitatem in eo passam fuisse, affirmarunt. Quare, ut cum omnibus praefatarum haeresum monstris veterum saeculorum Patres se conflixere, ita cum iisdem congrediendum nobis in hoc libro est. Quia tamen in qualibet disputatione primum omnium statuatur, necesse est, rei, de qua agitur, veritas, et extantia; sit ideo

CAP. II.

De possibilitate Incarnationis ; ejusque notitia per revelationem habita ante Christi adventum.

Cum rei possibilitas ipsius rei existentiam ordine praecedat, ipse quoque ordo postulat, ut Incarnationis veritatem, atque extantiam demonstraturi, ejusdem prius possibilitatem demonstremus; idque magis, quia ipsam Incarnationis possibilitatem Sociniani omnium haereticorum pessimi aggredi ausi sunt. Cujusvis autem rei possibilitas vel positive, vel negative demonstrari potest. Positive scilicet, cum ex principiis evidenter cognitis, cumque ipsa re intrinsece connexis rite, et evidenter deducitur, eam non repugnare. Diximus *ex principiis evidenter cognitis*, cum enim principia non sunt evidentia, probatio quidem, non tamen demonstratio habetur. Nec non *cum ipsa re intrinsece connexis*, cum enim principia non sunt intrinsece connexa cum re demonstranda, ejus quidem credibilitatis, non tamen veritatis evidentia haberi potest; seu, quod idem est, credenda quidem proponetur, non tamen perspicietur illius rei possibilitas, quomodo scilicet ideae partiales, ex quibus illius rei idea exurgit, inter se cohaereant. Nec non demum *rite, et evidenter deducitur*, cum enim deductio vel non est rite facta, idest juxta regulas Logicae, vel non est evidens, in primo casu nec demonstratum, nec probatum aliquid erit, in altero casu probatum dumtaxat erit, quod susceptum fuerat demonstrandum. En igitur quae ad positive demonstrandam alicujus rei possibilitatem requiruntur. Quae negative demonstrabitur, cum demonstratur tantum vel ex principiis extrinsecis, vel solvendo solum argumenta, quibus Adversarii conantur ejus impossibilitatem adstruere. Quibus praemissis, dicimus cum communi sententia, possibilitatem Mysterii Incarnationis positive quidem, nec etiam postquam illud revelatum nobis fuit, sola ratione duce demonstrari posse; utique tamen negative. Quibusnam vero ante Christi adventum per revelationem innotuerit, subsequentibus deinde propositionibus declarabimus. Sit ergo

Prop. I. Sola ratione duce nequit possibilitas Mysterii Incarnationis etiam post illius revelationem posi-

tive demonstrari. Utique tamen negative. Ita communiter.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex Apostolo 1. ad Cor. c. 2., ubi Incarnationis Mysterium appellat *Dei Sapientiam in Mysterio*, *quae abscondita est*. Et ad Eph. c. 3. *Sacramentum absconditum a saeculis*, *et generationibus*. Quidnam porro per sapientiam absconditam, et Sacramentum absconditum, nisi Mysterium ita mentis nostrae aciem supergrediens, ut nonnisi per Dei revelationem possit innotescere?

2.° ex D. Aug. ep. ad Volusianum c. 2., nbi de eodem Mysterio verba faciens, illud nec ratione, nec exemplis undecumque petitis metiendum esse, declarat, propterea quod singulare est, et investigabile, nec de eo alia reddi potest ratio, nisi sola Dei Omnipotentia: *Hic si ratio quaeritur* (ita S. D.), *non erit mirabile*; *si exemplum poscitur*, *non erit singulare. Demus*, *Deum aliquid posse*, *quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.*

3.° ex eo quod si demonstrari positive posset, id vel a priori, vel a posteriori fieret. Nequit autem demonstrari a priori; id namque fieret vel ex voluntate, Dei, vel ex ejus omnipotentia, utpote Incarnationis causa, vel ex ipsius Incarnationis Natura. Locum autem non habet 1.m, quia voluntas Dei quoad omnia opera ad extra, ad quae Incarnatio pertinet, libera est. Eo ipso autem, quod aliquis libere agat, quidnam sit acturus, nemo potest ex ejus voluntate conjicere. Non alterum, quia Dei Omnipotentia, ut ostendimus t. 2. tract. 6. pag. 127., rei possibilitatem supponit, non efficit. Non postremum, quia Incarnationis Natura nullum principium praebet, e quo ejus possibilitas ostendi possit; immo cum proponat credendum, tam arctam in Incarnatione factam fuisse Naturae Divinae, et Naturae humanae unionem in unica Verbi Divini Persona, ut vere, et proprie dici possit *Deus homo*, et *homo-Deus*, adeo id rationem sibi relictam offendit, ut quemadmodum Ap. ait 1. ad Cor. c. 1., fuerit *Iudaeis scandalum*, *Gentibus autem stultitia*: Non igitur demonstrari positive potest a priori. Sed neque etiam a posteriori: id namque faciendum esset ex Christi miraculis: quae tamen demonstrabant quidem, ipsum esse a Deo missum, ejusque Filium ve-

re, et natura, pro nobis hominem factum, at non ex se, sed dependenter ab ipsius Christi testimonio, qui talem se enunciabat, ac revera talem esse, mirabilibus illis operibus contestabatur: Superest ergo, quod nec a priori, nec a posteriori ejus possibilitas positive demonstrari potest.

Prob. 2 pars; 1.8 enim quod impletum quondam fuit, profecto dicendum possibile. Verbum autem carnem quondam suscepisse, auctor est D. Joannes in exordio sui Evangelii, inquiens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil .... Et Verbum caro factum est*; verum scilicet, et summum Deum, qui Coelum, et Terram creavit, cunctaque tempora transcendit, adveniente temporum plenitudine, naturam assumpsisse humanam: Patet ergo propositum. Sed et consulantur quae diximus *L.* 3. *tract.* 1. *cap.* 5., ubi relata D. Joannis verba, tametsi apertissima, a Socinianorum cavillationibus vindicavimus. Quibus accedunt Apostoli verba ad Philippenses, *c.* 2., quod Christus Jesus, *cum in forma Dei esset . . . . . . semetipsum exinanivit formam servi accipiens*, *etc*. Quae idem valent, ac Filium Dei Naturam Divinam habentem dignatum fuisse Naturam creatam, ideoque subjectam, suscipere. Quod et confirmant magis magisque tum ea, quibus *L.* 3. *loco cit.* ostendimus, Christum verum, ac summum esse Deum; tum Prophetarum vaticinia, de quibus fuso calamo adversus Judaeos disputaturi sumus; tum denique demonstratio a nobis allata veritatis Religionis Christianae *L.* 1: *tract.* 1. *cap.* 1.

Sed accedit et ratio; quidquid enim contradictionem non implicat, idipsum est, quod possibile dicitur. Ejusmodi autem esse Incarnationis Mysterium, patet nedum ex solutione objectionum, quibus illud Sociniani impetunt, verum etiam ex similitudine nobis intima animae rationalis, quae tametsi naturae plane diversae a corpore, cum eo tamen unum suppositum, seu hominem constituit. Porro, ut disserit D. Aug. *ep. ad Volusianum loco cit.*, longe difficilius est concipere unionem naturae spiritualis cum corporea, quam unionem duarum Naturarum spiritualium: utque subdit in eadem ad Volusianum epistola, in Verbi Incarnatione Divinitas *animam rationa-*

lem, *et per eamdem etiam corpus humanum*, *totumque omnino hominem sibi coaptavit*. Et ep. 140., alias 120. c. 4. : *Verbum particeps carnis effectum est anima rationali mediante*. Ac ita quoque D. Greg. Nazianz. or. 1., ubi : *Ob hanc causam Deus animae interventu carni junctus est*, *ac res inter se distinctas*, *et dissidentes per interpositae rei cum utraque illarum affinitatem*, *et cognationem habentis copulatae sunt*. Et or. 35. *Per intermediam mentem Verbum cum carne conjunctum est*. Quo etiam modo loquitur D. Th. 3. *p. qu*. 6. *art*. 1. *et* 2., ac post eum omnes ; non quidem sensu, quod sola Christi anima proxime unita fuerit Verbo Divino, corpus vero nonnisi remote, et quatenus animae cum Verbo unitae conjunctum est, tam anima enim, quam corpus proxime, et immediate a Verbo fuere assumpta : sed eo sensu, quod corpus non potuerit sub alio respectu conjungi Verbo, quam propter suam habitudinem ad animam rationalem. Sed fusius hac de re suo loco

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Petuntur hae ex parte tum Verbi Divini, tum Naturae humanae, tum unionis utriusque. Et quidem

Ex parte Verbi Divini.

Objic. 1.° Deum ex non homine fieri hominem vera profecto est mutatio. Posito autem Incarnationis Mysterio, Verbum Divinum ex non homine factum esset homo : Veram ergo subisset mutationem ; quod absurdum dictu.

R. dist. maj ; quod nempe Deum ex non homine fieri hominem, vera fuisset mutatio, si homo factus esset sive per conversionem, unius scilicet naturae in alteram ; sive per confusionem, non remanente scilicet distinctione essentiarum, et proprietatum utriusque naturae ; sive per receptionem, in se scilicet recipiendo humanam naturam, tamquam in subjecto ; sive demum per acquisitionem, vel amissionem, aliquam scilicet perfectionem acquirendo, vel amittendo : non vero cum homo factus sit citra omnem sive conversionem, sive confusionem, sive receptionem, sive demum acquisitionem, vel amissionem aliquam. Hoc autem posteriori modo fides credendum proponit, quod homo factus sit, ut declaravit Concilium

Chalcedonense in definitione fidei cap. ant. allata: quo posito, nihil credendum proponit circa Incarnationem, quod cum Dei immutabilitate pugnet, si enim, ut loquitur Symbolum Athanasianum, *unus est Christus*, *non conversione divinitatis in carnem*, *nec confusione substantiae*, en naturarum distinctio absque ulla vel conversione, vel confusione: si Verbum homo factum et *perfectus Deus* est, et *perfectus homo*, itemque *aequalis Patri secundum Divinitatem*, profecto, tamquam perfectus homo, ejus Natura humana nec modus, nec forma est in Verbo recepta, velut in subjecto, sed est substantia omnino completa in ratione naturae. Cumque item perfectus Deus, et aequalis Patri secundum Divinitatem, nullam profecto Verbum Divinum homo factum vel acquisivit, vel amisit perfectionem, sed se immutatum, et immutabilem mutabili naturae communicavit; mutatur namque in aliud, quod fit aliud per sui conversionem, non verò quod fit aliud per sui communicationem.

Objic. 2.° Denominatio intrinseca intrinsecam quoque fert subjecti eam acquirentis mutationem, ubi enim denominatio extrinseca petitur ab extrinseco, ut Creatoris, Domini, etc., denominatio profecto intrinseca petenda est a forma intrinsece in subjecto recepta. Per Mysterium autem Incarnationis dicitur Verbum Divinum substantialiter, et intrinsece homo factum: Dicitur ergo homo factum per receptionem in se humanitatis, ideoque per veram mutationem.

R. dist. min.; quod nempe per Mysterium Incarnationis dicitur Verbum Divinum substantialiter, et intrinsece homo factum hoc sensu, quod illa Verbi cum humanitate unio non fuerit accidentalis, vel moralis, aut metaphorica in singularibus gratiae donis illi concessis posita, sed vere substantiva, qua substantiae ipsae in unam Verbi Personam coivere, ita ut idem Verbum, dum in Natura Divina per *identitatem*, in humana per *unionem* subsistat; non vero sensu, quod humanitas recepta in Verbo fuerit, tamquam in subjecto; non enim natura humana est quoddam accidens, sed tam anima, quam corpus, ex quibus coalescit, sunt ambo substantiae; recipi autem aliquid in alio, tamquam in subjecto, proprium est accidentium, non substantiarum.

Objic. 3.° Quemadmodum si diceretur Caesar factus

subulcus, hoc ipso significaretur, eum desiisse esse Caesarem, ita quum dicitur Verbum esse hominem factum, significatur aeque, illud desiisse esse Deum. Quidnam autem ejus immutabilitati magis adversum? Mutatum igitur.

R. neg. mai., et paritatem; status namque subulci cum Caesaris statu est incompatibilis; nullatenus vero Verbi Divinitas cum assumptione humanitatis, *salva* (ut ait D. Leo M. ep. 24. alias 10. c. 3.) *proprietate utriusque naturae, et in unam coeunte personam.*

Objic. 4.º Ex unione saltem tam intima Naturae Divinae, et humanae in una Verbi Persona consequens profecto esset, quod ad motum humanitatis assumptae localiter quoque moveretur Verbum Divinum. Id autem et ejus immutabilitati, et ejus immensitati adversum: Et Incarnatio igitur utrique adversatur.

R. neg. sequ. maj.; cum enim in Incarnatione impermixtae prorsus, et inconfusae utriusque naturae proprietates remanserint, Verbum proinde ob suam immensitatem ubique est, non item Natura humana, quae finita est, et circumscripta: quare ad ejus motum non movetur, nec moveri potest localiter Verbum Divinum, sed tantum est illi intime praesens, et hypostatice unitum. Sed fusius hac de re suo loco.

Objic. 5.º Cum Natura Divina a Personis non dicatur distingui, sed sint unum, idemque, quomodonam Verbi Divini Persona incarnari poterat, absque eo quod incarnaretur Pater, et Spiritus Sanctus, et absque eo quod Verbi Divini Natura dicatur simul idem, et non idem cum Patre, et Spiritu Sancto? Dicitur autem, quod in Incarnatione solum Verbum Divinum carnem assumpsit: Incarnationis ergo Mysterium idem, et non idem, ideoque contradictionem implicat.

R. neg. sequ. maj.; non enim juxta fidem dicitur, quod in Incarnatione unio facta fuerit in Natura Divina, in qua tres Personae sunt quid unum, sed dicitur facta in Persona Verbi, qua parte sunt distinctae, et sibi mutuo opponuntur. Ut autem diximus *l.* 2. *tract.* 3., licet Natura Divina realiter a Personis non distinguatur, ab iis tamen quoad conceptum distinguitur, nec sine magna absurditate cum iis quoad illum confunderetur, nam et diversas habent notiones, et definitiones, et dum Natura est una, Personae sunt tres, et dum Natura est communicabilis, Personae sunt incommunicabiles: quae distin-

ctio satis est, quemadmodum citato loco declaravimus; ut Persona Verbi incarnaretur, quin simul carnem assumeret Pater, et Spiritus Sanctus.

Objic. 6.° Quia unio realis nequit primario fieri, nisi inter rem, et rem, non autem inter rem, et modum, unio realis proinde, quae dicitur facta in Verbi Incarnatione inter Divinam, humanamque Naturam, fieri non potuit primario, nisi inter utramque, non autem inter humanam naturam, et personalitatem Verbi Divini, quidnam enim personalitas, nisi quidam existendi modus? Quod cum ita sit, incarnari non potuit Verbum Divinum, quin simul carnem assumeret Pater, et Spiritus Sanctus: Vel igitur falsum, Verbum esse carnem factum, vel simul cum Verbo carnem quoque assumpsisse Patrem, ex Spiritum Sanctum, dicendum est.

R. dist. maj.; quod nempe si agatur de rei modo, qui sit merum accidens, utique unio non est realis, si primario fiat cum modo ejus generis; non autem si agatur de rei modo, qui sit perfectio quaedam necessaria, eaque Dei perfectio, cujus perfectiones sunt ipse Deus, quemadmodum *l. 2. tract.* 3. ostendimus; ac rursus de personalitatibus Divinis *l. 3. tract. 2. c. 5. prop.* 2.

Objic. 7.° Est proprium personae, quod nequeat alteri communicari, secus namque esset simul, et non esset ultimo completa; scilicet ultimo completa, quia personalitas est ultimum naturae complementum; ac simul non ultimo completa, quia ab eo, cui communicaretur, aliud complementum reciperet. Est autem Verbum Divinum Persona: Humanae igitur naturae communicari non poterat.

R. dist. maj.; quod nempe est proprium personae alteri communicari non posse, tamquam supposito, non vero, tamquam naturae. Porro dum Verbum Divinum carnem assumpsit, humanitati se communicavit, non tamquam supposito, nullum enim in Christo humanum suppositum, vel suppositum ex duabus Naturis coalescens, ut cap. ant. declaravimus; sed solum, tamquam Naturae, quia enim infinitum, et perfectissimum, nullum ab ea complementum hausit. Ex quo etiam ad id, quod additum est, patet responsio.

Objic. 8.° Incarnationis dogma credendum proponit, esse quidem in Christo naturam humanam integram, atque perfectam, ac simul nullam esse in eo hominis personam;

Id autem secum ipso pugnat; 1.° quia ille vere dicendus est persona humana, cui exacte convenit hominis definitio. Haec autem exacte convenit naturae humanae Christi, est enim ex anima rationali, et humana carne subsistens. 2.° quia ejus natura humana dicitur propria operari. Operationes autem sunt suppositorum. 3.° quia ad constituendum hominem, qui sit vera, ac realis persona, quidnam necesse amplius est, quam anima rationalis humano corpori unita? Ejusmodi autem est Christus, qua homo. Quibus positis, en Incarnationis dogma secum ipso pugnans.

R. neg. min.; quoad 1.m enim, est quidem vere persona humana, cui hominis definitio exacte convenit tum quoad naturam, tum quoad personam spectati, non vero cui hominis definitio exacte convenit quoad naturam tantum. Humanae autem Christi naturae exacte convenit hominis definitio quoad naturam tantum, non vero item quoad personam; est enim de ratione personae, quod sit ultimo completa; idque deest naturae, dum alteri substantiae unione perfectiva uniatur. Quomodo igitur natura humana Christi dicenda est persona, cum uniatur Verbo, et ex hac unione mirabiliter perficiatur? Sublata quidem ejusmodi unione, ex anima, et corpore Christi coalesceret persona humana: at, ea stante, eadem Christi humanitas, tametsi nec ulla perfectione, nec ulla sui parte, careat, humana tamen personalitate destituitur, sed in ratione personae ab ipsa Verbi infinita personalitate completur.

Quoad 2.m, humana Christi Natura operatur quidem propria, sed ut natura, non ut persona; quia ipsa quidem actus elicit, sed cum Verbum ipsam fecerit suam, ac arcto nexu copulaverit, eam mirabiliter perficiendo, quin ab ea perficeretur, vel perfici possit, omnes proinde ejus actus Verbo, ut personae, cui unitur, tribuendi sunt.

Quoad 3.m, ad constituendum quidem hominem, qui sit vera, ac realis persona, nihil amplius necesse est, quam anima rationalis humano corpori unita, dummodo alteri substantiae unione perfectiva non uniatur, prout est naturaliter; non autem posito, quod Persona Divina, prout fuit in Incarnatione, illam sibi hypostatice copulaverit.

Objic. 9.° Idem dictu est, quod una, eademque

Persona sit Deus, et homo, quodque sit Deus, et non Deus. Id autem contradictionem implicat: Ergo et Incarnationis dogma id docens.

R. dist. min.; quod nempe esset contradictorium, si una, eademque Persona non haberet simul Divinam, humanamque naturam; non vero cum utramque habeat, desinit namque, hoc posito, omnis contradictio, idest affirmatio, et negatio simultanea unius de eodem, et sub eodem respectu.

Objectiones ex parte Naturae humanae assumptae.

Objic. 1.° Posito Incarnationis Mysterio, haberet Natura humana assumpta personalitatem infinitam. Cum autem Natura finita incapax sit cujusvis perfectionis infinitae, aeque incapax dicenda est personalitatis infinitae: Figmentum ergo Incarnationis Mysterium.

R. neg. sequ. min.; est enim Natura finita cujusvis infinitae perfectionis incapax, quia ejus esset subjectum: at non item personalitatis infinitae, ad cujus participationem sufficit, quin ejus fiat subjectum, quod illi perfectiva unione uniatur.

Objic. 2.° Nedum, posito Incarnationis Mysterio, dicitur Natura humana assumpta infinitae personalitatis particeps; sed et caeterarum Verbi perfectionum. Absurdum istud: Ergo et Incarnationis Mysterium.

R. quod nempe dicitur Verbi perfectionum particeps ratione unius, ejusdemque Personae, utque ajunt, *in concreto*; non vero ratione sui ipsius, utque ajunt, *in abstracto*: cum enim utriusque Naturae proprietates impermixtae, et inconfusae permanserint, falso praedicarentur de se mutuo, quod nempe Divinitas sit humanitas, et vicissim, immortalitas sit mortalitas, et vicissim; licet ratione Personae Verbi, quae unica in Christo est, recte dicatur: Deus est homo, homo est Deus: Deus est mortalis, homo est immortalis, ut fuse declarabimus, ubi de communicatione idiomatum.

Objic. 3.° Subsistentia humana non distinguitur a Natura humana, quae integra, et perfecta sit. Dicitur autem, quod in Christo integra, et perfecta est Natura humana, ac simul absque subsistentia: Incarnationis ergo Mysterium pugnantia complectitur.

R. dist. maj.; quod nempe subsistentia humana non distinguitur a Natura humana, quae integra, et perfecta sit, tamquam res a re; at utique ab ea distinguitur,

tamquam modus rei a re ipsa. Porro res ; etsi integra ; et perfecta, utique esse potest absque certo modo, ut digitus absque inflexione, etc. ; idque maxime si ejusmodi modus perfectiori, ac nobiliori modo suppleatur. Caeterum prop. major prorsus quoque negari potest, supposito, prout in Incarnatione, quod Natura humana, licet integra, et perfecta, alteri tamen perfectiva unione uniatur.

Objic. 4.° Si nequit Natura humana existere aliena existentia, neque etiam subsistere poterit aliena subsistentia. Nequit autem aliena existentia existere: Neque igitur aliena, idest Verbi, subsistentia subsistere.

R. neg. sequ. maj. ; nequit enim aliquid aliena existentia existere, quia eum existentia sit ipsa essentiae actualitas, quemadmodum proinde essentia, ita et existentia nequit, nisi quid proprium esse. Subsistentia autem cum sit quidam existendi modus, nec nisi ultimum rei complementum, hinc quemadmodum non obstat, ut aliquid cum alio uniatur, ac ex ejusmodi unione complementum perfectionum hauriat, ita nec obstat, ut, dum existit propria existentia, aliena tamen subsistentia subsistat.

Objectiones ex parte unionis utriusque Naturae.

Objic. 1.° Incarnationis dogma docet, quod extrema nullam proportionem inter se habentia, et infinite a se dissita in unam personam cojerint. Istud autem absurdum: Ergo et Incarnationis dogma.

R. dist. maj. : Naturam scilicet Divinam, et humanam nullam inter se habere proportionem entitatis; utique tamen proportionem habitudinis, vim scilicet in Natura Divina Verbi sibi uniendi Naturam humanam, et in Natura humana potentiam obedientialem, qua potuerit a Verbo Divino assumi.

Objic 2.° Magis distat Natura Divina ab humana, quam distet accidens a substantia. Nequit autem accidens cum substantia uniri ad efficiendum aliquod totum substantiale: Neque igitur Natura Divina cum humana ad aliquod totum efficiendum.

R. neg. cons. ; nulla enim, ne quidem inchoata, et habitudinis proportio est inter accidens, et substantiam, ut ex unione accidentis cum substantia exurgat totum substantiale ; utique tamen, ut diximus, adest ejusmodi proportio habitudinis Naturam Divinam inter, et humanam. Accedit, argumentum tantum probare, quod ex unione Naturae Divinae cum humana nequit aliquod exur-

gere, quod sit totum Divinum, vel humanum, quemadmodum ex unione accidentis cum substantia nequit aliquod exurgere, quod sit totum substantiale; non vero, quod ex unione Naturae Divinae cum humana nequeat aliquod exurgere habens Naturam Divinam, et Naturam humanam.

Objic. 3.ª Si Incarnatio Verbi Divini dedisset quoddam totum ex Natura Divina, et Natura humana constans, quaevis ex illis naturis esset pars Christi ex Divina, et humana Natura constituti. Est autem de ratione totius, quod majus sit singulis suis partibus: Dedisset igitur Incarnatio Verbi Divini quoddam totum Deo ipso majus: quo quid absurdius?

R. dist. maj.; quod nempe Verbi Divini Incarnatio dedit quoddam totum ex Natura Divina, et humana constans, ita tamen, ut perfectionum totalitas integra se teneat ex parte Verbi Divini, non vero ita, ut Christus duplici illa Natura constans concipiatur quid melius, ac perfectius sola Verbi Dei Persona. Hinc etiam est, quod nec Divina Christi Natura, immo nec etiam Natura humana assumpta habent in eo partis proprie dictae rationem; proprie enim dicuntur partes alicujus totius, quae se mutuo perficiunt. Quod si pars perficiat tantum, sed non perficiatur, vel perficiatur tantum, sed non perficiat, improprie dicetur pars, sed erit tantum pars numerica, seu materialis, quia ab aliis partibus improprie dictis distinguitur, cumque iis numerum constituit.

Prop. II. Angelis Sanctis a principio saltem suae beatitudinis utique per revelationem Incarnationis Mysterium innotuit. Ita verisimilius cum D. Th. 1. *p. qu.* 57. *art.* 7. *ad* 1.m, et *qu.* 64. *art.* 1. *ad* 4., etiamque alibi. Idem tamen plenius, postquam peractum fuit. Tam iis vero, quam malis, cum adhuc in via essent, revelatum fuisse, absque fundamento diceretur: hisque, idest malis, ex Divina dispositione, nonnisi postquam impletum, ac perfectum fuit, certo innotuisse, communis sententia est.

Prob. 1. pars 1.ª ex variis Scripturae textibus, ex quibus constat, Beatos Angelos modo Ministros fuisse, et Interpretes Divinarum de Incarnatione vaticinationum, ut ex c. 9. Danielis; modo Deum per eos dedisse legem veterem ipsius Mysterii figurativam, ut ex c. 7. Actuum v. 38., ex c. 3. ad Gal. v. 19., et ex c. 2. ad Heb. v. 2.. Quaecumque autem praedicebant Prophetae, intelli-

gebant etiam, ut communiter docent Patres, ex quibus D. Epiphanius *haer.* 48. *n.* 3., D. Chrysostomus *in Ps.* 44. *n.* 1., D. Augustinus *l.* 12. *De Gen. ad litt. c.* 9., et *contra Adimantum c.* 38., D. Thomas 2. 2. *qu.* 173. *art.* 2. *in corp.*, aliique: Ergo, immo a fortiori et Angeli, per quos illis futurorum cognitio communicabatur. 2.° ex ep. ad heb. c. 1., ubi de Deo Patre ait Apostolus: *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Quomodo autem illum adorassent, nisi cognovissent? 3.° ex acclamationibus, quibus ejus Nativitatem concelebrarunt; ut enim legitur Lucae 2., cum illum Pastoribus nuntiassent, *subito facta est cum Angelo multitudo militiae coelestis laudantium Deum, et dicentium: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Deinde vero modo legitur, quod *Angeli accesserunt, et ministrabant ei* (Matth. 4.); modo, quod *descendit Angelus de Coelo confortans eum* (Luc. 22.); modo demum, quod postquam surrexit a mortuis, Angelus mulieribus apparuit, ejus Resurrectionem illis nuntians. Quae omnia, beatis Angelis Verbum carnem factum innotuisse, manifeste ostendunt. Id vero iis ab ipso eorum beatitudinis initio innotuisse, verisimilius videtur, cum nulla subrepat ratio, cur illis postea revelatum fuisse, dicendum sit.

Prob. 2. pars ex c. 3. ad Eph., ubi de se ait Apostolus: *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia haec, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio Sacramenti absconditi a saeculis in Deo, ut innotescat Principatibus, et Potestatibus in Coelestibus per Ecclesiam multiformis Sapientia Dei.* Nomine autem Principatuum, et Potestatum, non Principes Civiles, sed Beatos Angelos ab Apostolo intelligi, verba immediate subsequentia *in coelestibus* manifeste ostendunt; neque enim malos Angelos intelligendos esse, patet tum ex c. 1. ejusdem ep. v. 21., tum ex Patrum interpretatione, nam et D. Hieron. *in hunc locum*, et D. Aug. *l.* 5. *de Gen. ad litt. c.* 19., ac alii plerique nonnisi de Beatis Angelis Apostolum loqui, docuere: Patet ergo propositum.

Prob. 3. pars; 1.° enim quae ex solo Dei beneplacito pendent, nec Scripturae, vel Traditio nos docent, asseri profecto, nisi divinando, non possunt. Ex solo autem Dei beneplacito tam bonis, quam malis Angelis

revelandum erat Incarnationis Mysterium; quod illis revelasse, dum adhuc in via essent, nullibi vel Scripturae, vel Traditio nobis innuunt: Nonnisi ergo divinando, seu absque fundamento diceretur. Porro, ut scribit Petavius l. 3. De Angelis c. 2. n. 10., *vaticinari de re tanta, fas esse, non arbitror*. Hinc sententiam; cui subscripsimus, tenent, tamquam verisimiliorem, laudatus Petavius, aliique complures, prae opposita, quam tenent Suaresius *l.* 5. *De Angelis c.* 6., aliique: quos plura cupiens consulat.

Prob. 4. pars. Et 1.° ex verbis, quibus Christum aggredi ausus Diabolus fuit in Deserto, inquiens; *Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant* (Matth. 4.). Quorsum autem ejusmodi interrogatio, si id certo novisset? 2.° ex 1. ad Cor. c. 2., ubi Apostolus de Christo, quem appellat *Dei sapientiam in Mysterio*, inquit: *Quam nemo principum hujus saeculi cognovit*; *si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent.* Nomine autem Principum Daemones esse intelligendos, non paucorum Patrum sententia est: quo etiam sensu ait Christus Jo. 12. *Nunc princeps hujus Mundi ejicietur foras.* 3.° ex PP.; ita enim D. Ignatius M., inquiens in ep. ad Ephesios, voluisse Christum nasci ex Virgine, *ut partus ejus celaretur Diabolo.* Ac ita quoque tum D. Ambrosius in c. 9. Lucae, tum D. Aug. l. 9 De Civ. Dei c. 21.; tum D. Leo serm. 21. De Pass., ubi ita eleganter more suo S. D. *Ut humanum genus vinculis mortiferae praevaricationis absolveret, et saevienti Diabolo potentiam suae Majestatis occuluit, et infirmitatem nostrae humilitatis objecit. Si enim crudelis, et superbus inimicus consilium Misericordiae Dei nosse potuisset, Judaeorum animos potius temperare, quam injustis odiis studuisset accendere, ne omnium captivorum amitteret servitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem.*

Diximus tamen, illud *certo* iis non innotuisse, nisi postquam impletum, ac perfectum fuit; illud enim fuisse suspicatos, procul dubio est ex c. 1. Marci, ubi Spiritus immundus legitur Christo dixisse: *Quid nobis, et tibi, Jesu Nazarene? Venisti perdere nos? Scio, quis sis, Sanctus Dei.* Et paullo infra legitur, quod Christus *Daemonia multa ejiciebat, et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.* Diximus quoque, profectum

id fuisse *ex Divina dispositione*, secus namque ex Christi praedicatione, et miraculis id certo cognovissent.

Prop. III. Adae hominum omnium Parenti tam ante, quam post lapsum revelatum fuisse Incarnationis Mysterium, communis quoque Theologorum sententia est. Quod et docent cognitum per revelationem fuisse Patriarchis, Prophetis, aliisque sanctitate conspicuis, etiam ex Gentibus.

Prob. 1. pars; Adae enim revelatum fuisse ante lapsum, dubitare non sinit, quod ille protulit, cum ex sopore in eum a Deo immisso expergefactus, vidit Evam ex ejus costa formatam, atque: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, etc. Relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una*; ex quibus ita arguitur: Quaecumque vaticinabantur Prophetae, intelligebant etiam, ut supra diximus. Praefata autem verba Adam prophetice dixisse, testatur Christus, inquiens Matth. 19., quod Deo afflante illa protulit. His vero praefiguratum fuisse futurum Incarnationis Mysterium, testatur Apostolus ad Eph. 5., ubi, iisdem relatis, continenter subdit: *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.* Quare etiam, soporem, quem illi Deum immisisse, scribit Moyses, exstasim D. Aug. appellat l. 9. De Gen. ad litt. c. 9. *Illa exstasis* (inquiens), *quam Deus immisit in Adam, recte intelligitur ad hoc immissa, ut et ipsius mens intelligeret in novissima: Denique evigilans, tamquam prophetiae plenus, eructavit continuo, quod magnum Sacramentum commendat Apostolus . . . Quae verba* (Hoc nunc os ex ossibus meis etc.), *Dominus in Evangelio*(Matth. 19.) *Deum dixisse, declaravit, ut hinc intelligeremus, propter exstasim, quae praecesserat in Adam, hoc eum divinitus, tamquam Prophetam, dicere potuisse*: Dum ergo illa protulit, Incarnationis Mysterium cognovisse, consequens est. Ubi simul advertendum cum D. Th. 3. p. qu. 1. art. 3. ad 5., quod cum Adam illa protulerit ante ejus casum, cognovit quidem per revelationem futurum Incarnationis Mysterium, ignoto tamen ejus fine, ut enim S. D. disserit, *nihil prohibet, alicui revelari effectum, cui non revelatur causa.*

Post lapsum vero illi revelatum fuisse, evidenter liquet ex verbis, quae Deus ad Serpentem ait: *Inimicitias*

ponam inter te , et mulierem, et semen tuum , et semen illius. Ipsa conteret caput tuum ; vel , ut in hebraeo legitur , nec non in Codice Samaritano , *ipse conteret* , Christum significans , qui Evae filius secundum carnem futurus erat. Quod enim illis verbis futurum Redemptorem Adae , et Evae Deus promiserit , unanimis Patrum, et Doctorum sententia est.

Prob. 2. pars ; futurum namque Incarnationis Mysterium Patriarchis quoque , et Prophetis innotuisse, non minus evidenter liquet tum ex repetitis Messiae promissionibus identidem illis factas ; tum ex instantibus , quas ad Deum fundebant , precibus , ut mitteret , quem missurum spoponderat ; tum denique ex supernis illustrationibus , quibus illis et genus , et familiam , et tempus , Messiae adventum determinantia revelavit.

Quod demum aliis quoque Viris sanctitate conspicuis , etiamque ex Gentibus , non fuisse ignotum , patet tum ex Christi verbis Matth. 13. *Amen dico vobis , quia multi prophetae , et justi cupierunt videre , quae vos videtis , et non viderunt , et audire , quae auditis, et non audierunt* : tum ex Job exemplo , qui ex Idumaeis ortus , *Scio* (inquit) , *quod Redemptor meus vivit , et in novissimo die de terra surrecturus sum : et rursum circumdabor pelle mea , et in carne mea videbo Deum meum ; quem visurus sum ego ipse , et oculi mei conspecturi sunt*. Deum autem corporeis oculis adspectabilem nonnisi Deum hominem factum esse potuisse , evidens est. Hinc D. Aug. l. 18. De Civ. Dei c. 47. , *Non incongrue* (inquit) *creditur, fuisse et in aliis gentibus homines , quibus hoc Mysterium revelatum est, et qui hoc etiam praedicere impulsi sunt.* Additque , *multos inter gentes pertinuisse ad Civitatem spiritualem Jerusalem. Quod nemini concessum fuisse , credendum est , nisi cui divinitus revelatus est unus Mediator Dei , et hominum homo Christus Jesus.*

Æque tamen non innotuisse ipsi Judaeorum vulgo , communior docet contra Estium Theologorum sententia. Licet namque tum ex Scripturis , tum ex Patribus constet , neminem potuisse umquam salutem consequi sine aliqua in futurum Mediatorem fide ; hunc tamen Mediatorem Deum hominem futurum , negant caeteri Theologi post D. Thomam 2. 2. qu. 2. art. 7. , et 8. in corp. , quod explicite tunc temporis , seu ante Christi ad-

ventum, credendum esset de necessitate medii, quodque etiam vulgus ad habendam ejusmodi fidem praecepto Divino obligaretur; sed satis, inquiunt, fuisse, saltem plerisque, quod implicite id crederent. Nec D. Augustinum adversari, sufficienter colligitur ex ep. 157., alias 89. c. 3., ubi fidem tempore Novi Testamenti revelatam, antea, inquit, velatam fuisse; quod et confirmans S. D. ep. 177., alias 95., eamdem in occulto fuisse, asserit.

TRACTATUS II.

De veritate Incarnationis adversus Judaeos.

CAPUT I.

De Messiae adventu ex Jacobaeo oraculo.

Cum Judaei negent, et Messiam advenisse, et hunc esse Christum, utrumque idcirco ex Prophetarum vaticiniis, quae ipsi nobis custodierunt, demonstrandum suscipimus. Et 1.º hic demonstrandum contra eos suscipimus ex Jacobaeo oraculo, Messiam advenisse; excessurus namque proxime e vita, ut legitur Gen. c. 49., Sanctus ille Patriarcha, ac singulis ejus filiis praenuntians, quae ventura ipsis erant novissimis temporibus, sic Judam affatus fuit: *Iuda, te laudabunt fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Iuda; ad praedam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti, ut leo, et quasi leaena, quis suscitabit eum? Non auferetur Sceptrum de Iuda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam; lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvae pallium suum, pulchriores oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores.* Porro et Messiam ab octodecim saeculis advenisse, et hunc esse Christum, evidenter utrumque ex relatis verbis ostenditur. De primo tamen hoc in capite, acturi de altero in capitibus sequentibus.

Quoad 1.^{m} itaque, adeo Judaei vehementer urgentur, et aperte revincuntur e Prophetarum oraculis, quod jam ab octodecim saeculis tempus Messiae adventus effluxerit, ut luci claudentes oculos, atque ab eorum avis, atavisque recedentes, qui toti incumbebant, ut Messiae tempus e Prophetarum oraculis explorarent, nuper susceperint negare, quod illud a Prophetis determinatum fuerit, ac gravissima imprecatione in Thalmude *tract. Sankedrim c.* 11. eos insectentur, qui ejusmodi tempus e Prophetis audeat investigare: *Inflata* (ajentes) *rumpantur ossa eorum, qui periodos temporum computant.* Sed pervicaciter prorsus; initium enim ab Jacobaeo oraculo sumendo, en quomodo evidenter ex eo ostenditur, Messiam advenisse, et quidem ab decem, et octo saeculis; sit enim

Prop. Invicte ostenditur ex Jacobaeo oraculo, Messiam advenisse.

Probatur. Is, qui venturus praedicitur in Jacobaeo oraculo, jam venit. Qui autem venturus praedicitur in Jacobaeo oraculo, est Messias: Messias igitur venit. Prob. maj.

Is, qui venturus praedicitur in Iacobaeo oraculo, jam venit.

Et sane is, qui venturus praedicitur in Jacobaeo oraculo, tunc venturus erat, cum sceptrum de Juda defecisset; nam 1.° omnes antiqui Paraphrastae, Targum Onkelos, Targum Joathan, Targum Jerosolymitanum, Talmud Babylonicum (cujus auctoritatem Judaei Divinis libris exaequant); omnes item veteres Interpretes, Septuaginta Seniores, Theodotion, Aquila, Symmachus, et quae inde per Judaeorum manus manarunt Versiones, Arabica, Persica, Syriaca, tum et Armena, Æthiopica, Cophtica, aeque omnes, ac Vulgata Latina, vel *donec* legunt, vel *usquequo.* 2.° quia alterutrum Judaei dicant, necesse est; vel scilicet, quod Tribus Juda non amisisset Sceptrum, donec adveniret, qui venturus praedicebatur in Jacobaeo oraculo; vel quod Latinus Interpres Hebraicum Codicem assecutus non fuerit. Istud autem nonnisi ineptissime dicunt, ut patebit ex solutione objectionum. Dicendum ergo est, quod Tribus Juda non amisisset Sceptrum, donec adveniret, qui venturus praedicebatur in Jacobaeo oraculo.

Sceptrum autem Tribum Juda ab octodecim saeculis

amisisse, nemo in dubium vocare potest ; 1.° enim Hircano, et Aristobulo Simonis Machabaei abnepotibus de Regno contendentibus, Pompejus ab Hircano accitus anno ante aeram Christianam 63., Regnum, Jerosolyma expugnata, Hircano asseruit, subjecitque Judaeam tributo. Quo facto, non multo post, ac praecise viginti tribus post annis, Senatus Rom., posthabitis Judaeorum legibus, quae alienigenam e Regno excludebant, ut patet ex c. 17. *Deut.*, Regem Judaeis praefecit Herodem, genere Idumaeum, teste Josepho *l.* 14. *orig. c.* 2., *et l.* 1. *de Bello Iudaico c.* 5., qui supremam potestatem sibi uni vindicans, Judaeorum quoque Synhedrium abstulit, interemptis omnibus ejus Senatoribus, uno excepto Samea, ut testatur idem Josephus *l.* 14. *c.* 26. Illud vero Judaei, licet, defuncto Herode, instauraverint, Archelao tamen ejus filio, et Regni Successore in Galliam ab Augusto relegato anno Christi 7., redacta fuit Judaea in Provinciam Romani Imperii, ac jus gladii translatum in praepositum a Caesare Procuratorem, ut constat tum ex Josepho *libro* 2. *De Bello Iudaico c.* 11., tum ex ipsis Judaeorum verbis ad Pilatum Jo. 18. *Nobis non licet interficere quemquam. Non habemus Regem, nisi Caesarem*; potestate tantum Judaeorum Synhedrio relicta ferendarum legum, maxime circa sacra, ac noxios praecipue in Religionis negotio judicandi, et corrigendi, ut patet ex verbis ipsius Pilati ad Judaeos Jo. ibid. : *Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum*; nec non ex 4., 5., et 9 Actuum, jussu enim Synhedrii fuerunt Apostoli in carcerem conjecti, et flagellati, ejusque jussu accepit Saulus a Principe Sacerdotum epistolas inquirendi in Christianos, eosque vinctos perducendi in Jerusalem. A Vespasiano demum, et Tito Civitate, ac Templo succensis, innumerisque Judaeis caesis, praefatam ipsam supremae potestatis umbram Judaei penitus amiserunt; nec ullibi terrarum ab illa aetate locus est, ubi Judaei in aliquam Reipublicae formam coalescant, ac sub durissima servitute non sint. Quis proinde non videt, jamdiu Tribum Juda, ac praecise ab ipsa Herodis aetate, quo regnante Christus natus est, ideoque ab octodecim saeculis, sceptrum amisisse?

Caeterum, licet ad conciliandum Vaticinium cum eventu parum referat, sive dicatur, Sceptrum a Juda de-

fecisse, velut sensim, et gradatim ab Herodis Regno usque ad Jerosolymitanum excidium, ut non pauci, ex quibus praecipue Petavius, Huetius, et Tournelius sentiunt, sive dicatur, quod illud statim defecit ab ipsa Herodis elatione in Judaeorum Regem, quodvis namque vaticinium quoad tempus non mathematice, sed moraliter intelligendum est: probabilius tamen dicimus, quod ab ipsa Herodis elatione in Judaeorum Regem statim defecit; si enim Herodes fuit alienigena, quem fundamentales Reipublicae Judaeorum leges e Regno excludebant, fuitque nihilominus ab extraneis, invita Natione, in eorum Regem elatus, nec amplius Sceptrum, seu, quae per illud significatur, suprema potestas fuit Judaeis restituta, ab ejus certe elatione in Regem Sceptrum e Juda defecisse, dicendum est. Ita autem res se habet.

Et 1.° Herodes fuit alienigena, falsum namque est, quod Nicolaus Damascenus adulatione ductus scripsit, eum nempe e Primatibus Judaeorum, qui e captivitate redierant, genus duxisse: 1.° quia Antipater, Herodis Pater, erat, ut testatur Josephus De Bello Judaico c. 6. , *genere Idumaeus*. Et l. 14. Antiqu. c. 7. scribit, quod *uxorem duxit ex nobili Arabiae familia, nomine Cyprum. ex qua liberos quatuor sustulit, Phasaelum, et Herodem eum, qui postea Rex erat. etc.* . Quomodo igitur Judaeus, si ex Patre Idumaeo, et Matre Araba? Hinc idem Josephus in citato Antiqu. libro c. 15. Antigonum de Regno cum Herode contendentem inducit *dicentem Siloni, et Romanorum exercitui, praeter ipsorum justitiam se facturos, si Herodi Regnum dederint, homini privato, et Idumaeo, hoc est Semi-Iudaeo.* Et sane Idumaeos aliam fuisse a Judaeis gentem, nemini persuasum esse nequit, qui advertat, quod oriundi ex Esau, et oriundi ex Jacob duas gentes, et duos populos constituerunt, juxta id, quod Rebeccae Deus dixerat Gen. 25. *Duae gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex ventre tuo dividentur.* Erant autem Idumaei oriundi ex Esau; Judaei oriundi ex Jacob: Idumaeos ergo aliam fuise a Judaeis gentem, manifestum est. Hinc Regius Psaltes, *in Idumaeam* (ait Ps 107.) *extendam calceamentum meum; mihi alienigenae amici facti sunt.* 2.° quia adversatur unanimi Patrum Traditioni, qui omnes unanimiter Herodem vocant alienigenam; ut Orig. *hom. 17. in Gen.* ; D. Hieron. *in c. 3. Oseae*, D. Aug.

l. 18 *De Civ. Dei c.* 45., et *l.* 12. *cont. Faustum. c.* 47., Theodoretus *qu.* 110. *in Gen.*, caeterique, nullo plane excepto; ex quibus etiam Africanus *ep. ad Aristidem*, ac post eum Eusebius *l.* 1. *hist. Eccl.* c. 7. inquiunt item, eum fuisse Ascalonitam, ac nativitate tantum, et educatione Idumaeum; qualem, nempe *Ascalonitam*, veteres etiam Judaei apud D. Iustinum *in Dialogo cum Tryphone* eum vocant.

Objicitur quidem, 1.° quod si Herodes non fuisset Judaeus, nec Templum miro prorsus modo exornasset, nec Iudaicae Religionis zelatorem se ostendisset acerrimum; adeo ut, teste Macrobio In Saturn. c. 4., cum Augustus audisset Herodis filium morti a Patre traditum, dixerit: *Melius est, Herodis esse porcum, quam filium.* 2.° quod Hircanus Judaeorum Pontifex Mariamnem ejus neptem in uxorem illi non tradidisset, cum esset alienigena. 3.° quod inter Judaeos fuere, qui cum illum, tamquam Messiam, conclamarent, appellati fuerunt Herodiani. Noverant autem Judaei, quod Messias oriturus erat ex Juda: Et illum ergo noverant Judae Tribu[illegible]. 4.° Antipatrum Herodis Patrem dici potuisse Idumaeum ratione incolatus, et diuturnae habitationis in Idumaea; quemadmodum nempe *c.* 2. *Actuum* multos legimus appellatos Parthos, Medos, Æ[la]mitas, Cretes, et Arabes, quos tamen fuisse Judaeos, constat ex paullo antecedentibus verbis: *Erant autem in Jerusalem Judaei viri religiosi ex omni natione, quae sub Coelo est.* Et Apostolus tum *ad Rom. c.* 11., tum *ad Phil. c.* 3. Israelitam, et de Tribu Beniamin se esse, profitetur; et tamen *Act.* 9. dicitur Tarsensis, eo quod ipse, et aliqui ex ejus majoribus nati, educatique fuerant in Tarsis Ciliciae oppido.

Sed respondetur ad 1.m, id Herodem egisse, ut sibi Regnum firmaret, Judaeorum gratiam tali agendi ratione sibi conciliando; quare, ut scribit Josephus *l.* 15. *Antiqu. c.* 14., eos quoque appellabat *viros contribules*. Ad 2.m, violatam non raro fuisse legem, qua cautum erat Judaeis, ne foedus Matrimonio jungerent cum alienigenis. Ad 3.m, id Judaeos illos ex adulatione egisse, qua ductus ipse etiam Josephus Vespasiano, quem profecto sciebat, nullatenus ad Judae genus pertinere, idem quoque Messiae nomen tribuit. Ad 4.m, Antipatrum Herodis Patrem Idumaeum vocari expressis verbis genere,

ideoque etiam *Semi-Judaeum*. Parthos vero, Medos, Ælamitas, Cretes, et Arabes citato Actuum loco Judaeos vocari ratione Religionis; quam colebant, patet ex verbis: *Erant autem in Jerusalem viri Religiosi, etc.* Quod vero additum est de Apostolo nullatenus facessere, quia dum dicitur Tarsensis, dicitur simul genere Israelita, quod nullibi de Herode legitur.

Falsum quoque est, quod Scaliger *Animadv. ad Cronicon Eusebii*, Huetius *Demonstr. Evang. prop.* 9., Casaubonus *Exercit. ad Apparat. Baronii*, aliique inquiunt, Herodis nempe genus fuisse quidem ex Idumaeis Proselytis, at simul vere Judaeum fuisse, quia Proselyti, vel saltem ex his nati Judaeorum numero habebantur, maxime quia ante annos circiter centum cum Idumaei debellati fuerint ab Hircano Simonis Machabaei filio, circumcisionem, aliosque ritus judaicos susceperant: 1.° enim tam Proselytos, quam ex Proselytis natos semper a Judaeis distinctos fuisse quantum ad civilia, constat tum ex l. 1. Paral. c. 22., et ex l. 2. c. 2., ubi Proselyti, et quidem centum quinquaginta millia, et tria millia sexcenti, sub quo numero comprehensos quoque fuisse multos Proselytorum nepotes, abnepotes, etc., probabilissimum est, ad graviora tantum, et viliora opera destinati leguntur; quod profecto non fuisset, si par eorum fuisset, ac Judaeorum natorum conditio: tum ex c. 1. Actuum, ubi Judaei expresse a Proselytis distinguuntur illis verbis: *Judaei quoque, et Proselyti*. 2.° quia et Proselyti, et nati ex Proselytis, iique etiam, qui circumcisionem suscepissent, nulli e duodecim Tribubus nec accensebantur, nec accensiri poterant ob peculiares Deo Israelitis datas constitutiones de distinctione Tribuum, et familiarum, ne generis Abrahae ulla fieret cum alieno genere commixtio.

Objicit quidem Casaubonus, quod *quemadmodum hodie Judaeum, aut Turcam, aut Tartarum, postquam sacro lavacro fuerit tinctus, Christianum et esse, et dici recte, ac vel maxime, nemo sanae mentis negaverit, sic olim alienigenae, postquam erant circumcisi, veri Judaei esse censebantur*. Sed perperam; quia enim Christianus non nascitur, sed fit, nomen Christiani idcirco religionis est, non generis; utque ait Ap ad Gal. 3, *non est apud eos Judaeus, neque Graecus, non est servus, neque liber*. E contrario quia Judaei non fie-

bant, sed nascebantur, eorumque nomen erat tum religionis, tum generis, quisquis idcirco ad eorum genus non pertinebat, neque etiam de eorum numero haberi unquam poterat; ac circumcisionem suscipiendo, fiebat quidem particeps eorumdem jurium quoad religionem, et sacra, ut patet ex c. 16. Num., non tamen quoad dignitates, et civilia. Quibus perpensis, Herodem omnino quoad haec alienigenam fuisse, consequens est.

Alienigenam porro fundamentales Reipublicae Iudaeorum leges e Regno exclusisse, patet ex verbis Moysis Deut. 17. *Cum ingressus fueris Terram. et dixeris, constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius Gentis hominem facere Regem, qui non sit frater tuus.*

Quod vero Herodes ab extraneis, et invita Natione, fuerit in Judaeorum Regem elatus, nemini dubium esse potest, qui vel a limine Judaeorum historiam salutaverit; quoad 1.m enim, a Romanis eorum Regem creatum fuisse, testatur Josephus *l. 14. Antiqu. c. 14.*, ac simul cum eo omnes Judaeorum Doctores: quoad alterum vero, quod nempe fuerit, invita Natione, ex eo patet, quod statim ac Regno potitus fuit, bellum per triennium gessit adversus Antigonum ultimum ex Assamonaeorum familia Iudaeorum Regem, quem et vita, erogatis ad id pecuniis, eripuit; quodque cum Iudaeos aegre ejus Sceptrum ferre, cognosceret, alia etiam edidit facinora, ne Regno excideret.

Quod demum Judaeis non fuerit amplius Sceptrum restitutum, seu, quae per illud significatur, suprema potestas, jam supra ostendimus. Hinc cum Herodes fuerit alienigena, quem fundamentales Reipublicae Judaeorum leges e Regno excludebant, fueritque nihilominus ab extraneis, ac invita Natione in eorum Regem elatus, nec amplius Sceptrum, seu, quae per illud significatur, suprema potestas fuerit Judaeis restituta, ab ejus certe elatione in Regem Sceptrum e Iuda defecisse, dicendum est. Quare, ut illuc redeat, unde discessit, oratio, cum evidens sit, et quod is, qui praedicebatur venturus in Jacobaeo oraculo, tunc venturus erat, cum Sceptrum de Tribu Juda defecisset, et quod Sceptrum de Tribu Juda jam ab octodecim saeculis defecit, evidens quoque

est, quod is, qui in Jacobaeo oraculo praedicebatur venturus, jam ab octodecim saeculis venit.

Prob. min. quod scilicet *is, qui venturus praedicebatur in Iacobaeo oraculo, est Messias.*

Et 1.° ubi Versio Vulgata legit *qui mittendus est*, hebraeus codex legit *Schiloh*. Ex quavis autem radice derivetur vox *Schiloh*, nequit, nisi Messiam, significare: si enim derivetur a *Scalah*, significat *mittendus*, quo nomine in Sacris Litteris solus insignitur Messias; ut cum dicitur Exodi 4. *Mitte, quem missurus es*. Et Isaiae 16. *Emitte Agnum, Domine, dominatorem Terrae*. Et c. 19. *Mittet eis Salvatorem, qui liberet eos*. Et c. 61. *Ad annunciandum mansuetis misit me*. Si derivetur a *Schala*, significat *pacificus*, cujusmodi solus quoque Messias antonomastice appellatur in Scripturis; ut Is. 9. *Vocabitur nomen ejus Princeps pacis*. Et Mich. 5. *Et erit iste pax*. Et Ps. 71. *Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis*. Si derivetur a *Schilia*, significat *Filius ejus*, insignis nempe Judae Filius, qualem quis, nisi Messiam, dicet? Si derivetur a *Schin loh*, significat *ille, cui repositum est Regnum*: ac demum si a *Schai loh*, significat *donum ipsi*; quas item significationes nonnisi ad Messiam referri posse, nemo est, qui non videat: Evidens ergo est, quod is, qui venturus praedicebatur in Jacobaeo oraculo, est Messias.

2.° nonne tantum de Messia praedicari poterat, quod futurus esset *expectatio Gentium*? Sive, ut legit Hebraeus Codex, quod ei futura esset *obedientia populorum*? Vel, ut habet Codex Samaritanus, quod ei futura esset *aggregatio nationum*? Characteres profecto hi sunt adeo Messiae proprii, ut plane hospes in Scripturis esset, qui alteri eos tribueret; de eo enim dicitur Gen. 18, quod *benedicendae in ipso essent omnes Nationes Terrae*. Et Regius Psaltes de eo dixerat Ps. 71. *Ipsum Gentes deprecabuntur*. Et Isajas c. 11. *Fluent ad eum omnes Gentes*. Et Michaeas c. 4. *Veniet desideratus cunctis Gentibus*. Is autem, qui praedicebatur venturus in Jacobaeo oraculo, dicitur simul, quod futurus esset *expectatio Gentium*: Is ergo, qui in eo praedicebatur venturus, est Messias.

Quod demum ipsa Judaeorum Traditio confirmat; ita enim Talmudistae in *Gemara Cap. 11. tract. Sanhedrin* de Messiae nomine: *Familiares Rabbi Silae ajebant: Schiloh nomen ejus, quia dicitur, donec veniat Schiloh*.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.°, quod ubi Versio Vulgata legit *donec*, hebraeus Codex legit *ad Ki*. Voces autem *ad Ki* tunc dant *donec*, cum ad idem membrum pertinent; ad idem vero membrum non pertinere in Jacobaeo oraculo, ex eo patet, quod inter *ad*, et *Ki* extat accentus *Jetib*, qui efficit, ut voces, inter quas extat, ad distincta membra pertineant: Cum igitur *ad* pertineat ad unum membrum, *Ki* ad aliud membrum *ad* dat *in aeternum*, et *Ki* dat *quando*; vel, ut alii censent, *quia*; ideoque recta Jacobaei oraculi versio est: *Non auferetur Sceptrum de Juda in aeternum, quando veniet Messias*; vel juxta alios: *Non deficiet Sceptrum de Juda in perpetuum, quia veniet Messias.* Ita Rabbinorum plerique.

R. neg. min., recte scilicet versas non fuisse voces *ad Ki* in *donec*; idque, tum si voces *ad Ki* accipiantur praecise ab accentis Massorethicis, utpote quorum usus antiquior non est V. Ecclesiae saeculo juxta Capellum, Morinum; Simonium, etc., immo IX. ejus saeculo juxta Maclefium, tum si accipiantur dependenter ab ejusmodi accentis. Primum, quia quoties in Scripturis *ad* immediate excipitur ab *Ki*, semper significat *donec*, ut patet ex c. 26. Gen. v. 13., nec non c. 41. v. 49., ex l. 2. Reg. c. 23. v. 10., ex l. 2. Paral. c. 26. v. 15., quibus tantum in locis occurrit *ad* conjunctim cum *Ki*, nec, nisi *donec*, significare potest. Alterum vero, quia ideo dicitur ab Adversariis, voces *ad Ki* non recte versas fuisse in *donec*, quia inter eas extat accentus *Jetib*, qui efficit, ut voces, inter quas extat, ad distincta membra pertineant. Id autem falsum est, 1.° cum in ipso Jacobi oraculo inter voces *Catulus leonis* extet idem accentus, et nemo est, qui non videat, illas ad idem pertinere membrum. 2.° quia accentus *Jetib* extans inter voces *ad Ki* in Jacobi oraculo immediate praeceditur ab accentu *Athnach*. Est autem accentus *Athnach* majoris vis, quam accentus *Jetib*, cum ille duobus punctis aequetur, ac efficiat colon, immo omnium accentuum maximus, *Silluk* excepto, qui periodum efficit: hic vero, seu *Jetib*, nonnisi lineae aequivaleat: certumque est apud hebraizantes, quod ubi accentus majoris vis immediate praecedat accentum minoris vis, omnem hic suam vim amittit: Patet igitur, quod, tametsi voces *ad Ki* accipiantur dependenter

ab accentis Massorethicis, dicendum quoque est, recte versas fuisse in *donec*, prout eas, ut diximus, omnes antiqui et Paraphrastae, et Interpretes, et Versionum Auctores accepere.

Objic. 2.°, quod ubi Versio Vulgata legit *Sceptrum*, hebraeus Codex legit *Schebet*, per quod significatur *virga*. Per hanc autem et imperii, et tribulationis *virga* potest intelligi, utroque enim sensu usurpatur in Scripturis, primo scilicet sensu Ps. 44., etiamque alibi; altero vero et l. 2. Reg. c. 7. v. 14., et Job. c. 9. v. 34., et c. 21. v. 9., et Ps. 2. v. 9., et Ps. 88. v. 33., et Prov. c. 22. v. 8., et Is. 10. v. 5., etc. : Nihil ergo prohibet, quin Jacobaeum oraculum sequenti modo intelligatur: *Non auferetur virga tribulationis de Tribu Juda*, *donec veniat Messias*. Ita alii ex Rabbinis.

R. neg. cons.; 1.° quia ubi vox *Schebet* virgam tribulationis significat, ad hanc significationem ab adjunctis semper determinatur; ut cum dicitur Ps. 2. *Reges eos in virga ferrea*. Et Ps. 88. *Visitabo in virga iniquitates eorum*, *et in verberibus peccata eorum*, etc.; numquam vero ita usurpatur, cum solitarie ponitur, prout in Jacobaeo oraculo. 2.° quia quotquot tam antecedenter, quam consequenter Judae praenuntiantur, laeta, et fausta sunt omnia, fratrum scilicet laus, et adoratio, fortitudo ad instar Leonis, et Leaenae; inimicorum victoria, agrorum fertilitas, vindemiarum copia. Quidnam autem his commune cum virga tribulationis? Estne tribulationis status laudum, et adorationum objectum; ac habeturne consequenter ad fortitudinem, et victorias subjectio, et servitus; an potius dominatio, et imperium? 3.° quia si vox *Schebet* in Jacobaeo oraculo significaret virgam tribulationis, debuisset Tribus Juda peculiari modo a Deo affligi. Hoc autem a vero adeo alienum est, ut potius semper caeteris Tribubus praeeminuerit. 4.° quia ad benedictionem profecto Judae a Jacobo datam alludens David, refertur l. 1. Par. c. 28. dixisse: *Elegit Dominus Israel me, ut essem Rex, etc., de Juda enim elegit Principes*: Ex tunc ergo vox *Schebet* in Jacobaeo oraculo accepta semper fuit, prout imperii insigne. 5.° demum quia omnes quoque et Paraphrastae, et Interpretes, et Versionum Auctores, quorum supra meminimus, cum Vulgata concinunt; nemo enim ex iis vertit Jacobaeum ora-

culum accipiendo *Schebet* pro virga tribulationis, sed ut principatus insigne.

Objic. 3.° Ideo dicitur, quod is, qui praenuntiatur venturus in Jacobaeo oraculo, jam venit, quia adverbium *donec* desitive in eo accipitur. Non semper autem desitive accipi in Scripturis, sed quandoque etiam extensive, ac pro continuatione, ita ut in propositionibus affirmantibus idem valeat, ac *semper*, in negantibus idem, ac *numquam*, patet ex ipsis Scripturis, usurpatur enim pro *semper* in Ps. 109., ubi: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Pro *numquam* Gen. 8., ubi de corvo ex Arca emisso dicitur: *Non revertebatur, donec siccarentur aquae*, non enim, siccatis aquis, corvus ad Arcam rediit: prout etiam Gen. 28., ubi Deus ad Jacob: *Non deseram te* (ait), *donec fecero, quod locutus sum tibi*, idest quamdiu fecero: Non igitur ex Jacobaeo oraculo legitime infertur, quod is, qui in eo praenuntiatur venturus, jam venit. Ita quoque alii ex Rabbinis.

R. neg. cons.; 1.° quia vox *ad Ki* numquam in hebraico idiomate, nisi desitionem rei, significat. 2.° quia licet in latino idiomate aliquando etiam sumatur extensive, non tamen, ubi sermo sit de futuro, prout in Jacobaeo oraculo, sed ubi sermo sit de praeterito, vel de praesenti, ut in allatis exemplis. 3.° quia si adverbium *donec* in Jacobaeo oraculo sumendum extensive esset, tempus adventus Messiae fuisset indeterminatum, quo posito, ubinam amplius vaticinium de Messiae adventu, quod semper veteres illic loci agnovere? 4.° demum quia in Jacobaeo oraculo cum nequeat adverbium *donec* extensive accipi, jamdiu enim de Tribu Juda ablatum est sceptrum; quis non videt, quod accipiendum sit desitive, ac significare terminum temporis, quo exacto, sceptrum de Juda defecisset? Hinc cum Senatus Rom. Regem praefecisset Judaeis Herodem alienigenam, adeo iis persuasum erat, quod Messiae tempus advenisset, ut etiam Mulier Samaritana ad Christum dixerit: *Scimus, quia Messias venit* (*Jo* 4:); immo, ut Scribit Svetonius *in Vespasiano c.* 4., et Tacitus *l.* 5., jam tum vetus, et constans opinio toto Oriente percrebuerat, esse in Fatis, ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur; per Messiam scilicet, quem, tamquam Regem super omnes regnaturum, Judaei expectabant.

Objic. 4.°; Sceptrum e Juda non defecisse; saeculo enim 12. cum Rabbi Beniamin Tudelensis, etiamque R. Petachia iter per totum Orientem instituissent ad fratres suos invisendos, variis in Regionibus invenerunt, eos Principatu florere; additque Petachia, quod cum saec. 8. conversus fuisset Rex Chosar cum omnibus suis subditis ad Religionem Judaicam a R. Sangari, constans in ea profitenda adhuc erat tum Rex, tum potentissimum ejus Regnum, in quo etiam per octo dies commoratus fuerat. Supremam quoque Judaeos potestatem habere inter Regionem Sinarum, et Gangem, in Deserto Cabor, in Desertis Arabiae, in variis Maris Indici Insulis, etc., testatur Abrahamus Peritsol Judaeus Ferrariensis *in itineribus Mundi* editis anno 1525.: qua et eos potiri in Abissinia, nec non in America pene montes altissimos, quibus Chile versus occasum cingitur, scribit R. Manasse in opere, cui titulus *Spes Israelis*, anno 1650. in lucem edito.

R. praefata omnia non esse, nisi Rabbinorum mendacia ad populi solamen; a quibus insigniores ex ipsis se caventes, *Vae nobis* (inquiunt in Talmude tract. Sanhedrim), *quia ablatum est Sceptrum*. Et R. David Kimchi illa Oseae verba exponens: *Dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, et sine Principe, et sine sacrificio, et sine Altari, et sine Ephod, et sine Teraphim*, ita scribit: *Hi ipsi sunt dies captivitatis, in qua versamur hodie, quando nobis neque Rex est, neque Princeps ex Israele. Nam sub potestate gentium sumus, et Regum, atque Principum eorum omnes filii Israelis.* Occultandis proinde tam putidis mendaciis, extremas proferunt, et incognitas orbis plagas nemini viatorum hactenus perspectas; cum e contrario quocumque Viatores appulere, ubique eos deprehenderunt dura sub servitute esse. Estne autem verisimile, malle eos ubique terrarum dura premi servitute, quam ad illos suos Reges confugere, sub quibus pacifice, ac libere vitam degerent?

Objicitur 5.°, quod vox *Schebet* accipi quoque potest pro Tribu, ita ut sensus Jacobaei oraculi sit: *Non auferetur Tribus Juda, donec veniat Messias*: 1.° quia ad significandam Tribum non raro accipitur in Scripturis, ut Gen. c. 49. v. 16., Num. c. 32. v. 33., et c. 36. v. 3., Deut. c. 3. v. 13., et c. 10. v. 3.,

et c. 18. v. 1., Josue c. 4. v. 5., etiamque alibi. In sensu enim proprio vox *Schebet* significat virgam ; quae per metaphoram traducitur ad significandum Sceptrum, tamquam supremae potestatis insigne, ac aeque traduci potest ad significandam Tribum, vel quia Tribus est ex Patre, ut ramus, seu virga ex arbore, juxta Kircherium in *Concordantiis*, vel juxta Menochium *l. 1. de Republ. Jud. c. 4.*, quia unaquaeque Tribus suam peculiarem habebat virgam, quam Princeps Tribus gestare consueverat, ut colligitur ex c. 18. Num. v. 2. Si autem ad significandam Tribum non raro in Scripturis accipitur, nonne liberum erit hoc etiam sensu eam accipere in Jacobaeo oraculo? Immo hoc sensu eam accipere illic cogimur, tum quia verba illa, *Non auferetur Sceptrum de Juda* supponunt Sceptrum jam in Juda existens, auferri enim nequit, quod non possidetur ; Jacobi autem tempore nullam filii ejus potestatem habebant, nisi super progenitos ab ipsis : tum quia verba vaticinii nullam Sceptri concessionem, sed tantum ejus continuationem sonant ; continuatio autem alicujus rei non existentis nulla esse potest. Quod si Jacobi oraculum et potest, et debet intelligi hoc sensu: *Non auferetur Tribus Juda, donec veniat Messias*, nullatenus ex eo inferri potest, Messiam advenisse, nondum enim Tribus Juda defecit, sed adhuc est superstes, et quidem Babylone, ut in Talmude legitur, *sana*, ex aliis nempe Tribubus discreta ; cum enim Esdras, soluta captivitate, Palaestinam petiit, plebis Iudaicae quisquiliae illuc simul cum eo rediere ; sed nobiliores ex Judaeis Babylone manere elegerunt. Idem quoque R. Abravanel asserit de Judaeis Hispanis, scribens 50.' millia familiarum Tribus Judae in Hispanias Vespasiani jussu deportatas fuisse. Est et hoc aliud Rabbinorum commentum.

R. 1.° neg. maj ; 1.° quia non ait Jacob : *Non auferetur Schebet Juda* ; sed : *Non auferetur Schebet de Juda.* 2.° quia accipiendo vocem *Schebet* pro Tribu, sensus Jacobaei oraculi esset : *Non auferetur Tribus de Tribu Juda*: quem loquendi modum Divino Vati tribuere nonne injuriam illi faceret? 3.° quia vox *Schebet* ex subjecta quidem materia determinatur aliquando ad Tribum significandam, sed solitarie sumpta, prout est in Jacobaeo oraculo, semper principatum significat. 4.° quia contradicunt, ut supra meminimus, omnes tum Para-

phrastae, tum Interpretes, item Versiones, a quibus vox *Schebet* in Jacobaeo oraculo pro principatus nota intelligitur. 5.° demum, et maxime, quia principatum per eam in Iacobaeo oraculo significari, declarant Davidis verba alibi etiam relata: *Elegit Dominus Israel me, ut essem Rex. . De Iuda enim elegit Principes* (*l.* 2. *Paralip. c.* 38.). Nec aliquid facessit, quod additum est; auferri enim nequit, quod nec possidetur, nec umquam possidendum est, non vero, quod, etsi actu non possideatur, aliquando tamen possidendum erit. Porro Jacob de Sceptro, quod nondum a Juda possidebatur, sed aliquando possessurus erat, locutum fuisse, argumento est, et quod ventura praedixit filiis suis *in novissimis diebus*, remotissimis scilicet, dissitisque temporibus, et quod per victorias, quas Iuda reportaturus esset fortitudine, *ut Leonis*, *et quasi Leaenae*, illi *Schebet* praenuntiavit, ideoque principatum, quem nonnisi per eas adepturus esset. Quare et dicimus, utique verba Vaticinii promissionem Sceptri, quo Judas esset quondam donandus, comprehendere; unde, quam inanis sit altera etiam argutatio, consequens est.

2.° neg. min.; quomodo enim Tribus Iuda amplius superstes, cum nec ullibi Tribus bene constitutae speciem, ac formam habeat, nec ullibi suis legibus vivat, sed Nationum, per quas dispersa est, legibus subjiciatur? Quomodo amplius superstes vel respectu Terrae promissionis, quam tamen Jacob proxime respexit, uberem, ac fertilem Terram designando, ubi Tribus Iuda Supremum Regimem exercuisset, cum nullibi minus reperiantur Judaei, quam in Palaestina; vel etiam absolute sumpta, cum extremo Urbis excidio, ac Templi incendio familiarum genealogiae perierint, nec amplius Judaei vel Tribuum discrimen, vel conjugiorum conditiones servent? Quod vero additum est ex Talmude de Judaeis Babylone degentibus, commentum est, iisque adversatur, quae leguntur in libro Esdrae, quem, ut canonicum, Judaei ipsi venerantur. Sicut commentum quoque est, quod refert R. Abravanel, cum de ejusmodi deportatione sileant omnium Gentium historici, ac imprimis Josephus, qui id certo non praeteriisset. Cui accedit, quod, ut constat, nulla plane vel Tribuum, vel familiarum ratio habita fuit in Jerosolymitano excidio, sed sine ulla discretione,

ac velut in hostes infensissimos, in omnes victor Romanus saevissime animadvertit.

Objic. 6.ᵒ, nihil prohibere, quin Jacobaeum oraculum conditionate accipiatur; quod nempe advenisset Messias, cum Sceptrum e Juda defecisset, nisi aliter Judaei mererentur, ejusque adventum suis praevaricationibus retardarent. Eo fere modo, quo Deus progeniei Davidicae Sceptri perpetuitatem promiserat; quod tamen, Davidis posteris e Dei lege deficientibus, in alios transiit. Quod cum ita sit, ruit argumentatio ex Jacobaeo oraculo, quod Messias venit: Ita igitur. Hac quidam alii ex Rabbinis via incedunt.

R. neg. maj.; 1.ᵒ enim si praedictionibus absolute editis liceret conditiones pro libito apponere, nulla iis vis amplius superesset, cunctaeque ruerent. Sub nulla autem conditione, sed absolute, Jacob praedixit, Sceptrum de Juda auferendum non esse, donec Messias adveniret; in quo cum Vulgata Latina omnes quoque conveniunt versiones, textus, Paraphrases, ac veteres Judaeorum Doctores: Nec ulla igitur conditio ejus verbis apponenda est. 2.ᵒ quia praedictum quoque fuerat, Judaeos praevaricaturos esse, ipsumque Messiam persecuturos, et occisuros Dan. 9., et alibi; et hunc venturum eorum praevaricationibus delendis. Si autem Deus praedixerat simul per Prophetas et Messiae adventum, et Judaeorum praevaricationes, quis non videt, inepte prorsus suis praevaricationibus Judaeos adscribere, quod nondum Messias juxta Divinas promissiones, ac tempore Divinitus designato advenerit; eoque magis, quia iis delendis Deus illum missurus erat? Id vero, quod additum est, locum nullatenus habet, cum promissio perpetuitatis Sceptri a Deo facta progeniei Davidicae expresse fuerit sub conditione, *si custodirent filii ejus testamentum* Domini ut legitur Ps. 131., *et ambularent coram Deo, sicut David ipse ambulaverat*, ut legitur l. 3. Reg. cap. 8. v. 25.

Objic. 7.ᵒ, quod ab ipso tempore captivitatis Babylonicae Sceptrum e Juda defecit; nec post eam amplius in Juda fuit, sive pro Sceptro intelligatur potestas Regia, cum nullus post eam apud Judam Rex extiterit, juxta praedictionem a Jeremia Jechoniae factam: *Audi sermonem Domini, haec dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem ... nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super*

solium David, et potestatem habeat ultra in Juda: sive pro Sceptro intelligatur summa potestas sub quavis regiminis forma, quae, soluta captivitate, fuit penes Sacerdotes, qui non erant de Tribu Juda, sed de Tribu Levi. Nemo autem ait, quod, soluta captivitate Babylonica, Messias venerit: Non igitur Iacobi oraculum de Messiae adventu intelligendum est. Ita quoque et Rabbinis nonnulli.

R. neg: maj.; per captivitatem enim Babylonicam interruptam quidem fuisse, non vero finem habuisse in Judaeis supremam potestatem, eamque idcirco interruptionem, non desitionem Sceptri in iis fuisse, evincitur 1.° ex ejus duratione 70. annorum, seu potius annorum 59, qui a deportatione Regis Sedeciae usque ad captivitatis solutionem effluxerunt; conjecto enim Joakimo, qui et Jechonias in Scripturis dicitur, in carcerem, constitutus fuit a Nabuchodonosore super Iudam, et Jerusalem Sedecias Joakimi patruus, ut constat ex fine Paralipomenon. Duratio autem 59. annorum respectu saeculorum, quibus stetit Judae imperium, nonne potius Sceptri interruptio, quam desitio, dicenda est? 2.° ex certa spe Sceptrum, illo exacto tempore, recuperandi, sicut Deus per Jer. praedixerat illis verbis c. 29. *Cum coeperint impleri Babylone septuaginta anni. . . suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum.* Quaenam autem certior spes, quam quae Dei promissionibus innitebatur? Hinc Daniel c. 9. v. 2. exhibetur attendens *ad numerum annorum, de quo factus* fuerat *sermo Domini ad Ieremiam Prophetam, ut complerentur desolationis Ierusalem septuaginta anni.* Et l. 1. Esdrae c. 1. dicitur liberatio populi facta a Cyro Persarum Rege *juxta sermonem Ieremiae.* 3.° ex eo quod captivitatis tempore relicta fuit Judaeis tum potestas suis legibus utendi, tum ipsum vitae, et necis jus, ut patet tum ex l. Esther. 16., ubi Judaei dicuntur *justis utentes legibus*, tum ex historia Susannae Dan. 13., ex quo constat, relictum quoque iis fuisse in suos jus vitae, et necis. 4.° ex eo, quod legitur l. 4. Reg. c. 25., quod Evilmerodachus Rex Babylonis, educto e carcere Jechoniae filio, qui et Jechonias, seu Joakim appellabatur, posuit *thronum ejus super thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone.* 5.° demum, quia post regiam potestatem, quae captivitatis tempore in Iu-

da defecit ; semper usque ad Herodem extitit apud Judaeos Synhedrium, de cujus institutione per Moysen juxta consilium illi datum a Jethro ejus Socero legitur Exodi c. 18., deinde de illius confirmatione, Deo jubente, legitur Deut. c. 17., de ejusdem restitutione sub Josaphat l. 2. Paralip. c. 19., de ejus demum continuatione sub Machabaeis l. 1. et 2. Mach. passim. Illud autem ex Judae Tribulibus fere omnino post captivitatem Babylonicam coaluisse, ex eo persuasum cuique esse potest, quod Tribus Levi, et Beniamin nonnisi valde exigua erat respectu Iudae ; aliarum vero Tribuum superstites non erant, nisi tamquam rari nantes in gurgite vasto ; quare ut praeclare advertit Petavius l. 16. De Inc. c. 6. n. 8., *quum de Tribus decem ab Assyriorum Rege Salmanasare longe extra fines Iudaeae deportatis loquitur Scriptura 4. Reg. 17. v. 18., sic illud expressit : Iratusque est Dominus vehementer Israeli, et abstulit eos a conspectu suo, et non remansit, nisi Tribus Iuda tantummodo : utique profecto, quia licet et Sacerdotes, et Levitae remanserint, nec non Benjaminitae, et ex aliis tribubus complures ibidem haeserint*, omnes tamen haberi poterant, velut accessiones Tribui Judae, ita ut haec sola remansisse videretur, aliaeque tamquam nec nomen servarent. Hinc etiam omnes simul Israelitae post schisma decem Tribuum, quae ad Ieroboam deflexerunt, dicuntur simpliciter *Iuda* Jer. c. 28. v. 6. *In diebus illis salvabitur Iuda*. Quo posito, quodque per Sceptrum recte possumus intelligere supremam potestatem, quaecumque sit regiminis forma, sub qua exerceatur, utique sufficit Synhedrium, quod semper usque ad Herodem extitit apud Judaeos, ut etiam usque ad id tempus Sceptrum a Iuda non defecisse dicatur ; ejusmodi enim potestatem Synhedrium habuisse, et nempe ferendarum legum, et judiciorum habendorum, et infligendarum poenarum, et deliberandi de bello, de foedere, de induciis, et quidem adeo, ut sola belli gerendi cura, et labor Machabaeis post captivitatem delegata videantur, commune est apud omnes Judaeorum Doctores, omnesque eruditos. Immo apud Joseph Ben.—Gorion *l.* 5. *c.* 4., et Josephum *Antiqu. l.* 14. *c.* 9. legitur oratio R. Samea Principis Synhedrii, qui Herodem caedis accusatum compulit ad dicendam causam coram Hircano. Ex qua oratione liquet, Synhedrium in judiciis etiam capi-

talibus majorem habuisse auctoritatem, quam Regem. Sed et de hoc inferius; nam licet multi, ex quibus Galatinus *l.* 4. *de Arcanis Catholicae veritatis*, Paulus Burgensis *in Genesim*, Tostatus *qu.* 31. *et* 32. *in c.* 21. *Num.*, Cornelius a Lapide *ibidem*, Laurentius Berti; aliique praefato modo explicent durationem Sceptri in Iuda post captivitatem Babylonicam; ac satis profecto, maxime ad revincendos Iudaeos, qui et Synhedrii extantiam usque ad Jerosolymitanum excidium tuentur, et ejusdem potestatem etiam plus aequo extollunt: non contemnendis tamen difficultatibus utrumque subjacet, ut videbimus cap. sequ., ubi alia idcirco incedentes via nodum satius solvemus.

Objic. 8.° aliud, quam Messiam, in Jacobaeo oraculo per *Schiloh* significari: sed 1.° posse Moysen intelligi, cum litteris aequivaleant secundum valorem arithmeticum acceptis; ideoque mutuo substitui possint. Porro cum Moyses dicatur Rex Deut. 33. v. 5., Sceptrum proinde in ejus adventu a Tribu Iuda transiit ad Tribum Levi, e qua erat Moyses. 2.° posse per *Schiloh* intelligi Saulem, quippe qui unctus fuit in Silo. Cum autem fuerit de Tribu Beniamin, in ejus proinde elatione in Regem transiit Sceptrum de Tribu Iuda ad Tribum Beniamin. 3.° per *Schiloh* posse intelligi Davidem, quippe qui fuit insignis Iudae filius; utque supra diximus, *Schiloh* potest qnoque filium significare. Cum autem vox *Sur*, quae vertitur in *auferetur*, possit quoque accipi pro *accedere*, nihil obstat, quin Iacobaeum oraculum possit proinde verti: *Non accedet Sceptrum ad Iudam, donec veniat David insignis Iudae filius.* 4.° per *Schiloh* posse intelligi Tabernaculum Silo, positum scilicet in Urbe Silo; cum enim vox *Sur*, ut diximus, possit quoque accipi pro *accedere*, et vox *bo*, quae vertitur in *veniat*, pro *occidere*, seu *occumbere*, nihil quoque obstat, quin Iacobaeum oraculum ita accipiatur: *Non accedet Sceptrum ad Iudam, donec occidat Silo.* Apprime autem hoc modo acceptum cum eventu consonat, Sceptrum namque ad Tribum Iuda accessit, cum defecit Tabernaculum Silo, ut dicitur Ps. 77. *Repulit Tabernaculum Silo. . . . Et elegit David servum suum.* 5.° per *Schiloh* intelligi etiam posse Salomonem, qui per excellentiam appellatus fuit *paci-*

ficus, quod et significat *Schiloh*. Ac 6.° etiam Ieroboam, utpote qui creatus fuit Rex in Silo. Consonat autem oraculum cum eventu, quia post mortem Salomonis ex 12. Israelis Tribubus decem ex iis deflexerunt e Roboamo ad Ieroboamum, ac utique dici potest Sceptri defectio in Tribu Iuda deflexio ab ea non minus, quam decem Tribuum, solis duabus superstitibus. 7.° per *Schiloh* intelligi etiam posse Nabuchodonosorem, qui profecto fuit a Deo Missus, ut in peccatorum poenam Templum, ac Civitatem everteret, et populum in captivitatem duceret; utque diximus, recte *Schiloh* vertitur in *missum*, seu mittendum. Tunc autem Sceptrum in Juda defecisse, quis nescit? Liquido ergo inferri nequit ex Jacobaeo oraculo, Messiam advenisse. Ita quoque ex Rabbinis plurimi ad evadendum Jacobi vaticinium.

R. neg. ant., et cons. Et quidem ad praefatas omnes commentitias prorsus interpretationes satis dictū esset, quod et Paraphrases, et Versiones, et Interpretes omnes *Schiloh* sumpserint per Messiam. Sed respondendo ad singula, nullatenus per *Schiloh* posse Moysen intelligi, patet 1.° ex eo, quod a Jacobo ad Moysen nec Tribus Juda, nec caeterae Tribus ullam supremam potestatem habuerint, sed dura fuerint sub servitute in Ægypto; per quem proinde quomodo dici potest, quod Sceptrum ablatum fuerit de Iuda? 2.° ex eo quod Moyses dici nequit *expectatio gentium*, quippe qui populi Israelitici Dux tantum fuit. 3.° ex eo quod Iacob futura praedixit filiis suis, postquam promissionis Terram ingressi essent, ac *in novissimis diebus*. Moyses autem floruit, antequam Israel promissionis Terram adeptus esset, ac tempore a Iacobi aetate non longe dissito. 4.° demum ex eo quod nil futilius, quam personas sibi mutuo substituere, propterea quod earum nomina litteris aequivaleant secundum valorem arithmeticum acceptis; si enim id locum haberet, ut sapienter disserit Huetius Demonstr. Evang. prop. 9. c. 4. n. 15., *ex quocumque Scripturae loco sexcenta ejusmodi figmenta quivis queat extundere*.

Ad 2.m, neque etiam per *Schiloh* intelligi posse Saulem; patet 1.° ex eo quod falsum est, Regem creatum fuisse in Silo, cum unctus in Regem fuerit in Ramataimsophim ex I. 1. Reg. c. 8., 9., et 10., renun-

ciatus in Maspha, et confirmatus in Galgalis. 2.° ex eo quod numquam ante Saulem Tribus Iuda Sceptrum, seu supremam potestatem habuerit, sed post Saulem, quum nempe David insignis Iudae filius fuit in Regem elatus. 3.° cum nil futilius, quam quod Saul fuerit *expectatio gentium*, quodque per *Schiloh* intelligi possit Saul ungendus in Silo?

Ad 3.m neque etiam per *Schiloh* intelligi posse ipsum Davidem, nemo ibit inficias, qui advertat, 1.° per Iudae filium antonomastice nonnisi omnium clarissimum accipi posse, qualis solus erat Messias e Iuda oriturus. 2.° neque etiam de Davide dici posse, quod fuerit *expectatio gentium*. 3.° quod vox *Sur* numquam accessum, sed recessum significat, nisi tantum, ubi mentio fiat termini *ad quem*, quod deest in Jacobaeo oraculo; quare omnes Versiones reddiderunt per illam: *Non auferetur.*

Hinc patet quoque responsio ad 4.m. Quibus accedit, 1.° quod vox *bo* semper significat *ire*, *intrare*, *adire*, numquam vero *occidere*; ac tantum aliquando applicatur ad Solis occasum, quia dum Sol alicubi occidit, videtur alias Terras adire. 2.° quod cum translata fuit Arca a Silo, nec David, nec Saul ipse inunctus fuerat in Regem, ut patet ex l. 1. Reg. c. 7., 8., et sequen.

Hinc quoque patet responsio ad 5.m, tum quia nomine *pacifici* per excellentiam nequit profecto Salomon intelligi; tum quia nec etiam de eo dici potest, quod fuerit *expectatio gentium*; tum quia numquam magis, quam in diebus Salomonis, claruit, ac floruit in Iuda Sceptrum.

Accedit quoad 6.m, inscite prorsus dici, quod per deflexionem decem Tribuum e Iuda Roboami tempore defecerit in ea Sceptrum, cum per 492. annos usque ad Babylonicam captivitatem in Davidis posteris floruerit. Item Ieroboam elatum fuisse in Regem, non in Silo, sed in Sichem, ut evidenter constat ex 3. Reg. c. 12. Ac demum absonum, immo insanum dictu esse, quod omnium Regum Israelis pessimus fuerit *expectatio gentium*.

Quoad 7.m vero accedit, aeque absonum, ac insanum dictu esse, quod fuerit *expectatio gentium* Nabuchodonosor, gentium potius terror, et vastator; quodque nomine *Schiloh*, idest *Mittendi* per excellentiam potuerit

designari, cum taliter nonnisi promissus Messias fuerit semper appellatus.

Objic. 9.°, quod nec Christus Jacobi oraculo usus fuit ad sui Missionem probandam, nec ullibi reperire est, quod vel eo usi fuerint Apostoli. Nonne autem eo et Christus, et Apostoli usi essent, si Messiam respiceret? Non ergo hunc respicit. Ita demum aliqui ex Rabbinis.

R. 1. neg. maj.; quia Christus remittens Judaeos ad Scripturas, et inquiens ad eos Jo. 5. *Scrutamini Scripturas; illae sunt, quae testimonium perhibent de me*, id satis fuit. 2.° neg. min.; tum quia Christi tempore invaluerat, ut diximus, apud Judaeos, tempus Messiae jam advenisse, quod proinde iis ex Jacobaeo oraculo suadere superfluum fuisset; tum quia Sceptrum a Iuda defecisse, non erat tunc temporis plane exploratum, et evidens.

CAPUT II.

De modo explicandi, quomodo Sceptrum in Iuda permanserit usque ad Christi adventum.

Cum per quingentos fere annos post captivitatem Babylonicam non fuerit amplius Judaeorum Regimen Monarchicum, sed, ut testatur Josephus *l.* 11. *Antiqu. c.* 4. *et l.* 20 *c.* 10., Aristocratico temperatum, et Democratico permixtum; nec penes Tribum Iuda, sed penes Tribum Levi, seu Sacerdotes, e quorum genere erant Assamonaei, seu Machabaei, qui per ducentos fere annos praefato modo praefuerunt usque ad Herodem, ac affectare tantum coeperunt regiam dignitatem versus annum 106. ante aeram vulgarem: non levis exurgit difficultas, quomodo Sceptrum, vel saltem, quae per illud significatur, suprema potestas in Iuda post captivitatem manserit. Et sane si post id tempus, qui populo praefuerunt, Sacerdotii muneribus fungebantur, profecto non erant Tribules Iudae, sed Levi, cum cautum esset Num. c. 16., ne aliquis, qui non fuisset *de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino* accessisset. Quotquot autem deinde praefuerunt populo, Sacerdotii munera obiisse, nemo in dubium potest vertere: Levi ergo tribules.

Praesertim vero, quod Mathatias, qui fuit Assamo-

naeorum parens, fuerit, non de Tribu Iuda, sed de Tribu Levi, ex eo etiam adversus Genebrardum perspicuum fit, quod *l.* 1. *Mach.* *c.* 2. dicitur filius Joannis filii Simeonis, qui fuit Sacerdos ex filiis Joarib, cujus familiam fuisse Leviticam, constat ex *l.* 1. *Paralip.* *c.* 24.; ac ibidem ipse Mathatias e Phinee ortum se dicit, fuitque Phinees Eleazari filius, Aaronis nepos. Quod autem dicitur l. 1. Mach. c. 15. *Viri Iuda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israel*, non de Assamonaeis, ut sentit Genebrardus, sed de iis, qui Judam Machabaeum secuti fuerant, quique idcirco *viri Juda* vocantur, intelligendum est; ut confirmat quoque Codex Graecus, ubi ita legitur: *Et vir Iudas; et fratres ejus glorificati sunt valde in conspectu omnis Israel.*

Quibus positis, quomodo explicandum sit, Sceptrum in Iuda permansisse usque ad Christi adventum, valde inter se Theologi decertant, ac in varias abeunt sententias.

Et 1.° Baronius *in Apparatu n.* 4., Lyranus, Tostatus, Tirinus, aliique, illud in Iuda permansisse, inquiunt, quia etsi Machabaei fuerint paterno genere ex Tribu Levi, materno tamen genere e Tribu Iudae descendebant; nam ex una parte Tribus Iuda, et Levi connubii foedere non semel inter se sociatas esse, patet tum ex Aaronis exemplo, qui filiam duxit Aminadab, ut habetur c. 6 Exodi, tum exemplo Iojadae Pontificis, qui filiam duxit Iorami Regis, ut habetur Paral. l. 2. c. 22; ex altera vero, si nullo legitimae successionis jure pertinuissent Machabaei ad Tribum Iuda, de Imperii usurpatione arguendi essent; quod tamen iis nemo vitio vertit.

2.° Pererius *in c.* 49 *Genes.*, Tournelius *in praelect. De Incarn. qu.* 3. *art.* 1., Casaubonus inter Protestantes *exercit.* 1. *in Baron.*, etc., Iacob, inquiunt, promisisse Sceptrum usque ad Messiae adventum, non quidem soli Judae Tribui, sed toti Jsraeli; ac soli Iudae locutum fuisse, quia prophetico spiritu, quo plenus erat, praevidebat, 1.° Tribum Iuda potituram fore Sceptro, magis quam caeterae Tribus, nempe per quingentos annos. 2.° totam Nationem, postea quam e captivitate Babylonica in Terram Patrum suorum remeasset, nomen Nationis Iudaicae adepturam fore, 3.° futu-

rum post id tempus, quod licet persona tenens Sceptrum non esset ex Iuda, *ipsum Regnum tamen* (ut loquitur Pererius), *et ditio Regni, Civitas Regni, et subditi ei Regno ad Tribum Iudae pertinerent*. Hinc ad conciliandum vaticinium cum eventu, tametsi, pergunt, post captivitatem Babylonicam, quotquot rerum summam inter Iudaeos administraverunt, non fuerint ex Tribu Iuda orti, quia tamen usque ad Herodem non fuerunt umquam alienigenae, sed de Nationis sinu, seu de semine Israel, bene quidem eventus vaticinio respondit.

3.° Eusebius Caesariensis *l.* 8. *Demonstr. Evang.*, cumque eo et alii accipiunt pro Sceptro, de quo Iacobaeum oraculum loquitur, honoris tantum, ac dignitatis praeeminentiam; ex quo ducunt, utique eventum vaticinio respondisse, quia licet post captivitatem Babylonicam suprema potestas non fuerit penes Iudam, semper tamen Tribus Juda honoris, ac dignitatis praeeminentiam super caeteras Tribus obtinuit.

4.° Cajetanus *in c.* 49. *Genes.*, Canus *l.* 2. *De Loc. Theol. c.* 11., *Huetius Demonstr. Evang. prop.* 9. *c.* 4. *n.* 7., etc., pro Sceptro, inquiunt, de quo Jacob locutus fuit, non quidem ipsius Sceptri usum, atque exercitium, sed ejus proprietatem, seu jus intelligendum esse. Hinc utique eventum vaticinio respondisse, quia licet post captivitatem Babylonicam Tribules Levi, non vero Iudae Tribules supremam potestatem exercuerint, apud Iudae Tribules tamen mansit semper illius potestatis proprietas, seu jus. Addit vero Huetius, distinguendum esse in Iacobi vaticinio inter ejus membra, primumque ejus membrum *Non auferetur Sceptrum de Juda* ad spiritalem Messiae Regnum referri; alterum *Et Dux de femore ejus* ad temporale Iudae imperium, atque hujus jus fuisse in Iuda usque ad Christi adventum, licet usus fuerit penes eos, qui erant de Sacerdotali genere, idque significari per subsequens membrum *donec veniat; qui mittendus est*; postremum vero vaticinii membrum *Et ipse erit expectatio gentium* ad spiritale Messiae Regnum, perinde ac primum, referri, per ipsumque significari, quod ejus Regnum spiritale numquam fuisset desiturum, sed aeternum.

5.° Galatinus *l.* 4. *De arcanis Cathol. verit.*, Paulus Burgensis *in Genesim*, et alii, pro Sceptro, de quo oraculum Iacobaeum loquitur, potestatem Synhedrii, in-

quiunt, esse intelligendam; ex quo ducunt ad conciliandum vaticinium cum eventu, quod licet post captivitatem Babylonicam Iudaeorum Principes fuerint de Tribu Levi, potestas tamen Synhedrii, quae erat omnium suprema, quaeque a Moyse instituta permansit usque ad Herodem, numquam fuit, nisi apud Judae Tribules, e quibus solis Senatus ille coalescebat.

6.° Scherlochius Episcopus Anglicanus *in Diss. de benedict. a Iacobo data filio suo Juda*, Basnagius *in hist. Judaeor. l.* 5. *c.* 4., aliique contendunt, pro Sceptro, de quo Jacob vaticinatus fuit, meram illam potestatem intelligendam esse, quae in unaquaque Tribu habebatur, eamque bene constitutam reddebat. Quae ambo cum fuerint in Tribu Juda usque ad Christi tempora, utique eventus cum oraculo respondit, licet suprema potestas non fuerit amplius post captivitatem Babylonicam apud Iudae Tribules.

Petavius tandem *l.* 16. *De Incarn. c.* 6., *et* 7., Cornelius a Lapide *in c.* 49. *Gen.*, Calmetus *in Comment. Sacrae Script.*, Vitassius *in tract. De Incarn. qu.* 3. *art.* 1. *sect.* 1. *c.* 2., aliique, quibus et nos adhaeremus, Sceptrum, de quo agitur in Jacobi oraculo, supremam, inquiunt, significari potestatem, cujus est insigne, quaecumque sit regiminis forma, sub qua exerceatur; eamque vero sensu a Davide usque ad Christi adventum in Iuda stetisse, non obstantibus tam brevi captivitatis tempore, quam Levitarum post id tempus Regno. Quibus praemissis,

Refellitur 1.° *sententia Baronii*, *etc.*

Si enim, sicut gratis asseritur, Machabaeos fuisse Materno genere ex Juda, ita gratis negatur; si licet fuerint Materno genere ex Juda, neque etiam id satis est ad dicendum, quod, iis regnantibus, Sceptrum ex Iuda non discesserit; si demum, licet id satis esset, neque etiam in tali hypothesi conciliatur Iacobaeum oraculum cum eventu: quisnam ei poterit sciens adhaerere? Primum autem, idest Machabaeos fuisse Materno genere ex Juda, omnino gratis asseritur, cum neque ex Scriptura, neque ex Judaeorum historia colligatur. Nec quidquam facessit, quod si nullo legitimae successionis jure ad Tribum Juda pertinuissent, Imperium usurpassent, de quo nemo eos arguit; argui enim de hoc non poterant, quia, ut

legitur *l.* 1. *Mach. c.* 9., *et c.* 13., communibus totius populi suffragiis electi fuerunt, ut imperarent.

Quamvis tamen fuissent Materno genere ex Juda, neque etiam, ut secundo loco diximus, id satis esset, ut, iis regnantibus, dicatur, Sceptrum e Juda non discessisse: 1.° quia licet fuerint Materno genere ex Juda, sicut connubii foedus eorum Sacerdotium in Judam non transtulisset, ita nec Sceptrum in Judam potuisset transferre. 2.° quia si Maternum Judae genus in Machabaeis satis esset ad dicendum, quod, iis regnantibus, Sceptrum e Juda non discesserit, satis quoque ad dicendum esset, quod Christus fuerit de Tribu Levi, e qua B. Virgo Maternum genus ducebat; quodque ipsi Herodis filii ad Judam pertinuerint, utpote ex Mariamne Machabaeorum filia prognati. 3.° quia nemo ignorat, Matris familiam numquam familiam fuisse, quemadmodum etiam in Talmude dicitur. Perperam vero objicitur, scribit Petavius *l.* 16. *De Incarn.* c. 7. n. 2., *Christum solo Materno genere Tribum Judae contingere. Hoc enim inusitati, et extraordinarii est exempli, quod ad ordinariam legem, et institutum trahi non debet. Ut si dicenti cuipiam, neminem mortalium, nisi ex utroque parente, nasci, Adamum ex neutro, vel Christum ex Matre sola prognatum opponeret.*

In ipsa demum hypothesi, quod Machabaei fuerint Materno genere ex Juda; quodque id ad dicendum sit satis, quod, iis regnantibus, Sceptrum e Juda non discesserit, neque etiam, ut postremo loco diximus, oraculum cum eventu conciliatur: 1.° quia illa verba *de femore Judae* non maternam, sed paternam stirpem significant, cum designet generationis stipitem, ac rectam descendentium prognationem. 2.°, quia declarandum superesset, quomodo in Juda manserit Sceptrum, toto illo tempore, quo ante Machabaeos post solutam captivitatem, idest ab anno Mundi 3475. usque ad annum 3837. alii praefuerunt.

Refellitur sententia Pererii, Tournelii, etc.

Nam 1.° solam Judae Tribum, ac praecise ab aliis Tribubus, Jacob respexisse, non vero totam Nationem, ut ipsi sentiunt, patet tum ex verbis vaticinium praeceden-

tibus : *Juda, te laudabunt fratres tui*, quibus Judas a caeteris ejus fratribus distinguitur; tum ex ipsius vaticinii verbis *de femore ejus*, sive, ut habet lectio hebraica, *de inter pedes ejus*, quae circumlocutio, ut scite advertit Laur. Berti, significat posteritatem, et honesta phrasi genitalia ipsa describit, ut liquet ex Deut. c. 18., ubi de secundinis legitur: *Quae egrediuntur de inter pedes ejus*; tum demum ex contextu, quod Jacob morti proximus *singulis filiis suis benedixit benedictionibus propriis*. 2.° adversatur Patribus, qui in Jacobaeo oraculo per Judam ipsos ex Juda progenitos interpretati sunt. Ita nempe D. Justinus *Apol.* 1., Origenes *hom.* 17. *in Gen.*, D. Cyrillus Hierosol. *Cath.* 12. *De Christo Incarnato*, D. Epiph. *in haer. Ebion.*, D. Hieron. *in c.* 1. *Sophon.*, D. Aug. *l.* 12. *contra Faustum* c. 47. aliique. Ac demum 3.°, quia si prophetiae contextus, ipsis non diffitentibus, solam Iudae Tribum respicit, solam quoque Iudae Tribum respicere ipsum prophetiae textum, dicendum est.

Refellitur sententia Eusebii Caesariensis.

Et quidem duo ad id sufficiant; 1.° scilicet quod vox *Schebet*, quam habet Textus, ubi vulgata Latina legit *Sceptrum*, cum absolute, et sine addito usurpetur, nequit meram honoris, ac dignitatis praeeminentiam significare, sed potestatem omnium maximam, seu supremam offert. 2.° vox *Princeps*, qua utuntur Septuaginta Interpretes, *Imperium*, quod habet Versio Persica, *habens principatum*, qua dicendi ratione utitur Paraphrasis Chaldaica Onkelos, supremam quoque potestatem offerunt, non vero aliam huic inferiorem, eoque minus meram honoris praestantiam.

Refellitur sententia Cajetani, Cani, Huetii, etc.

1.° enim Sceptri defectio designatur in Jacobaeo oraculo, tamquam nota, character, et criterium adventus Messiae. Ejusmodi autem nota, character, criterium esse non poterat, nisi quid sensibile, et conspicuum, ut nempe per illud Messiae adventus dignosceretur, cujusmodi non est profecto merum jus ad Sceptrum, utpote quid insensibile, inconspicuum, et innumeris litigationibus obnoxium: Non ergo per Sceptrum merum ad illud jus in Jacobaeo oraculo intelligendum. 2.° quia criterium cujusvis rei esse non debet quid obscurius, sed quid illustrius re, cujus est criterium; secus quippe per illud quomodonam res dignosceretur? Ius autem ad Sce-

ptrum obscurius profecto fuisset ipsius Messiae adventu: Non ergo Sceptrum, de quo Jacob locutus fuit, per ejusmodi jus accipiendum est. 3.° quia juxta hanc hypothesim ad conciliandum vaticinium cum eventu, dicitur quod Tribus Juda post captivitatem Babylonicam usum quidem Sceptri, non tamen jus ad illud amisit. Jam vero si amisisset tunc temporis usum Sceptri, ipsum quoque jus ad illud amisisse, dicendum esset, simul namque cum ejus usu omnem quoque amisisset illud recuperandi spem, quippe quae nec alicui Dei promissioni, nec Messiae adventui innitebatur; quaenam siquidem quoad 1.m haec Dei promissio? Quoad alterum vero, futurusne erat Messias juxta Prophetarum oracula Rex quidam temporalis, an potius spiritualis? Neque ergo juxta illam vaticinium cum eventu conciliatur, ex quo etiam capite, tamquam inanis, est rejicienda. 4.° quia Vaticinii verba intelligenda non sunt sensu ab omnium populorum usu, et acceptione aliena. Ita autem intelligerentur, si per Sceptrum, de quo Jacob locutus fuit, merum ad illud jus acciperetur; amisso enim ejus usu, ac maxime per saecula, à tempore scilicet captivitatis Babylonicae, quin umquam amplius recuperatus fuerit, amissum quoque ipsum jus ad Sceptrum ab omnibus intelligitur. Hinc demum 5.° manifesta vis Iacobaeo oraculo infertur, accipiendo Sceptrum Tribui Judae à Jacobo praenuntiatum usque ad Messiae adventum pro mero ad illud jure.

Accedit contra id, quod addit Huetius, 1.°, neminem umquam seu Christianorum, sive Judaeorum intellexisse per Sceptrum in Jacobaeo oraculo spirituale Messiae Regnum in aeternum mansurum, sed omnes semper per illud temporalem intellexisse principatum. 2.° quod et contextus ipsius vaticinii confirmat, nonnisi hunc per illud intelligendum esse, totius namque vaticinii contextus tam antecedenter, quam consequenter, nonnisi caducum, et temporalem principatum offert; antecedenter nempe de fortitudine, et victoriis a Juda reportandis, consequenter de uberrate regionis, quam per eas adepturus esset, loquendo. 3.° quod adverbium *donec* aeque ad primum, ac ad subsequens vaticinii membrum refertur; quodque, illud desitive esse accipiendum, ostendimus cap. ant. resp. ad 3.m. 4.° quod si desitive ex ipso Huetio est accipiendum, dum refertur ad verba *et*

dux de femore ejus, eodem quoque modo est accipiendum, dum referatur ad verba immediate antecedentia *Non auferetur Sceptrum de Juda*, nullum namque exemplum afferri potest, quod vox semel tantum posita duplici, eoque contrario donetur sensu.

Refellitur sententia Galatini, Pauli Burgensis, etc.

Quamvis enim haec videatur Jacobaeum oraculum cum eventu, quantum satis est, componere, cui proinde adhaeret prae aliis Laur. Berti in suis Theologicis Disciplinis; ut tamen innuimus cap. ant. resp. ad 7.m in fine, suas quoque difficultates, ac eas non contemnendas, patitur: nam 1.º supponit, ex solis Judae Tribulibus Synhedrium coaluisse, ejusdemque potestatem fuisse supremam. Neutrum autem est exploratum: 1.m enim adversari videtur illis Scripturae verbis, quibus Deus jussit Moysi institutionem Synhedrii ex omni Jsrael; *Congrega mihi* (illi inquiens) *septuaginta viros de Senibus Israel, quos tu nosti, quod Senes populi sint* (*Numer.* 11.): Alterum, non cohaerere cum facto, cum neque unus ex Regibus Iudae fuerit umquam ad Synhedrii disquisitionem vocatus, quamvis plurimi ex iis gravissime deliquerint, pravasque in populo consuetudines induxerint. 2.º supponit, quod Synhedrii institutio facta fuerit in perpetuum a Moyse, quodque ab ista Moysis institutione sumpserit exordium magnus ille Judaeorum Senatus, cujus cunctos Iudices Herodes, uno excepto, interfecit. Neque autem id satis constat; sive enim de pace, sive de bello, sive de civilibus, sive de sacris, sive de abusibus tollendis, sive de novis Ordinationibus constituendis actum fuerit sub Judicum, Regum, Ducumque post captivitatem imperio, nulla fit mentio in Scripturis de hujusmodi Senatu ante Machabaeorum tempora. Hinc, ut opinatur Petavius *De Doctr. temp*, *l.* 2. *c.* 26., illius origo videtur manasse a Gabinio, dum Pompei legatus Hircanum restituit; Calmetus vero *in Dissert. de politia Hebraeorum initio Comment. in lib. Num.*, et Basnagius *l.* 6. *Hist. Judaeorum c.* 1. *art.* 13. Judae Machabaei, vel Jonathanis fratris ejus principatui initia Synhedrii assignat. 3.º videtur quoque contra hanc sententiam pugnare, quod Moyses ordinem judiciorum in Terra promissa reddendorum instituens, non ad Synhedrium causas majores ultimo cognoscendas retulit, sed, ut legitur Deut. 16., *ad Sacerdotes Le-*

vitici generis, *et ad Iudicem* (seu Summum Sacerdotum, ut Vatablus ex Judaeis explicat), *qui fuerit eo tempore*,

Refellitur sententia Scherlochii, *Basnagii*, *etc.*

Nam 1.° ejusmodi interpretatio opponitur contextui, consequenter enim ad fortitudinem, et victorias, de quibus in contextu fit sermo, imperium, ac dominatio absoluta habetur, non vero exilis illa, ac communis potestas cuique Tribui propria. 2.° quia ubicumque vox *Schebet*, cujus loco in Vulgata Latina legitur *Sceptrum*, significat in Scripturis Tribum, ad hanc significationem semper ab adjunctis determinatur, ac praesertim ex adjectione appellationis *Tribus*, ut Gen. 49. v. 16., et 28., Num. 32. v. 33., et c. 36. v. 3., Deut. 3. v. 13. et c. 10. v. 3., et c. 18. v. 1., l. 1. Reg. 10. v. 21., et l. 3 c. 12. v. 21, l. 1. Paralip. c. 27. v. 16., et passim alibi. Ubinam autem ejusmodi adjectio, vel quid simile in Iacobaeo oraculo? 3.° quia adversatur Versionibus, et Scripturae Interpretibus, ex quibus Septuaginta Interpretes habent: *Non deficiet Princeps ex Iuda*; Versio Persica: *Non recedet imperium a Iuda*; Paraphrasis Chaldaica; *Non auferetur habens principatum de domo Iuda*, etc. Quaenam autem significatio sit magis textui consona, solide profecto statuitur Veterum traditione, quibus vis, ac potestas verborum linguae hebraicae magis, quam nobis, perspecta erat, ac maxime cum a quingentis fere annis ante aeram Christi in solis sacris bibliis sit hebraeus sermo superstes. 4.° demum, quia interpretatione, quam refellimus, posita, sensus Iacobaei oraculi esset: *Non auferetur Tribus de Tribu Juda*, quem nemo profecto non rejiciet; quamvis enim in hebraico idiomate non raro occurrant ejusmodi redundantiae, quas sermonum periti hebraismos vocant, fas tamen non est, eas pro arbitratu comminisci, ac maxime tum nulla cogente necessitate, tum contradicentibus omnibus Versionibus, et Scripturae Interpretibus.

Inquiunt quidem Adversarii 1.°, quod quaestio, de qua agitur, non est quaestio facti, ut idcirco probanda sit hominum testimonio; ideoque argumentum ex Versionum, et Interpretum auctoritate ductum nullius momenti reputandum est. 2.° quod omnes consentiunt, nomine *Schebet* in Scripturis baculum designari quinquagies,

Tribum duodecies, vel quindecies, Sceptrum ter, aut quater; ideoque probabilius eadem vox *Schebet* interpretanda quoque est in Jacobaeo oraculo pro Tribu, quam pro Sceptro. 3.° quod Jacob filios suos benedicens, eos instituit totidem Tribuum Principes, quarum unaquaeque suis Tribulibus jus diceret, ut colligitur 1.° ex ejus verbis ad Dan ibidem: *Dan judicabit populum suum, sicut et alia Tribus in Israel.* 2.° ex illis ejusdem Jacobi verbis: *Ephraim, et Manasses, sicut Ruben, et Simeon, reputabuntur mihi;* non enim, nisi ipse filios suos instituisset totidem Tribuum Principes, Ephraim, et Manasses duas distinctas Tribus constituissent, sed unam tantum, utpote ambo unius Josephi filii. 3.° ex c. 5. Exodi, ubi legitur, quod Moyses jussa Dei pertulit ad seniores Israel, penes quos erat rerum administratio; ex quo patet, quod jam ante Moysen isti Seniores Israel extiterant, idest Tribuum Principes. 4.° demum ex eo quod nullum institutionis Tribuum vestigium in aliis Scripturae locis deprehenditur. Si autem Jacob filios suos benedicens, eos instituit totidem Tribuum Principes, pronum profecto est inde inferre, quod praenuntians Judae, nunquam de eo ablaturum Sceptrum usque ad Messiae adventum, probabiliter locutus fuit de Principatu cuique Tribui proprio; maxime cum Regibus illius temporis pares potestate fuisse Tribuum Principes, ex eo quisque potest colligere, quod, ut legitur Gen. 14., Abraham cum solis 318. servis suis, suorumque amicorum quibusdam auxiliariis copiis, quatuor Reges vicit, quodque terra, quam inter se Tribus sibi divisere, non minus, quam triginta duobus Regibus parebat.

Respondetur tamen ad 1.m quod utique dici potest quaestio facti, quamnam ideam voci *Schebet* Hebraei alligaverint: ac maxime, cum sermo hebraeus a bis mille, et amplius annis, idest a captivitate Babylonica, in solis Sacris Bibliis sit superstes. Ad 2.m, quod cum vox *Schebet* proprie accepta nonnisi baculum significet, hinc omnes quoque consentiunt, eam tam accipi improprie, quum accipitur pro Sceptro, quam quum accipitur pro Tribu; ideoque rectam ejus significationem ex contextu, et adjunctis petendam esse. Tam contextus autem, quam adjuncta nos cogere, ut illam pro Sceptro accipiamus in Jacobaeo oraculo, jam ostendimus. Ad 3.m demum falsum esse, quod Jacob filios suos benedicens, eos instituerit to-

tidem Tribuum Principes. Et sane, si eos totidem Tribuum Principes instituisset, hoc certe Principatu potiti essent ab ejusdem Jacobi obitu; cum tamen Exodi c. 18. legatur, quod ante consilium datum Moysi a Jethro, ipse Moyses, nemine obmurmurante, solus cuncta agebat; ac si postea in populo extiterunt Principes, qui faciliora judicassent, id fuit ex ipsius Moysis institutione, qui, suggerente Socero suo, potestatis judicialis, quae penes eum tota, et semper fuerat, alios participes fecit. Nec momenta allata facessunt; ad 1.m enim dicimus, quod illorum verborum *Dan judicabit populum suum* sensus est, ut Vatablus interpretatur, quod ex Tribu Dan futuri essent Judices, ex quibus Samson; illorum verborum vero, *sicut et alia Tribus in Israel*, eodem Interprete, hic qui sequitur: *Si quae alia sit, quae judicet, et ipsa judicabit.* Ad 2.m, id solum Jacob illis verbis statuisse, ut Ephraim, et Manasses filii Joseph, cui tam debebant, atque obstrigebantur ejus fratres, duplicem partem in Terra promissionis obtinerent. Ad 3.m, per Seniores illos nonnisi Viros pietate, sapientia, aetate, ac paterna auctoritate praestantes intelligendos esse; ad quos jussa Dei pertulit Moyses, cum fas non esset, ut ad plebem, infantes, et Mulieres illa perferret. Ad 4.m vero, Tribuum institutionem manifeste haberi Exodi 34., ubi populus a suis Ducibus manifeste distinguitur. Caeterum quaevis fuerit, et quonam tempore facta haec institutio Tribuum, eas tamen potestatem non habuisse, quae per vocem *Schebet* sine addito exprimitur, evidens est ex dictis; ideoque et evidens, quod de ejusmodi potestate Jacobaeum oraculum intelligendum non est. Nec quia Reges illius temporis non omnes valebant viribus, adeo ut nostri Reges, potest ideo vox *Schebet* in Jacobaeo oraculo ad illam exilem potestatem cuique Tribui propriam restringi; quod enim eorum dignitas, et potestas nostrorum Regum dignitati, ac potestati aequaretur, tum ex antiquis monumentis, tum ex ipsis Sacris Litteris, quae iisdem verbis ejusmodi Principum dignitatem designant, quibus Regum Ægypti, et aliorum potentissimorum conditionem exprimunt, luculenter patet. Rejectis proinde praefatis opinationibus, sit modo

Prop. Caeteris verisimilior, ac praeferenda est Petavii, aliorumque sententia; nomine scilicet Sceptri supremam significari potestatem, quaecumque sit regimi-

nis forma, sub qua exerceatur; eamque vero sensu a Davide usque ad Christi adventum in Juda stetisse, non obstantibus tam brevi Babylonicae captivitatis tempore, quam Levitarum post id tempus Regno.

Probatur. Et 1.°, quod nomine Sceptri recte intelligatur potestas suprema, quaecumque sit regiminis forma, sub qua exerceatur, ex eo evidens est, quod cum Sceptrum non aliud sit, quam supremae potestatis Symbolum, seu insigne; quemadmodum proinde signum convenit cum re significata, ita et Sceptrum cum suprema potestate convenit, eamque exprimit. Quod vero ejusmodi potestas vero sensu a Davide usque ad Christi adventum in Juda steterit, non obstantibus tam brevi Babylonicae captivitatis tempore, quam Levitarum post id tempus Regno, quisque sibi suadebit animadvertens,

1.° quod initium Sceptri a Jacob Judae praenuntiati bene affigi potest temporibus David, tum quia ipse Jacob expresse advertit, se ea praedicere, quae *novissimis diebus* erant filiis suis eventura; tum quia Sceptri exordia capienda non esse statim ab edito vaticinio, sed post ingressum in Terram Chanaan, ipse contextus ostendit, ubi sermo est de Juda in uberi, ac fertili Terra jam posito; tum demum, quia non de initio Sceptri ibi agitur, sed de ejus fine, ac cessatione. Nihil proinde refert, quod a morte Jacob, et ab edito vaticinio usque ad Davidem anni fere triginta supra sexcentos, immo juxta Eusebium fere mille transierint; medioque hoc tempore 1.° Hebraei de Ægypto egressi paruerint Moysi, et Iosue, quorum primus erat de Tribu Levi, alter de Tribu Beniamin; deinde per quadringentos circiter annos Judicibus, ex quibus, excepto Othoniele, et Abesane, nemo alius fuit de Tribu Juda; post Judices vero Regibus, quorum primus fuit Saul de Tribu Beniamin, secundus vero David, cujus posteri Sceptro potiti sunt per quadringentos viginti octo annos usque ad Sedeciam a Nabuchodonosore Babylonem deportatum.

2.° quod cum captivitas Babylonica non duraverit, nisi septuaginta annis, ac Judaei per id tempus et firmissimam spem in Dei promissionibus fundatam habuerint revertendi quam cito in Ierusalem, ac recuperandi pristinum tam libertatis, quam potestatis statum; et suis quoque, quantum sat erat, usi fuerint legibus, ut expresse testatur liber Esther cap. 16., et manifeste pa-

tet ex Susannae historia : nequit idcirco , ut cap. quoque antecedenti advertimus , ipsa captivitas Babylonica, velut cessatio , et abolitio Sceptri in Iuda haberi , sed tantum, velut ejus intermissio , et interruptio. Qua super re , ne idem repetere cogamur , consulantur quae scripsimus *cap. ant. resp. ad 7. pag.* 35., *et sequ.*

3.° quod post captivitatem Babylonicam rursum Iudaeorum Natio in florentissimam coaluit Rempublicam ; ut patet tum ex ipsis Prophetarum oraculis , quod post septuaginta annos soluta fuisset illa captivitas , quorum nempe oracula non fuissent impleta , si post eamdem in veri nominis Rempublicam non coaluissent ; tum ex Decreto Artaxersis relato in libro 1. Esdrae c. 7. , quo restituta fuit Iudaeis potestas leges ferendi , Iudices , et Praesides constituendi , ipsumque in suos jus vitae , et necis : quibus positis , quidnam deest ad bene constitutam Rempublicam? Nec aliquid facessit , quod post captivitatem Babylonicam solvere debuerint tributum primum Persis , ut habetur ex l. 1. Esdrae c. 7. , et ex l. 2. c. 9. ; deinde etiam Graecis , Syris , et Aegyptiis , ut se ab eorum vexationibus redimerent , teste Iosepho l. 11. *Antiqu. c.* 8. , *et l.* 12. *c.* 3., *et* 4. ; ac demum etiam Romanis , quum anno ante aeram vulgarem 63. Pompejus , capta Jerosolyma , Hircanum Regem iis restituit. Aliud est enim , Nationem aliquam ab omni alieno jugo esse liberam, aliud suprema potestate non frui, quam utique posse consistere cum tributo ab aliis populis sive jure , sive injuria imposito , et innumeris exemplis constat , et cuivis consideranti fit perspicuum.

4.° quod Iudaeorum Respublica post captivitatem Babylonicam nedum obtinuit , sed et merito obtinuit nomen Reipublicae Judaicae. Primum , ut constat ex utroque Esdrae libro , ubi nomine *Iudaeorum* , et *Iudaeae* populus e captivitate redux , et regio , quam incolebant, passim designantur. Alterum vero, tum quia ab ipsa deportatione decem Tribuum a Salmanasare Assyriae Rege, tota Jsraelis Natio, ut cum Petavio advertimus loco supra citato, idest *c. ant. resp. ad* 7.m , jam Iudaicae Nationis nomen obtinuerat, ut patet ex l. 4. Reg. c. 17. , ubi dicitur : *Iratusque est Dominus vehementer Israeli*; *et abstulit eos a conspectu suo , et non remansit , nisi Tribus Iuda tantummodo* : tum quia populus , qui a captivitate rediit, non fuit fere , nisi ex solis

Iudae Tribulibus cum parte aliqua exigna Tribus Beniamin, et paucissimis ex aliis Tribubus, ut patet ex libris Esdrae, et Nehemiae, et testatur quoque Iosephus in suis Antiquitatibus Iudaicis *l.* 11. *c.* 1., 3., *et* 5.; neque est, qui neget, vel negare possit, quod omne totum a praecipuis suis partibus denominationem accipit.

5.º quod ab hac Republica, quae merito Iudaicae Reipublicae nomen obtinuit post captivitatem Babylonicam, auctoritatem suam acceperunt quotquot in ea praefuere ab ipsa captivitate usque ad Herodem: loquens enim liber 1. Machab. c. 13. de electione Simonis, qui Iudae, et Ionathae fratribus suis succederet, ita scribit: *Responderunt voce magna: Tu es Dux noster loco Iudae, et Ionathae fratris tui. Pugna praelium nostrum, et omnia quaecumque dixeris nobis, faciemus.* Ipsum vero Ionatham ab amicis Iudae Machabaei, vigente post ejus obitum tribulatione magna in Israel, in Principem belli assumptum fuisse, patet ex c. 9., ubi ita legitur: *Congregati sunt omnes amici Iudae, et dixerunt Ionathae; Te hodie eligimus esse pro eo* (Juda) *nobis in Principem, et Ducem ad bellandum bellum nostrum. Et suscepit Ionathas tempore illo principatum, et surrexit loco Iudae fratris sui.* Quod demum de aliis quoque Iudaicae gentis Ducibus post Babylonicam captivitatem dicendum esse, eosque vel electionis via, vel Nationis accedente consensu principatum obtinuisse, et exercuisse, nedum sequitur ex dictis, et expresse testatur Iosephus, scribens *l.* 1. *De bello Iudaico c.* 1., quod Matathias Machabaeorum parens nonnisi communibus populi suffragiis ejus regimen suscepit; et *l.* 11. *Antiqu. c.* 5., nec non *l.* 20. *Orig. c.* 8., quod qui secuti sunt reliqui, ad populi vota Sceptrum quoque susceperunt; verum etiam eorum tunc temporis agendi ratio confirmat: quod enim numquam aliquid magni momenti actum a Machabaeis fuerit, quod prius non fuisset delatum ad populi judicium, luculentissimum testimonium praebent cap. 5., 10., et 12. libri 1. Machabaeorum. Undenam autem haec apud eos agendi ratio, nisi ex eo quod jus regium in Machabaeis erat Aristocratico temperatum, et Democratico permixtum?

Congestis modo et quod initium Sceptri, quod Jacob Judae praenuntiavit, utique affigi potest temporibus

David; et quod captivitas Babylonica utique haberi potest, ut mera Sceptri interruptio; et quod post captivitatem Babylonicam tota Israelis Natio merito obtinuit nomen Reipublicae Iudaicae; et quod post id tempus quotquot in ea praefuere nonnisi electionis via, vel accedente Nationis consensu principatum obtinuerunt, ac exercuerunt: his, inquam, omnibus congestis, habetur quantum satis est, ut dicatur, quod potestas suprema vero sensu a Davide usque ad Christi adventum in Iuda stetit, non obstantibus tam brevi Babylonicae captivitatis tempore, quam Levitarum post id tempus Regno; ea enim est cujusvis Imperii electivi ratio, ut ejus radix in electoribus magis, quam in electis sit.

CAPUT III.

De complemento Iacobaei oraculi in Christo Domino nostro.

Cum jam demonstraverimus ex Iacobi oraculo, jam Messiam advenisse, nec non Sceptrum Iudae in eo promissum, donec Messias adveniret, vero sensu a Davide usque ad Christi adventum in Iuda permansisse: superest modo demonstrandum, quod praefatum oraculnm adamussim adimpletum in eo fuerit; quodque idcirco invictum ex eo argumentum sumatur, Christum Dominum nostrum esse, qui mittendus praedicebatur. Sit proinde

Prop. Invicte probatur ex Iacobaeo oraculo, quod is, qui in eo mittendus praedicebatur, sit Christus Dominus noster.

Prob. Cum duo Iacob vaticinatus fuerit, et scilicet non auferendum Sceptrum de Iuda, donec Messias adveniret, et huic venienti Gentes fore aggregandas, ubi enim in Vulgata Latina legitur, *Et ipse erit expectatio Gentium*, in hebraeo Codice, ut supra advertimus, habetur, *Et ei erit obedientia populorum*; cui accedit Codex Samaritanus, qui legit, *Et ad ipsum congregabuntur populi*; quod et in aliis locis praedictum fuisse, ibidem praenotavimus: impletum proinde in Christo Domino nostro dicendum est Iacobaeum oraculum, ideoque invictum ex eo argumentum sumi, ipsum esse, qui mittendus in eo praedicebatur, si et venit, quum Sceptrum e

Juda defecit, et statim Sceptri defectioni in Iuda successit, quod illi Gentes aggregatae fuerint. Utrumque autem adamussim in Christo Domino nostro impletum est: 1.m nempe, quia advenit, quum Romani constituerant Herodem in Judaeorum Regem; ideoque tempore, ut ostendimus cap. 1. pag. 23., quo Sceptrum in Iuda desiit, quodque utique usque ad id tempus vero sensu in Iuda permansisse, cap. ant. pag. 50. ostendimus. Alterum vero, quia statim ac Christus Dominus noster praedicationis munus suscepit, en brevi temporis intervallo successit aggregatio illi Gentium, et obedientia populorum, quemadmodum *l. 1. tract. 1. cap. 1. §. 3. pag.* 36., ubi de admirabili aeque, ac celerrima Evangelii per Universum Orbem promulgatione, veritate factorum probavimus; nec non ibidem *tract.* 3. *cap.* 2. *pag.* 148., *et sequ.*, ubi disseruimus de Catholicitate Ecclesiae, ostendimus etiam magis, magisque: Invicte igitur probatur ex Iacobaeo oraculo, quod is, qui mittendus in eo praedicebatur, ipse sit Christus Dominus noster.

CAPUT IV.

In quo exponitur, cumque eventu conciliatur altera Iacobaei oraculi pars: Et Dux de femore ejus.

Superest modo, ut de altera Iacobaei oraculi parte pauca dicamus. Et 1.° per *Ducem*, hebraice, *Mekokek*, intelligi hic non posse quemvis judicia exercentem, nec quemvis infimum Iudicem, ac Legis Interpretem, sed quid magnificentius, altioremque sensum ingerens, ipsa cum priori oraculi parte affinitas satis ostendit.

Quo posito: opinatur 1.° Pererius *in c.* 49. *Gen.*, per Ducem de femore Iudae usque ad Messiae adventum non desiturum intelligendos esse Principes ex Iuda satos, penes quos extitit supremae auctoritatis usus a Davide usque ad Sedeciam per quingentos fere annos: si enim (pergit) post captivitatem Babylonicam ii, qui principatum tenuere, non fuerunt de Tribu Iuda, facessere id non debet, quasi pugnet cum veritate oraculi, cum non sit insolitum in Scripturis, ut ponatur extremo loco aliquid, quod non ad omnia praecedentia, sed ad unum tantum orationis membrum referatur. Sic (inquit) dum Geneseos c. 15. legitur Deus Abrahae dixisse: *Pe-*

regrinum erit semen tuum in terra non sua, *et subjicient illud servituti*, *et affligent illud quadringentis annis*, nonne hoc extremum *quadringentis annis* refertur tantum ad prius illud membrum, *Peregrinum erit semen tuum in terra non sua*, quin ad posteriora referatur? Simili ergo ratione in Iacobaeo oraculo verba *donec veniat qui mittendus est* utique referri possunt ad priorem tantum oraculi partem *Non auferetur Sceptrum de Iuda*, quin referantur ad alteram partem ipsius oraculi, *Et Dux de femore ejus.*

Rejicitur tamen, et merito, haec Pererii opinatio a Tournelio, aliisque; quod enim vox *Non auferetur*, hebraice *lo jasour*, ad utramque oraculi partem referenda aeque sit, ex eo evincitur, quod secus *donec* semel posito necesse esset duplicem oppositam significationem tribuere, desitivam nempe quoad primam partem oraculi, extensivam quoad alteram. Hinc deficit allatum ex c. 15 Genesis exemplum; siquidem in eo ubinam uni, eidemque voci duplex opposita significatio tribuitur?

Opinatur 2.° Petavius *l.* 16. *De Incarn. c.* 6. *n.* 13., *et* 14., per Ducem de femore Iudae usque ad Messiae adventum numquam desiturum Ecclesiasticos Magistratus intelligendos esse. Eos vero perstitisse in Iuda usque ad Christum, propterea quod licet Sacrorum Ministri fuerint semper, nec esse potuerint, nisi de Tribu Levi, ex ostensis tamen *cap.* 2. *pag.* 52., omnes Israelis Tribules post captivitatem Babylonicam nomen Reipublicae Iudaicae sortiti merito fuere. Nec, pergit, obstare, quod Magistratus illi non fuerint de femore Iudae: ubi enim Latinus Interpres habet, *Et Dux de femore ejus*, hebraeus Codex legit, *Et legislator de inter pedes ejus*: quibus verbis, potius quam naturalem propagationem significari, videtur immo alludi ad Leonis, cui ante Iudas comparatus fuerat, metaphoram; quia sicut hic, praeda capta, eam firmiter inter pedes constringit, nec a se eripi patitur, ita Iudas usque ad Messiae adventum tam Sceptrum, quam potestatem etiam Ecclesiasticam indefectibiliter servasset. Ita igitur Vir doctissimus.

Nec tamen ejus sententia satis arridet: 1.° quia omnino gratis ejusmodi potestatis Ecclesiasticae, quae demum cumque ea sit, penes Iudam initia statuuntur tam longe a Sceptri exordio, de quo immediate ante oraculum loquitur, ac

post captivitatem Babylonicam: ac 2.° maxime, quia per verba *de femore* naturalem semper propagationem mos Scripturarum est exprimere; ut patet ex Gen. c. 46. v. 26., Exod. c. 1. v. 5., Deut. c. 28. v. 57., Judic. c. 8. v. 30.; quare et Septuaginta Interpretes, et tres Paraphrases Chaldaicae, ubi nos legimus, *de femore ejus*, legunt *de semine ejus*; et huic interpretationi veteres Doctores suffragantur; et demum ejus sensum ipse hebraeus Codex modeste ingerit, ut cum Bertio advertimus *c.* 2. *pag.* 45.

Cum utraque igitur tam Pererii, quam Petavii sententia gravibus difficultatibus subjaceat, sit

Prop. Probabilius dicendum videtur, quod per verba, *Et Dux de femore ejus*, vaticinatus fuerit Jacob, non defuturos Iudices ex Juda prognatos, in aliquod usus potestatis supremae consortium adscitos usque ad Messiae adventum: ideoque etiam quoad id adimpletum in Christo fuisse Jacobaeum oraculum.

Prob. Si enim interpretatio ejusmodi et verbis magis est consentanea, et cum eventu cohaeret, profecto etiam probabilior dicenda est. Ita autem res se habet; est namque verbis magis consentanea, utpote quibus naturalem propagationem in Scripturis semper significari, supra ostendimus. Optime vero cum eventu cohaeret, ex quo simul patet, quod etiam quoad id adimpletum in Christo fuerit Jacobaeum oraculum; omnes namque, penes quos summa rerum fuit a Davide usque ad captivitatem Babylonicam, Judae Tribules fuerunt. Post Babylonicam vero captivitatem, cum Judaeorum regimen, etiam postquam Assamonaei Regiam dignitatem assumpserunt, fuerit, ut diximus *c.* 2. *pag.* 53., Aristocratico temperatum, et Democratico permixtum, usus proinde supremae auctoritatis fuit quoque per id tempus apud Optimates; in quos nullos fuisse ex Tribu Juda, quae fere sola redierat, incredibile est: maxime cum saltem a Machabaeorum tempore floruerit semper apud Judaeos Synhedrium usque ad Herodem; quem magna ex parte ex Judae Tribulibus non coaluisse, neque etiam credibile est, ubi animadvertatur, potissimam Judaeorum partem fuisse per idem tempus ex veris Judae Tribulibus.

Nec adversatur quod legitur Jechoniae praedictum Jer. 22. *Scribe virum istum sterilem . . . nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, et*

potestatem habeat ultra ex Juda: quasi post captivitatem Babylonicam nemo ex Judae Tribulibus quidquam potestatis esset umquam in Judaeorum Republica habiturus. Siquidem 1.° cum aliae item, atque aliae praeter familiam Jechoniae ad Judae-Tribum pertinerent, non ideo proinde quia ex Jechoniae posteris nullus futurus erat Princeps, nemo etiam ex Judae Tribulibus potestatis aliquid habiturus praedicebatur. 2.° quia Jeremiae verba referebantur tantum ad dignitatem regiam, qua nemo descendentium ex Jechonia potiturus esset. Aliud autem est Regia dignitate fulgere, qua reapse nemo ex Jechoniae posteris amplius fulsit: aliud in consortium supremae potestatis tantum adscisci, cujus proinde ipsi Jechoniae posteri inter quos Zorobabel Jechoniae nepos, salva veritate vaticinii, participes esse potuere.

CAPUT V,

De Messiae adventu juxta c. 9, Danielis. Et 1.° animadversiones ad scopum perutiles praemittuntur.

Alterum Prophetarum vaticinium, e quo evidenter colligitur, promissum Messiam advenisse, eumque Dominum Nostrum Jesum Christum esse, illud est, de quo c. 9, Danielis legitur. Cum namque tempus immineret, in quo Deus promiserat per Jeremiam, quod populum suum revocaturus esset e captivitate Babylonis in Terram Patrum suorum, et Daniel oraret, ne ob populi peccata promissiones suas Deus differret, ei sub viri specie apparuit ei Gabriel Angelus, ut eum magis, quam optarat, solaretur, indicans ei, quo tempore Deus dignatus esset statuere a potiori captivitate populum suum per promissum Messiam liberare, et in libertatem filiorum Dei erigere; ac ita illi ait: *Ego veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem. Septuaginta hebdomades obbreviatae sunt super populum tuum, et super Urbem Sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem hebdomades septem, et hebdomades*

sexaginta duae erunt, et rursum aedificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem, et Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, et Sacrificium: et erit in Templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem, et finem perseverabit desolatio. Haec itaque Angeli ad Danielem verba; quae brevi commentario percurrere, operae pretium erit, ut inde pro Messiae adventu, eoque in persona Domini nostri Jesu Christi evidens ducamus argumentum.

Et 1.° cum ejus adventus figatur post septuaginta hebdomades ab exitu sermonis, ut iterum Jerusalem solo a Chaldaeis aequata aedificaretur, duplicis generis hebdomades, sciendum est, apud Hebraeos fuisse, dierum nempe, et annorum. *Dierum*, ut colligitur ex c. 23. Levit. v. 15., et 16., ubi: *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomades plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadae septimae, idest quinquaginta dies.* Quo etiam sensu sumit quoque Daniel hebdomades, quum ait, se luxisse *trium hebdomadarum diebus.* Nec non Ezechiel c. 45. v. 21. *Annorum* vero, ut colligitur ex c. 25. ipsius Lev. v. 3., ubi: *Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ejus. Septimo autem anno sabbatum erit terrae requietionis Domini.* Et v. 8. *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, idest septies septem, quae simul faciunt annos quadraginta novem . . . Sanctificabisque annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus Terrae tuae: ipse est Jubilaeus.* Quas annorum hebdomadas in usu etiam fuisse apud Gentiles, testatur Aristoteles *Polit. l.* 7., nec non Varro in *Gellio, Noct. Attic.* 3. 10.. Angelum autem locutum non fuisse de hebdomadis dierum, quae vix complessent annum, et quatuor menses, ex eo patet, quod intra id tempus nec insigne aliquod, nec aliquid de iis, de quibus Angelus locutus fuerat, apud Judaeos contigit; non dissipatio Civitatis, et Sanctuarii, non populi caedes, non Christi occisio. Non igitur dierum hebdomadae, de quibus An-

gelus locutus fuerat : cujusvis enim vaticinii intelligentia, ac veritas sumenda potissimum est ex eventu, juxta illud Jer. c. 28. *Propheta, qui vaticinatus est pacem, cum venerit verbum ejus, tunc scietur Propheta, quem misit Dominus in veritate*. Cui etiam accedit, quod ubi in Scripturis agitur de hebdomadis dierum, distincte id significatur dierum expresssione, ut ex supra allatis exemplis perspicuum est. Quibus perpensis, nemini dubium esse potest, quod Angelus de annorum hebdomadis locutus fuerit.

Obtrudit quidem recentium Judaeorum pervicacia, forte etiam Angelum locutum fuisse vel de Olympiadum hebdomadis, quae efficiunt annos mille, nongentos, et sexaginta; vel etiam de hebdomadis Jubilaeorum, quae efficiunt viginti quatuor millia annorum cum quingentis; etiamque Saeculorum, quae duplum efficiunt. Sed ridicule prorsus: 1.° cum nullum id genus hebdomadarum extet in Scripturis exemplum. 2.° quia ut Angelus Prophetae determinaret Christi adventum, de hebdomadis apud Judaeos usitatis loqui debuerat. Hae autem non erant, nisi dierum, vel annorum. 3.° quia intra illarum hebdomadarum periodum Civitatis, ac Templi excidium futurum, expresse Angelus innuit. Illud autem earum periodus non comprehendisset, si de hebdomadis vel Saeculorum, vel Jubilaeorum, vel Olympiadum locutus esset.

Abbreviatae sunt; sive ut habet hebraeus Codex, *decisae, determinatae, definitae sunt*; vel, ut graece habetur, *concisae sunt*. Ac si dixisset: Paucae a Deo sunt definitae annorum hebdomadae usque ad Christum, idest 490. annorum; tametsi enim protrahi ultro potuisset id tempus, precum tamen tuarum merito fuit contractum; oraverat enim Daniel in jejuniis, sacco, et cinere, non tantum pro reditu Judaeorum e Babylone, sed et pro peccatis populi abolendis: Haec autem nonnisi per Christum abolenda sciebat. Sic Matth. 24. dies persecutionis Antichristi dicuntur breviati, seu breves a Deo facti. Nisi etiam Angelus eas dixerit *abbreviatas*, seu *breves* respectu praeteritarum a promissione ipsius Messiae.

Ut consummetur praevaricatio, ut Judaei scilicet caeteris suis praevaricationibus omnium maximam Christi occisione adjungant, eorumque nequitia ad summum perveniat, quin ultro augeri queat. Nisi etiam ejus sensus fuerit, ut veniat Christus, qui sui ipsius oblatione in

Ara Crucis omnium peccata consummet, et prorsus deleat. Unde sequitur explicationis causa, ut advertit Alapide in hunc l. *Et finem accipiat peccatum*; cum enim Christus pro omnibus satisfecerit, iis quasi finem imposuit, eaque, quantum ex se est, abolevit. Nec praetereundum, hic juxta alios peccatum idololatriae intelligi, quippe quod in Scripturis *peccatum* simpliciter dici solet.

Et deleatur iniquitas; quod enim Messias omnium iniquitates esset deleturus, identidem Prophetae, ac praecipue Isaias c. 53. praedixerat.

Et adducatur justitia sempiterna, Religio scilicet sanctificans, ex se justitiam conferens, ac semper duratura, secus ac Mosaica aliquando abroganda. Per quam caeterum ipsum intelligendum esse Christum, utpote essentialiter justum, ac *justi*, et *justitiae* nomine non raro in Scripturis designatum, alii autumant.

Et impleatur visio, et prophetia; ut enim ait Tertullianus l. adv. Judaeos, *ipse* (idest Christus) *fuit signaculum omnium Prophetarum, adimplens omnia, quae retro de eo Prophetae nuntiaverant.*

Et ungatur Sanctus Sanctorum, per hypostaticam scilicet unionem humanitatis Christi cum Divina Verbi Persona: seu, ut Hebraei legunt, *ad ungendum sanctitatem sanctitatum*, cum familiare illis sit substantivum pro adjectivo adhibere. Caeterum per *Sanctum Sanctorum* non posse Templum intelligi, ut quidam e recentibus Judaeis autumant, ex eo patet, quod secundum Templum, ut ipsimet Rabbini fatentur, unctione caruit; quodque idem, non quidem ungendum, et consecrandum, sed profanandum, atque e fundamentis destruendum, Angelus subsequenter praedixit.

Scito ergo, et animadverte: *Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Ierusalem*; ipsa scilicet Civitas forum, ac moenia habens, ut patet ex verbis subsequentibus: *Et rursum aedificabitur platea, et muri*; ut nempe intelligeretur, sumpturum non esse hebdomadarum initium ab exitu sermonis, quo Judaeis facultas tantum daretur remeandi in Jerusalem, ac ibi domos extruendi, sed ab exitu sermonis, quo iis facultas daretur Civitatem ipsam in statum pristinum revocandi, habentem forum, et moenium munitionem. Et sane cum de Civitate solo aequata ageretur, nonne verba *ut iterum aedificaretur* nativa sua vi moenium exprimunt erectionem?

Hebdomadas septem, et hebdomades sexagila duae erunt; quas ita Angelum divisisse, non una est Doctorum sententia; alii enim inquiunt, primas septem hebdomadas a sexaginta duabus divisisse, eo quod forte, quamvis Urbis muri ob imminentes undequaque hostes celerrime quinquaginta duorum dierum spatio absoluti fuerint, ut legitur l. 2. Esd. c. 7., septem tamen hebdomadarum spatio, idest annis 49. absoluta, et perfecte instaurata Civitas fuit: quo peracto, Angelus monere voluit, sexaginta duas hebdomadas numerandas esse usque ad tempus, quo Messias pactum multis confirmasset, idest Novum foedus Missionis suae manifestatione instituisset, ac tandem sanguine obsignasset. Alii vero censent, nihil in ejusmodi partitione Mysterii latere, sed non insolitam fuisse apud Hebraeos supputandi rationem, ut colligi videtur ex c. 45. Ezech. v. 12., ubi: *Viginti sicli, et viginti quinque sicli, et quindecim sicli mnam faciunt*; quibus in verbis aliquod Mysterium latere, nemo dicet.

Et rursum aedificabitur platea, et muri in angustia temporum; quibus temporum angustiis alii significari censent septem hebdomadarum spatium, quod angustior temporis in duo ab Angelo distracti pars est: alii vero frementes, et undequaque irruentes hostes, unde alia manu aedificare, et alia contra hostes pugnare, Judaei interea cogebantur.

Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; etsi enim legatur apud 70. Interpretes *Peribit unctio*, non recte tamen, cum eadem hic occurrat in Textu originali vox *Maschiach*, quae in versiculo praecedenti occurrit: in quo cum sumatur adjective, ac reddat *Christum*, nonne hic etiam adjective sumenda est?

Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est; hebraice *veen loh*, cujus vis est significare vel *non sibi*, eo quod Christus non propter sua, sed propter aliena peccata occisurus esset: vel *non ei*, supplendo *judicium*, eo quod morti injuste damnandus: vel *non ejus*, quam interpretationem vulgatus Interpres selegit, supplendo *erit populus, qui eum negaturus est*, quemadmodum ab aliis quoque Prophetis praenuntiatum fuisse, infra videbimus.

Et Civitatem, et Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, ubi hebraice pro *dissipabit* legitur

jaschchit, qua etiam voce exprimitur Gen. c. 13. v. 10., c. 18. v. 28., et 31., et c. 19. v. 14. Sodomae, et Gomorrhae excidium.

Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; Novum nempe foedus veteribus Patriarchis a Deo non semel promissum Missionis suae manifestatione, ac demum sanguinis effusione, quo omnium peccata deleturus esset, ac simul allaturus sempiternam justitiam.

Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, et sacrificium; quia enim, veritate illucescente, desinunt figurae, praedicitur proinde ab Angelo, quod morte Christi, quam sacrificia omnia legis veteris adumbrabant, omnino desinerent et quoad necessitatem, et quoad valorem; ac primum mortua, deinde etiam mortifera evasissent.

Et erit in Templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem, et finem perseverabit desolatio. Qua super re et consulantur quae scripsimus l. 1. *tract.* 1. *c.* 1. *art.* 2. §. 4. *pag.* 46., et advertatur, quod ea, quae nunc dicitur Ierusalem, alia prorsus est ab illa, quae a Romanis sub Tito funditus fuit eversa: nedum enim alio nomine fuit extructa (cum namque Romanorum Imperator Ælius Adrianus illam aedificaverit, Æliam ab ejus nomine eam appellavit); verum etiam alio quoque in loco extructa fuit.

CAPUT V.

De vanitate hypothesium, quibus recentes Judaei, cumque iis Marshamus, Harduinus, et Calmetus alio praefatum oraculum, quam ad Messiae adventum, detorquere ausi sunt.

Messiae adventum praefati oraculi objectum fuisse, constans semper fuit Patrum, Doctorumque omnium sententia, ut scribit D. August. *ep. ad Hesychium*; nec non D. Hieronymus *in hunc Danielis locum*, testimonium afferens Julii Africani, qui Scriptores omnes ad suam usque aetatem, secundum nempe, et tertium saeculum, de Christo illud interpretatos fuisse, asserit. Idem quoque ipsos veteres Judaeorum Doctores semper agnovisse, addit laud. S. Doctor *l. cit.*, ubi etiam pergit, *nullum Prophetarum tam aperte dixisse de Christo. Non enim solum scribit, eum esse venturum, quod est com-*

mune cum caeteris, sed etiam, quo tempore venturus sit, docet; et Reges per ordinem digerit, et annos dinumerat, et manifestissima signa praenuntiat. Accedit (quod magis urgere debet, et quidem ita, ut mirum prorsus sit, quomodo ex ipsis Christum colentibus, etiamque Catholicis, alio illud detorquere ausi fuerint), Christum ipsum de se illud interpretatum fuisse tum Matth. 24. illis verbis: *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto . . . tunc, qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes;* tum Lucae 21., ubi ait: *Cum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote, quia appropinquavit desolatio ejus.*

Et sane quis, nisi Messias, appellari poterat absolute, ac sine addito et Christus, et Dux, et iniquitates deleturus, et finem peccato impositurus, et allaturus justitiam sempiternam, et omnium Prophetarum oracula impleturus, et pactum multis confirmaturus, novum scilicet foedus veteribus Patriarchis promissum, et demum Sanctus Sanctorum? Quod et Scriptura aliis quoque in locis confirmat; dicitur enim in fine illarum hebdomadarum praevaricationem consummandam, iniquitatem delendam, peccatum expiandum fore; ac idipsum de Messia praenuntiaverant tum Psaltes Regius Ps. 129. v. 7., tum Isaias c. 1. v. 18., c. 4. v. 4., ac praesertim, et graphice c. 53., tum alii quoque Sacri Vates. Dicitur firmandum fore pactum multis: ac idipsum de Messia praedixerant idem Psaltes Regius Ps. 88. v. 29., nec non Isaias c. 55. v. 3., Jeremias c. 32. v. 40., Baruch c. 2. v. 35. Dicitur, quod post Christi occisionem desitura essent hostia, et sacrificium; ac idipsum quoque de Messia praedixerant et Isaias c. 1. v. 11., et Jeremias c. 6. v. 20., et Amos c. 5. v. 22. Dicitur, quod Christus venturus afferret sempiternam justitiam; ac idipsum quoque vaticinati fuerant de Messia tum Psaltes Regius Ps. 71. v. 7., tum Isaias c. 53. v. 11., tum Jeremias c. 33. v. 15. Quod cum ita sit, quid rursum clarius, quam quod Danielis, de quo agimus, vaticinium nonnisi ad Messiam est referendum? Ita igitur.

Quod caeterum ut extra omnem dubitationis aleam ponatur, refellendas 1.° aggredimur hypotheses, quibus recentes Judaei alio illud detorquere ausi sunt, ex quibus praecipuae sunt, quas commenti fuerunt Salomon Jar-

chi, et Isaac Orobio; quae enim ab aliis producuntur, facile rediguntur ad alterutram earum, quare et iisdem argumentis facile est illas refellere.

Et 1.° *exponitur, ac refellitur hypothesis Rabbini Salomonis Jarchi.*

Contendit Salomon Jarchi, objectum verborum Angeli ad Danielem non fuisse, nisi illi revelare quidquid populo Judaeorum a prima Templi destructione sub Nabuchodonosore usque ad alteram sub Tito eventurum esset. Et quidem prioribus oraculi verbis, docet, significatum fuisse ab Angelo, quod Judaeorum natio desiisset aliquando praevaricari, et obtinuisset, ut implerentur visiones, ac Prophetiae quoad Messiae adventum, ipsumque Messiam reciperet. Posterioribus vero, quod circa exitum sermonis, ut iterum aedificaretur Jerosolymorum Civitas (ita enim vertit hebraeas voces *min motza dabar*, quas vulgatus Interpres vertit *ab exitu sermonis*) elabendae essent septem hebdomades a destructione Templi per Nabuchodonosorem facta: hisque hebdomadibus elapsis, Christus Dux advenisset, et captivitatem solvisset. Hunc autem, pergit, fuisse Cyrum Persarum Regem; per quem, captivitate soluta, reversurus esset populus in Jerusalem toto sexaginta duarum hebdomadarum spatio. Christum vero occidendum in eorum fine docet fuisse Regem Agrippam juniorem. Postremis tandem significatum fuisse ultimum Ierosolymorum excidium.

Refellitur autem 1.°, quia in oraculo Danielis non dicitur indeterminate, quod aliquando consummaretur praevaricatio, etc., sed determinate post septuaginta hebdomadas. 2.° voces *min motza dabar* nedum gratis, sed et perperam vertuntur in haec *circa exitum sermonis*, numquam enim praepositio *min* accipitur pro *circa* apud Hebraeos, sed terminum a quo exprimere nata est. 3.° in compertis est, quod a Templi destructione per Nabuchodonosorem usque ad captivitatis solutionem per Cyrum, non jam septem annorum hebdomades, seu anni quadraginta novem, sed quinquaginta duo anni effluxerunt. 4.° quisnam Christi Ducis nomen, quodque magis urget, absolute, et sine addito, Cyro attribui, feret? 5.° quis Salomoni concedet, per sexaginta duas annorum hebdomadas revertisse populum in Jerusalem, cum id successive acciderit, ducibus Zorobabele, Esdra, et Nehemia? 6.° nec est, qui concedere illi queat, quod

Christus occidendus post illas sexaginta duas hebdomadas fuerit Rex Agrippa, cum nullatenus respectu Iudaeorum dici potuerit Christus, seu unctus; nec scilicet per unctionem materialem, quae nulla fuit apud Judaeos post captivitatem, nec ob auctoritatem in Judaeos, cum Chalcidis, ac deinde Traconitidis Rex fuerit, numquam vero Judaeae, quae post Agrippae senioris obitum versa a Romanis fuerat in Provinciae formam, nec demum ob aliquod auxilium Judaeis praestitum, siquidem potius cum Judaeos a bello in Romanos gerendo deterrere non potuisset, ipse se Romanis adjunxit, ac Tito auxiliares copias praebuit, ut refert Tacitus *l.* 5. *hist.* . Cumque etiam, ut refert Josephus *l.* 1. *contra Appionem*, n. 6. bello Judaico supervixerit, quod et ex nummis antiquis clare ostendit Harduinus *De Nummis Herodiadum*, magis semper, magisque patet, quod Christus occidendus Rex Agrippa esse nequiverit. Tandem ab excidio primi Templi usque ad secundi subversionem falso docet, effluxisse septuaginta annorum hebdomadas, seu annos 490., cum inter utrumque terminum in compertis sit, 660. annos effluxisse.

Explicatur, et refellitur hypothesis Rabbini Isaaci Orobionis.

Docet hic, prioribus oraculi verbis, significatum ab Angelo fuisse, quod si populus desiisset praevaricari, Divinarum promissionum obtinuisset complementum, idest Messiam. Posterioribus vero significatum fuisse, quod ab ipsius Angeli sermone (sermo enim juxta Orobionem, a cujus exitu inchoandae sunt Danielis hebdomadae, ipse est sermo Angeli ad Danielem) elabendae essent septem hebdomadae usque ad Nehemiam, qui obtinuisset Jerosolymorum moenium restaurationem, quique appellatur *Christus Dux*, propterea quod utrumque jus, Ecclesiasticum nempe, et quasi Regium in populum exercuit: hisque septem hebdomadis elapsis, post alias sexaginta duas occidendus esset Anan, ultimus Judaeorum Pontifex; cui proinde subjungitur, neminem alium successurum illis verbis *veen loh*, quae significant *non ei*, et respondent illis nostrae Vulgatae verbis, *et non erit ejus populus etc.* . Appellari autem Ananum simpliciter *Christum*, seu unctum, quia Regiam potestatem jam ab aliquibus annis Herodis domus usurpaverat, ideoque simplex Sacerdos fuit, non vero Sacer-

dos simul, et Dux, seu Rex. Postremis tandem significatum fuisse, quod si populus non desiisset praevaricari, Civitatem, et Sanctuarium dissipasset populus alienigena cum Duce venturo, Romanus nempe exercitus, Tito duce.

Refellitur autem 1.° quia Danielis oraculum non loquitur sub conditione, sed absolute. 2.° quia sermo, a cujus exitu inchoandae sunt Danielis hebdomadae falso dicitur ipse Angeli sermo, cum nullatenus hic fuerit, ut iterum aedificaretur Jerusalem. 3.°, quia ab Angeli sermone, quem constat ex v. 1. cap. 9. Danielis anno 1. Darii Medii fuisse, usque ad Jerosolymorum moenium restaurationem per Nehemiam anno 20. Artaxerxis Longimani, non quidem septem annorum hebdomadae, seu anni quadraginta novem, sed plus quam octoginta anni effluxere. 4.° quia sub Christi Ducis nomine, ac maxime absolute, et sine addito, nequit profecto Nehemias intelligi: nec pro Christo, qui post sexaginta duas hebdomadas occidendus praedicitur, intelligi posse Ananum, patet tum ex eo, quod pars posterior oraculi non est, nisi prioris declaratio, tum ex eo quod dici non poterat de Anano, quod consummaturus esset praevaricationem, etc. 6.° quia Civitatis, et Sanctuarii eversio absolute praedicitur in Danielis oraculo, non vero sub conditione, si populus praevaricari non desiisset. Tandem quia ab anno 20. Artaxerxis, seu Nehemiae reditu in Jerusalem usque ad extremum illius Urbis excidium 519. anni computandi sunt, non vero, ut comminiscitur Orobio, sexaginta duae annorum hebdomadae cum dimidia, seu anni 437., et sex menses.

Exponitur, et refellitur hypothesis Joannis Marshami.

Docet 1.° Joannes Marshamus, Eques Anglus in Chronico Aegyptiaco ád saec. 18., Angeli sermonem ad Danielem evenisse anno 21. captivitatis Babylonicae; cum enim antecedenter dicatur, Danielem luxisse *dies trium hebdomadarum*, has supponit, annorum hebdomadas fuisse. Hinc pergit, prioribus verbis significasse Angelum, quod si populus praevaricari desiisset, illum Deus revocasset in Jerusalem, simulque implevisset promissiones illi factas de ejus liberatione a captivitate, in qua detinebatur, iterumque floruisset Sacerdotium, et Templum: posterioribus autem, quod ab ejus (nempe

Angeli) sermone, usque ad tempus, quo Deus misisset ad liberandum ab illa captivitate populum, septem adhuc hebdomades supererant; his namque elapsis, Cyrus Rex Persarum populum a captivitate solvit, quem proinde, ait, per *Christum Ducem* intelligendum esse. Ab ipsius vero captivitatis initio, subdit, numerandas esse sexaginta duas hebdomadas, de quibus subsequenter est sermo; iisque indicatum fuisse, Antiochum, a quo Sacerdotes amoti, Altare destructum, Sanctuarium profanatum, idolum Jovis Olympii in Templo erectum fuit: quamobrem ubi Vulgata Latina legit *occidetur Christus*, legit ipse *peribit unctio*. Cumque Antiochus pacis foedera cum Judaeis prius per septennium, ut ipse putat, servaverit, hinc de eo ait quoque Angelus, *confirmabit pactum multis hebdomada una*: cum vero, iis posthabitis, in Judaeos, eorumque Religionem deinde desaevierit trium annorum, sex mensium, et aliquot dierum spatio juxta Daniel. c. 12. v. 11., hinc quoque subdidit, *et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, etc.*

Refellitur autem 1.°, quia oraculum, de quo agimus, ad tempora Antiochi referendum non esse, sed ad ultimum Jerosolymorum excidium, illa Christi verba ostendunt: *Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, etc.* (*Matth.* 24.); ex quibus nempe sic arguitur: Praedicta juxta Christum fuit a Daniele Propheta abominatio desolationis in loco sancto, Antiochi tempore nondum completa, quippe quae necdum aetate Christi contigerat. Triplici autem in loco praedixit Daniel abominationem desolationis in loco sancto, idest in Templo, capite scilicet 9., de quo agimus, cap. 11., et cap. 12.; quaeque praedicitur capitibus 11., et 12. manifeste refertur ad tempora Antiochi, ideoque aetate Christi jam contigerat: Superest igitur, ut abominatio desolationis in loco sancto, idest in Templo, de qua agitur cap. 9., ea sit, ad quam Christus l. cit. respexit, eademque idcirco, quae in ultimo Jerosolymorum excidio evenit. Quid proinde clarius, quam quod Danielis oraculum, de quo agimus, non ad tempora Antiochi, sed ad ultimum Jerosolymorum excidium referendum sit? 2.° gratis supponit Marshamus, tum jejunium Danielis fuisse per tres hebdomadas annorum, cum potius et additio vocis *dierum*, et subjecta materia satis

ostendant, fuisse per tres duntaxat dierum hebdomadas: tum ejusmodi jejunium incoeptum a Daniele fuisse ipso captivitatis initio, cum potius dicatur, illud Divinum Vatem incoepisse, propterea quod considerans, liberationis tempus ab Ieremia praedictum jam instare, metuebat, ne propter populi peccata promissio illa retardaretur: tum anno captivitatis 21. apparuisse ei Angelum futura indicantem, cum potius ex eodem Danielis loco id fuerit *anno primo Regni Darii filii Assueri de semine Medorum, qui imperavit super Regnum Chaldaeorum*. Anno autem captivitatis 21. Chaldaeorum Regnum non Darius, sed Nabuchodonosor occupabat, quemadmodum et ex profanis Scriptoribus, et ex ipsis Sacris Scripturis, Jer. 52., et l. 4. Reg c. 25., colligitur. 3.° cum oraculum absolute, et sine ulla conditione loquatur, nefas est priora ejus verba sub conditione cum Marshamo explicare. 4.° cum Angeli sermo non fuerit sermo, ut iterum aedificaretur Jerusalem, perperam proinde ab ejus sermone Danielis hebdomadarum initium sumitur. 5.° cum Christus, de quo oraculum loquitur, taliter sine addito appelletur, nequit profecto sub ejus nomine Rex Persarum intelligi. 6.° cum oraculum loquatur de septuaginta hebdomadis, nonnisi temere fit, ut simul effluant septem, et sexaginta duae hebdomadae. Cumque Angelus prius dixerit, constitutas fuisse 70. hebdomadas, deinde vero eas partitus fuerit in hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duas, ex ipso vaticinii initio manifeste patet, praefatas, quas constituerat, hebdomadas, non simul, sed successive secuturas esse, secus namque summa non fuisset hebdomadarum septuaginta. 7.° ubi Latinus Interpres legit *occidetur Christus*, legi cum Marshamo non posse *peribit unctio*, jam cap. antecedenti ostendimus. 8.° Civitatis, et Sanctuarii desolatio, quae hic praedicitur, ad consummationem, et finem praedicitur simul perseveratura. Hujusmodi autem non fuit Civitatis, et Sanctuarii desolatio per Antiochum facta. Quibus tandem accedit, quod, ab initio captivitatis usque ad Antiochi tyrannidem in Judaeos effluxisse sexaginta duas hebdomadas, falsum demonstrant Eruditi omnes.

Exponitur, et refellitur hypothesis Ioannis Harduini.

Docet 1.° Harduinus in Chronologia Veteris Testa-

menti, ab eodem puncto, anno scilicet 4. Regis Joakim, quo Deus per Jeremiam cap. 25., et 29. praedixit, populum e captivitate in patriam revocaturum, numerandas esse tam septem, quam sexaginta duas hebdomadas, de quibus vaticinium loquitur. Hinc pergit, prioribus verbis significatum fuisse, ut Marshamus quoque opinatus fuerat, quod si populus praevaricari desiisset, eumdem revocasset Deus in Jerusalem, ac simul implevisset promissiones illi factas de ejus liberatione ab illa, in qua detinebatur, captivitate, iterumque floruisset Sacerdotium, et Templum. Posterioribus vero significatum fuisse, quod a praefato anno Regis Joakim, septem elaberentur hebdomadae usque ad Cyrum in Media regnantem, quemque esse docet *Christum Ducem*, de quo oraculum loquitur: a quo eodem anno hebdomades quoque sexaginta duae elaberentur usque ad occisionem Oniae Summi Sacerdotis, quem interfectum, ait, anno ante aeram vulgarem 171., quemque, docet, esse alterum Christum, cujus post illas sexaginta duas hebdomadas occisio praenuntiatur, ac typice in eo ipsius Messiae occisio. Postremis tandem verbis significatam fuisse Templi, ac Civitatis per Antiochum desolationem, nec non sacrificiorum per tres annos cum dimidio cessationem; quibus, subdit, praefiguratum quoque fuisse futurum Civitatis, ac Templi sub Tito excidium.

Refellitur autem 1.° , quia, ut supra contra Marshamum ostendimus ex Christi verbis Matth. 24., nonnisi ad ultimum Jerosolymorum excidium litteraliter referendum est Danielis, de quo agimus, oraculum. 2.° ab eodem puncto numerandas non esse tam septem, quam sexaginta duas hebdomadas, illud manifeste ostendit, quod oraculum de septuaginta hebdomadis loquitur; quae tamen non septuaginta, sed sexaginta duae essent, si ab eodem puncto numerentur. 3.° priora oraculi verba absque ulla conditione accipienda esse, illud etiam manifeste ostendit, quod oraculum independenter ab ulla conditione loquitur: quae item referri non posse ad merum a captivitate reditum, de quo Ieremias cap. 25., et 29. vaticinatus fuerat, ex magnificentia, qua loquitur, cuivis consideranti fit perspicuum. 4.° sermonem quoque Jeremiae illum non esse, a quo auspicandae sunt Danielis hebdomadae, ex eo etiam patet, quod sermo ille non fuerit ad iterum aedificandam Ierusalem. 5.° Christi Du-

cis nomine, eoque absolute, et sine addito, jam supra diximus, Cyrum non posse intelligi; etiamque accedit, quod adhuc regnans in Media, ac ante occupatam Babylonem, nihil prorsus ad Judaeos pertinuerit. 6.° Oniam Summum Sacerdotem fuisse Christum occidendum post sexaginta duas hebdomadas, sicut gratis dicitur, ita et gratis negatur. 7.° Civitatis, et Sanctuarii vastationem cum Sacrificiorum tantum intermissione per Antiochum factam intelligi eam non posse, quae in oraculo usque ad consummationem, et finem praenuntiatur perseveratura, quis non videt? Tandem a Chronologiae calculis Harduinum quoque aberrare, Eruditi ostendunt.

Exponitur, et refellitur hypothesis Augustini Calmeti.

Docet 1.° Calmetus *in Dissert. De* 70. *hebdomadis Danielis*, hunc unum vaticiniorum Danielis cap. 7., 8., 9., 10., 11., et 12. insignem esse scopum, ut ostenderent, quid Nationi Iudaicae, ac totius Orientis populis a Regno Cyri usque ad Antiochum Epiphanem eventurum esset. Hinc pergit, prioribus verbis significatum fuisse, quod post septem hebdomadas, numerandas a prophetia de populi reditu, quae legitur cap. 50. Jeremiae, quamque anno, quo Ierusalem a Chaldaeis eversa est, emissam fuisse, supponit, advenisset Cyrus Babylonem, suoque Edicto dedisset Iudaeis potestatem in Patriam redeundi: quo idcirco tempore consummata fuisset praevaricatio, peccatum deletum, justitia sempiterna allata, visio, et prophetia impleta, et Sanctus Sanctorum denuo unctus, idest Templum rursus consecratum, et Sacrificia rursus oblata fuissent. Posterioribus vero significatum fuisse, quod post sexaginta duas hebdomadas a soluta captivitate occidendus fuisset Onias, quem Christum post illud tempus occidendum juxta vaticinium docet fuisse: postremis tandem, quod de Antiochi temporibus in libris Machabaeorum legitur.

Refellitur autem 1.°, quia, ut diximus refellendo hypothesim tam Marshami, quam Harduini, nonnisi ad ultimum Ierosolymorum excidium litteraliter referendum est ex Christi verbis Matth. 24. Danielis, de quo agimus, oraculum. Neque hic dicat Calmetus, accommodatitio tantum sensu usurpasse Christum l. cit. Danielis verba: litteraliter namque ea usurpasse, et illud ostendit, quod iis apprime respondent, quae in ultimo Jero-

solymorum excidio evenerunt; et quod accommodatitio tantum sensu potuisset illa usurpare, si de praeteritis, vel de praesentibus sermonem habuisset. Cum tamen sermonem ibi habuerit de futura abominatione desolationis in loco sancto, idest in Templo, eamque adjunxerit, dictam fuisse a Daniele Propheta, idest prophetico spiritu, quis non videt, litterali sensu ab eo usurpata fuisse Danielis verba, ac significasse, quod abominatio desolationis, in ultimo Jerosolymorum excidio complenda, fuerit scopus illius Danielis vaticinii? 2.° Danielis hebdomadas auspicandas non esse a prophetia Jeremiae, quae legitur cap. 50. ejusdem, ex eo patet, quod illa Jeremiae prophetia non fuerit sermo, ut iterum aedificaretur Jerusalem. 3.° illam Jeremiae prophetiam emissam fuisse anno, quo Jerusalem a Chaldaeis eversa fuit, gratis Calmetus supponit; cum potius ex cap. 51. Ieremiae colligatur, emissam fuisse anno 4. Sedeciae, ante illam Civitatis subversionem octavo, ideoque anno ante Cyrum Babylone regnantem quinguagesimo septimo. 4.° quod Cyrus non fuerit Christus Dux post septem primas hebdomadas adventurus, ex eo patet, quod non potuerit absolute, et sine addito tam magnifico nomine insigniri, 5.° priorem oraculi partem completam post illas septem hebdomadas fuisse, manifeste adversatur ipsis oraculi verbis, quod complementum nempe post integras septuaginta hebdomadas haberet. 6.° Oniam fuisse, quem Daniel occidendum praedixerat post sexaginta duas hebdomadas, nonnisi gratis, et absque ulla ratione a Calmeto asseritur: nec verum est, quod a solutione captivitatis per Cyrum usque ad mortem Oniae effluxerint sexaginta duae hebdomadae, idest anni 434., cum inter utrumque terminum anni 502. effluxerint. Demum, quod Civitatis, ac Sanctuarii dissipatio a Daniele praedicta, illa non fuerit, ut Calmetus pronuntiat, cujus Auctor fuit Antiochus Epiphanes, ex eo patet, quod haec fuerit ad tempus, illa vero a Daniele praedicta usque ad consummationem, et finem perseveratura sit.

CAPUT VII.

De initio hebdomadarum Danielis.

Quanti facienda sit haec quaestio, ex eo quisque poterit colligere, quod nisi statuatur, unde earum sumendum est initium, neque etiam cognosci poterit complementum, quod in Christo D. N. habuere. Qua super re non defuerunt quidem tam ex veteribus, quam ex recentioribus, quos inter, ut supra diximus, Harduinus, et Calmetus, qui praefatarum hebdomadarum initium duxere ab aliqua ex praedictionibus; quibus identidem Prophetae vaticinati fuerant Jerosolymorum reaedificationem: bis namque vaticinatus id fuerat Isaias, capitibus nempe 44., et 45.; ter Jeremias, capitibus nempe 27., 29., et 50.; Baruch bis, capitibus nempe 2., et 4.; semel Habacuc in Cantico; ac demum Daniel loco, de quo agimus. A nulla tamen ex iis hebdomadarum, de quibus loquimur, initium sumendum esse, illud 1.° ostendit, quod, ut cap. ant. contra Harduinum, et Calmetum disseruimus, de nulla ex iis dici potest, fuisse sermonem, quo data Judaeis potestas fuerit reaedificandi Jerusalem. 2.° quod cum nulla ex iis peculiare quid habeat prae aliis, nec ulla etiam assignari potest ratio, cur potius ab una, quam altera ejusmodi initium sumatur; quare et Angeli verba nedum fuissent obscura, sed ambigua omnino, et incerta. 3.° quod a quacumque ex iis praefatum initium sumatur, deficiunt quoque calculi a Christi morte annis circiter septuaginta septem; nam omnium ultima fuit illa, de qua agimus, apud Danielem, eaque fuit anno I. Darii Medi, ideoque juxta Chronologos anno 538. ante aeram vulgarem; quibus additis aliis saltem 29. usque ad Christi mortem, habetur summa annorum 567. Ex his porro demptis septuaginta annorum hebdomadis, idest annis 490., superest, quod et ab ultima ex illis praedictionibus deficiunt tamen calculi usque ad Christi mortem per annos circiter septuaginta septem.

Aliunde igitur earum initium est sumendum, ac procul dubio ab exitu sermonis, quo data Judaeis potestas fuit, ut iterum aedificaretur Jerusalem. Quatuor porro hac super re emissa Edicta in Scripturis legimus: primum a Cyro l. 1. Esdrae cap. 1.; secundum a Dario ibid. cap. 6.; tertium ab Artaxerxe anno Regni sui septimo

ibid. c. 7.; quartum denique ab eodem Artaxerxe anno Regni sui vigesimo l. 2. Esdrae cap. 2. Dicimus proinde, hebdomadarum, de quibus agimus, initium sumendum non esse ab Edicto Cyri, ut scripsit Eusebius Caesariensis *l.* 8 *Demonstr. Evang.*, ac post eum alii quoque tum ex Catholicis, tum ex Protestantibus, quippe quod Cyrus Templum quidem jussit reaedificari, non Urbem: neque etiam a Darii Edicto, ut putavit Severus Sulpitius *l.* 2. *Hist. Eccles.*, ac post eum Julius Scaliger *in Proleg.*, *et l.* 6. *de emendat. temporum*, aliique; rati item, Darium illum non fuisse *Hystaspidem*, quartum a Cyro Persarum Regem, sed *Nothum*, qui nonus a Cyro inter Persarum Reges recensetur; cum Darius quoque non Urbem, sed Templum reaedificari permiserit: nec demum ab Edicto, quod Artaxerxes dedit anno Regni sui septimo, ut ex heterodoxis censuit Jacobus Capellus *in Historia Sacra*, Ludovicus Capellus *in Chron. Sacr.*, Pridaeus *in Historia Judaeorum l.* 5., aliique; et ex Catholicis Cornelius a Lapide *in c.* 9. *Dan.*, Jacobus Maria Ayrolus e Soc. Jesu *in l.* 70. *Hebdom. c.* 28., *et* 29., Laurentius Berti *De Theol. Discipl. l.* 25. *c.* 5., aliique; cum neque etiam in relato Artaxerxis Edicto de Urbe instauranda, sed de instaurando dumtaxat Templi cultu sermo sit. Sumendum ergo esse, statuimus a Litteris ab eodem Artaxerxe datis Nehemiae anno Regni sui vigesimo, utpote quibus et data Judaeis facultas fuit ipsa Jerosolymorum moenia denuo extruendi, et de facto haec vi illarum extructa denuo fuere. Hunc vero Artaxerxem non fuisse illum, qui dictus fuit *Memoriosus*, ac Dario Notho successit, sed *Longimanus*, ita dictus, quia habebat manum altera longiorem, fuitque sextus a Cyro Persarum Rex, contra Sulpitium, Scaligerum, aliosque, oportet quoque, statuamus: ex quo simul patebit contra eosdem, neque etiam *Nothum*, sed *Hystaspidem* fuisse illum Darium, qui secundum in Judaeorum gratiam Edictum dedit. Sit igitur

Prop. 1. Neque a Cyri, neque a Darii Edicto, ac neque etiam ab eo, quod Artaxerxes anno Regni sui septimo in gratiam Judaeorum edidit, Danielis hebdomadarum initium sumendum est.

Probatur. Et 1.°, ut supra diximus, cum nullum ex his Edictis peculiare quid habeat, quo ab altero distinguatur, nec ulla etiam ratio suppetit, cur ab uno

potius, quam ab alio praefatarum hebdomadarum initium sumatur, nec Angelus aliquid Danieli determinasset, sed ejus verba nedum obscura, sed et ambigna fuissent. Quod cum ita sit, a nullo ex illis Edictis earum initium est sumendum: Patet ergo propositum.

2.º, quia, ut patet ex Angeli verbis: *Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem etc. Et rursum aedificabitur platea, et muri etc.*, sermo, a quo praefatarum hebdomadarum initium est sumendum, ille est dicendus, quo data Judaeis potestas fuit reaedificandi ipsa Jerosolymorum moenia, ac vi cujus eadem de facto reaedificata fuere. Praefatis autem Edictis nec ulla Judaeis potestas data fuit Jerosolymorum moenia reaedificandi, nec ullius ex iis vi eadem de facto reaedificata fuere: Magis igitur, magisque patet propositum.

Objicitur quoad Cyrum, utique hunc instaurandae Urbis Judaeis potestatem dedisse; ita enim de eo legitur, Deum per Isaiam dixisse cap. 45.: *Ego suscitavi eum ad justitiam, et omnes vias ejus dirigam. Ipse aedificabit Civitatem meam, et captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus.* Et sane, quod vi Edicti in Judaeorum gratiam a Cyro editi ipsa Jerosolymorum moenia erecta fuerint, colligitur quoque ex querimoniis, quae leguntur l. 1. Esd. c. 4. a Judaeorum hostibus datis post Cyri mortem ad Assuerum, quod Judaei Jerusalem aedificarent, et muros ejus extruerent.

Respondet tamen D. Hieronymus in hunc locum, quod cum Jerusalem, non sub Cyro, sed sub Nehemia instaurata fuerit, verba idcirco Isaiae vel intelligenda ad litteram non sunt de Cyro, sed spiritali, ac nobiliori sensu de Christo, qui ibidem dicitur v. 16. *Vere Deus absconditus, Deus Israel Salvator*; vel, si litteraliter intelligi velint de Cyro, non quidem materialis Civitatis aedificatio intelligenda est, moenium scilicet, turrium, aliorumque propugnaculorum instauratione, sed Civium in ea coadunatio ob libertatem illis datam remeandi in Patriam, ubi profecto sub dio morari non poterant. Hinc sollerter in allato Isaiae loco dicitur *aedificabit Civitatem*, non *Urbem*: quia ad *Cives* non *ad moenia* referendus est sermo. Ad id vero, quod additum est, respondetur 1.º, utique Judaeorum hostes conquestos fuisse coram Cyri successore, quod Judaei Civitatis moenia extruerent. Inde tamen non sequitur, Judaeos id vel obtinuisse a Cyro, vel attentasse;

sed tantum, quod cum eorum hostes viderent, et Templum, et domos ad habitandum ab iis extrui, eosdem Urbem totam instaurare velle, suspicati fuerint. Hinc, ut cit. loco subditur, cum Rescriptum obtinuissent, ut Urbs non aedificaretur, aliud non dicitur, nisi, quod *tunc intermissum est opus Domini in Jerusalem*, nulla scilicet moenium mentione facta, quasi ea coepissent Judaei instaurare. 2.° id nobis nedum non adversari, sed et favere; si enim Judaeis fecisset Cyrus potestatem Jerosolymorum moenia instaurandi, nec eorum hostes de hoc, tamquam de crimine, eos ausi fuissent apud Assuerum accusare, nec iis Assuerus opus prohibuisset, inquiens: *Urbs non aedificetur, donec si forte a me jussum fuerit.*

Objicit quoque Laurentius Berti *De Theol. Discipl. l. cit. prop.* 3. pro Diplomate, quod Artaxerxes anno Regni sui septimo Esdrae dedit, utique illius vi quoquo modo fuisse instaurata Civitatis moenia: 1.°, quia, ut legitur l. 1. Esd. c. 7., *omnem petitionem ejus* Rex dedit Esdrae, nec non impendendi in eo, quod ipsi placuisset aurum, et argentum *juxta voluntatem Dei sui*; quibus verbis utique facultas illi data Urbis instaurandae intelligitur. 2.° quia cum populo datum fuerit consistendi in patria, ac sui juris esse, quomodonam illi negatum fuisse dici potest Urbem construere? 3.° quia, ut legitur l. 2. Esd. c. 2., cum Nehemias audisset ab Hanano, muros Jerusalem solo jacere, ejusque portas igne consumptas, dolore correptus multis diebus flevit. Nec dolori autem, nec fletui fuisset locus, si de murorum subversione, ac portarum conflagratione Hananus illi locutus esset, quae olim fuerat a Chaldaeis facta: Doluisse igitur, ac flevisse, dicendum est, quod cum Judaei hostibus circumdarentur, muros, quos denuo erexerant, et portas, quas extruxerant per Decretum ab Artaxerxe datum anno Regni sui septimo, eorum hostes destruxerant, et conflagraverant.

Respondetur tamen ad 1.m, quod cum Esdras aliud a Rege non petiisset, nisi tantum instaurationem Templi, aliorumque ad Religionem pertinentium; absque eo quod vel meminisset reaedificationis moenium Civitatis, recte dicimus, id tantum, quod petierat, Regem illi indulsisse, ac in eo tantum aurum, argentumque impendere. Ad 2.m, cautum illis fuisse, ne Civitatis moenia instaurarent, ut rebellandi occasionem inde non sumerent; que-

madmodum colligitur ex eodem l. 1. Esd. c. 4. , ubi Jerusalem vocatur *Civitas rebellis* , *et pessima* ; ac notum fit Regi , *quia si Civitas illa aedificata fuerit* , *et muri ejus instaurati*, *tributum* , *et vectigal*, *et annuos reditus non dabunt . . . quoniam Civitas illa ab antiquis diebus adversus Reges rebellat.* Ad 3 m , quod antiquarum calamitatnm relatio utique Nehemiae et doloris , et fletus causa esse potuit ; ut non raro exemplo sunt , qui peculiari sensibilitate afficiuntur , ac illis suorum calamitates , tametsi praeteritae , rursum ob oculos ponuntur.

Sed , ut paullo amplius immoremur in praefata opinatione refutanda , perpendantur et duo : 1.° quod si Artaxerxis Edicto anno septimo Regni ejus edito , implicite , ut contendit Laureutius Berti l. cit., facta fuisset Judaeis facultas Jerosolymorum moenia reaedificandi, nec Nehemias , ut legitur l. 2. Esd. c. 2. , audiens Civitatis moenia solo aequata jacere , vix , ac non sine maximo timore doloris sui causam Artaxerxi aperire ausus esset , eorumque denuo extruendorum facultatem ab eo petere , cum sciret , eumdem Artaxerxem jampridem Esdrae illam concessisse ; nec , ut ipse ibidem scribit , dixisset Magistratibus , quod manus Dei fuerat *bona cum eo* , quae profecto verba aliquid novum , ac non alias obtentum indicant : nec demum Judaei a re tam optata per alios tredecim annos abstinuissent , ac moenia eodem in statu passi essent manere, in quo a Chaldaeis relicta fuerant, ut constat ex cap. 2., et 4. l. 2. Esdrae, nec non ex l. 2. Paral. c. 36, , et ex l. 4. Reg. c. 25. simul collatis.

2.° quod si quidquid continetur in Diplomate ab Artaxerxe in Judaeorum gratiam lato anno Regni sui septimo , totum quoque iisdem Cyrus suo Decreto indulserat ; ac simul hoc illi praestat , tum quia populum a captivitate solvit , tum quia illum in Terram Patrum suorum remeare permisit , tum quia primum omnium in Judaeorum gratiam latum ; quis non videt , quod potius Cyri , quam praefatum Artaxerxis edictum dicendum esset *exitus sermonis* , ut iterum aedificaretur Jerusalem? Quidquid autem continetur in Diplomate ab Artaxerxe in Judaeorum gratiam lato anno Regni sui septimo, totum quoque iisdem Cyrus suo Decreto indulserat, cum iis indulserit et domos sibi construendi , unde Aggaeus illis deinde exprobravit , quod dum ipsi morabantur *in domibus laqueatis* , parum solliciti videban-

tur, ut Domum Dei, idest Templum aedificarent; et vivendi juxta Instituti sui leges tum quoad sacra, tum quoad civilia; non sine quadam a Persarum Regibus dependentia, sed a qua nec eos Artaxerxes deinde exemit: Quis ergo non videt, quod potius Cyri, quam praefatum Artaxerxis edictum dicendum esset *exitus sermonis, ut iterum aedificaretur Jerusalem?* A quo tamen cum duci nequeant septuaginta Danielis hebdomadae absque eo quod calculi nequaquam constent, neque etiam eas ducendas esse a praefato Artaxerxis Edicto, consequens est. Apposite idcirco Continuator Tourn. De Incarnat. Verbi Div. Disput. 2. art. 2. paragr. 2. *Si characteres sermonis, a cujus exitu ducendae Hebdomades, tam competant edicto Cyri, quam Decreto Artaxerxis, non magis unum, quam alterum, ac proinde neutrum esse poterit septimanarum principium. Quid ita? Quia ab aliquo fixo, et determinato septimanae putentur, necesse est. Imo in ejusmodi hypothesi a solo Edicto Cyri hebdomades essent numerandae, siquidem cum sit primum, eo ipso habet quid speciale, ac magis determinatum.*

Prop. II. Rescriptum Nehemiae datum ab Artaxerxe anno Regni sui vigesimo ipsum est sermo, a cujus exitu ducendae sunt Danielis hebdomadae.

Probatur; sermo enim, ut supra diximus, a cujus exitu Danielis hebdomadae ducendae sunt, duobus characteribus insigniri debet; scilicet 1.° , quod fuerit sermo, ut iterum aedificaretur Jerusalem, moeniis nempe, prout erat prius, circumdata; ac 2.° , quod illius vi ejus moenia fuerint de facto erecta. Utrumque autem reperitur in Rescripto, Nehemiae dato ab Artaxerxe anno Regni sui vigesimo; et facultas namque in eo exprimitur extruendorum denuo moenium, ut patet ex l. 2. Esdrae c. 2., et de facto haec vi illius erecta denuo fuere, ut patet ex sequentibus capitibus 3., 4., etc., ubi et legitur, quod Nehemias, illis acceptis a Rege Litteris, Jerosolymam petiit, ac ita manum operi admovit, ut nihil curans, quod Judaeorum hostes illi obsisterent, quodque oporteret operi simul, ac praelio intendere, necesse fuit, quod artifex, dum *una manu faciebat opus, altera teneret gladium*: qua agendi ratione adeo celeriter opus completum fuit, ut solis quinquaginta duobus diebus fuerit perfectum, ad quod forte respexerat Ange-

lus, inquiens, quod *platea*, *et muri aedificarentur in angustia temporum*: Patet ergo propositum.

Accedit tamen et cap. 49. Eccli., ubi laus Nehemiae tribuitur, quod Jerosolymorum *muros eversos erexit*: et quod Africanus, teste Eusebio *l.* 8. *Demonstr. Evang.*, et D. Hieronymo *in c.* 9. *Dan.* addit, cautum semper fuisse Judaeis a Persarum Regibus ante annum vigesimum Artaxerxis, ne Jerosolymorum moenia excitarent; quod et ipse D. Hieronymus confirmat in c. 45. Isaiae. Quibus positis, habetur etiam, quod Rescriptum Nehemiae datum ab Artaxerxe anno Regni sui vigesimo et distinguitur a caeteris Diplomatibus in Judaeorum gratiam a Persarum Regibus editis, et apprime Angeli verbis respondet.

Demum *haec sententia* (ut scribit Natalis Alex. in VI. Mundi aet. Diss. 2. prop. 1. in fine), *quatenus ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani Septuaginta hebdomadum Danielis ducit exordium, nobiles ex antiquis Patribus Patronos habet, Julium Africanum, S. Joannem Chrysostomum, Theodoretum, Bedam, S. Thomam.* Quare et communior est apud Theologos.

Objicit Ayrolus *l. cit, c.* 14., quod ubi Vulgata Latina habet *ut iterum aedificetur Jerusalem*, Hebraeus Codex legit *ad redire faciendum, et aedificandum Jerusalem*; ex quo sequitur, quod exitus sermonis, unde sumendum est Danielis hebdomadarum initium, duobus hisce characteribus insigniri debet; et nempe quod fuerit sermo solvens Judaeorum captivitatem, facultatem illis praebens redeundi in Jerusalem; et quod fuerit sermo facultatem iisdem praebens Civitatem reaedificandi. Accedunt etiam multae versiones, Syriaca, Arabica, Pagnini; et apud 70. Interpretes sic habetur: *Ab exitu sermonis, ut respondeatur* (votis scilicet populi redire cupientis), *et aedificetur Jerusalem.* Rescriptum autem Nehemiae datum anno Artaxerxis vigesimo non fuit sermo solvens captivitatem, quae jam soluta fuerat per Cyrum; Neque igitur dicendum est sermo, unde hebdomadarum Danielis initium sit sumendum.

Respondetur tamen neg. maj.; cum enim nulla populi mentio ibi fiat, hinc tam verba *ad redire faciendum*, quam illa *et aedificandum Jerusalem* utraque ad Jerusalem spectant; utique enim sensu metaphorico Urbs quondam destructa redire dicitur, quum iterum aedifica-

tur. Nec similes hebraismi raro in Scripturis occurrunt; quod scilicet duo verba consequenter ponantur, eorumque unum vim adverbii habeat: ut quum dicitur *addidit loqui*; *addidit*, *et locutus est*; *addidit ad loquendum* pro *rursus locutus est*. Nec 70. Interpretum lectio adversatur; instantibus enim populi precibus pro moenium restauratione futurum Angelus praedixit sermonem, qui eorum votis respondisset.

Prop. III. Artaxerxes, a quo Esdras anno Regni illius septimo, et Nehemias anno Regni illius vigesimo Rescriptum in Judaeorum gratiam acceperunt, non quidem *Memoriosus*, sed *Longimanus* fuit.

Probatur; 1.° enim Esdras l. 1. cap. 4., et 5. enumerans Persarum Reges a Cyro, qui primus omnium potestatem Judaeis dedit denuo extruendi Templum, donec istud fuit tandem absolutum, quatuor tantum Reges continua recenset serie; Cyrum nempe, cujus jussu fundamenta jacta fuere; Assuerum, et Artaxerxem, sub quibus opus intermissum fuit, et Darium, sub quo resumptum fuit, completumque. Quartus autem a Cyro Persarum Rex fuit Darius Hystaspes; quique illi Artaxerxis nomine proxime successit, ac duplex legitur in Judaeorum gratiam Rescriptum edidisse, primum scilicet anno Regni sui septimo, alterum anno Regni sui vigesimo, fuit Artaxerxes, non quidem *Memoriosus*, sed *Longimanus*, Xerxis Filius, et Darii Hystaspidis Nepos: Patet ergo propositum.

2.° Quia collatis cap. 10., et 12. libri 2. Esdrae, deprehenduntur plus quam viginti homines ex iis, qui cum Zorobabele e captivitate redierant, ac foedus cum Domino post vigesimum Artaxerxis annum subsignarunt. Fidem autem omnem superat, quod tempore Artaxerxis *Memoriosi* aliquis ex iis adhuc viveret, cum ab anno 1. Cyri, quo Jerosolymam redierant, usque ad annum vigesimum Artaxerxis Memoriosi anni effluxerint 152.; quibus additis annis, quos excesserant, dum redirent, aetas iis tribuenda esset centum circiter octoginta annorum: Non igitur ille Artaxerxes is, qui dictus fuit *Memoriosus*, *sed Longimanus*.

Objicit tamen 1.° Scaliger, quod Nehemias, libri 2.° Esdrae Auctor, meminit c. 4. Sannaballatis, qui ipsi muros construenti acriter restiterat; quique, ut refert Josephus *l. 11. Ant. c. 8.*, suppetias tulit cum octo ar-

matorum millibus Alexandro Macedoni Tyrum obsidenti. Item c. 12. Summi Judaeorum Sacerdotis Jedduae, seu Jaddi; qui, ut refert idem Josephus *loco cit.*, obviam se fecit in Pontificio ornatu Alexandro Macedoni, dum hic Jerosolymam petiit; cujus proinde tempora Nehemiam attigisse, consequens est. Ab Alexandri autem temporibus ad annum vigesimum Artaxerxis Longimani anni centum, ac tredecim ex canone Ptolemaico numerantur; quibus et additis iis, quibus eó usque vixerat Nehemias, tribuendi ipsi essent anni circiter centum, ac quinquaginta; quod incredibile videtur: Non igitur Artaxerxes, a quo anno ejus Regni vigesimo Litteras Nehemias accepit, dicendus est Longimanus, sed Memoriosus

Respondetur cum Petavio *l.* 12. *De Doctr. Temp. c.* 25. quoad 1.m, duos fuisse Sannaballates; ac Josephum retulisse ad posteriorem; quod de primo l. 2. Esd. c. 4. habetur: ut namque advertit Vir doctissimus, non pauca occurrunt in citato Antiquitatum libro, quae Josephus mirum in modum confundit, et in quibus ejus narratio tum Scripturis, tum historiae, tum rationi ipsi opponitur. Cui accedit, quod expresse non ait Josephus, Sannaballatem, qui Nehemiae restitit, illum fuisse, qui Alexandro Tyrum obsidenti suppetias tulit.

Quoad alterum vero, ea quae de Ieddua leguntur l. 2. Esdrae c. 12., non ab ipso Nehemia scripta, sed aliena manu ejus libro inserta fuisse, ut Levitarum catalogus longius produceretur; quemadmodum simili ex ratione factum fuisse tum in fine Deuteronomii, tum in libris Josue, Tobiae, ac Jeremiae, communiter DD. tradunt, ac nos *l.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. advertimus.

Objicit 2.°, quod si Darius, qui Artaxerxem, de quo hic sermo, praecessit, non *Hystaspes*, sed *Nothus* fuit, neque etiam Artaxerxes, qui ei successit, dicendus est *Longimanus*, sed *Memoriosus*. Darius autem, qui Artaxerxem, de quo hic sermo, praecessit, ille fuit, qui anno secundo Regni sui indulsit Judaeis resumere extructionem Templi, isque non *Hystaspes*, sed *Nothus* fuit; secus namque non legeretur apud Zachariam c. 1.; quod anno 2. Darii Regis, ut ex eodem loco manifestum est, *respondit Angelus Domini, et dixit: Domine exercituum, usquequo non misereberis Jerusalem, et Urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est;* a soluta enim captivitate per Cyrum usque ad an-

num secundum Darii Hystaspis septemdecim tantum anni, non septuaginta effluxerant; quos proinde numerandos esse sequitur a morte Cyri, a qua Judaei accusari, et vexari coeperunt ab eorum hostibus; et a qua usque ad annum secundum Darii Nothi anni septuaginta effluxerunt: Artaxerxes ergo, de quo hic sermo, dicendus non est *Longimanus*, sed *Memoriosus*.

Respondetur neg. min.; et ad probationem, verba Angeli ad septuaginta captivitatis annos referri debere, eorumque sensum esse: Nonne, Domine, promiseras, omnia post septuaginta annos esse instauranda? Quare ergo Templi opus intermissum est, et adhuc impediri a Judaeorum hostibus sinis? Cui accedit, quod ab eversione Urbis, et Templi usque ad annum secundum Darii Hystaspis revera septuaginta anni effluxerant; eversum namque fuerat Templum anno undecimo Sedeciae, cujus anno nono, idest biennio ante Nabuchodonosor vallaverat Jerusalem. Ab anno autem Sedeciae nono usque ad annum secundum Darii Hystaspis anni transierant septuaginta: ex quo sequitur, stabiliri potius, quam infirmari, quod diximus, ex relatis Zachariae verbis. Quibus et additur, falsum esse, quod a morte Cyri, ut asserit Scaliger, ad annum secundum Darii Nothi computentur septuaginta anni, cum ad summum sexaginta quatuor, vel sexaginta quinque anni effluxerint.

Caetera demum, quae Scaliger congerit, facile his duobus solvuntur: 1.°, quod in Libro 1. Esdrae non recenset aliquando Auctor Persarum Reges ordine suo, sed, relictis intermediis, eos tantum recenset, qui fuerunt erga Judaeos benefici; ut quum c. 4. de Judaeorum hostibus scribit; *Conduxerunt autem adversus eos consiliatores, ut destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri Regis Persarum, et usque ad Regnum Darii Regis Persarum*; quo in loco duos alios intermedios relinquit. Et c. 6. *Seniores autem Iudaeorum aedificabant, et prosperabantur . . et aedificaverunt, et construxerunt jubente Deo Israel, et jubente Ciro, et Dario, et Artaxerxe Regibus Persarum. et compleverunt domum Dei usque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus Regni Darii Regis*; Hystaspidis nempe, sub quo diximus, Templum absolutum fuisse; quo in loco intermedios quoque Reges relinquit. 2.°, quod nomen tam *Artaxerxis*, quam *Assueri*, licet quibusdam

Persarum Regibus specialiter tributum, utrumque tamen commune fuit omnibus Persarum Regibus, prout *Pharao*, ac deinde *Ptolemaeus* apud AEgyptios, et *Caesar* apud Romanos: per *Artaxerxem* namque significabatur apud Persas *Magnus Bellator*; per *Assuerum* vero *Magnum Caput*.

CAPUT VIII.

De Messiae adventu, eoque in Christo Domino nostro agnoscendo ex complemento in eodem hebdomadarum Danielis.

Nihil facilius, quam Messiam jamdiu advenisse, ex relato Danielis oraculo ostendere: 1.° enim assignat, futurum Messiae adventum ante Urbis, et Templi eversionem. Haec autem jamdiu contigit. Iamdiu igitur advenit Messias. 2.° eumdem assignat versus finem septuaginta hebdomadarum ab exitu sermonis, ut iterum aedificaretur Jerusalem a Chaldaeis capta, et solo aequata. Praefatae autem hebdomadae jamdiu effluxerunt: Rursum ergo Messiam advenisse, est dicendum. 3.° antequam saeculum a soluta post Cyrum captivitate elaberetur, instaurata apprime fuit Jerusalem; a quo tempore bis mille circiter, ac tercenti elapsi anni sunt. Ab hac autem saltem instauratione usque ad Messiae adventum nonnisi quadringenti, ac nonaginta anni juxta Danielis oraculum elabi debuerant: Quis ergo ex eo non videt, Messiam jamdiu advenisse? 4.° post mortem Messiae illatam populus cum Duce venturo dissipandus erat juxta Danielis oraculum Jerusalem, ejusque Templum, nec non Iudaei in tali desolatione statuendi, quae usque ad consummationem, et finem esset perseveratura. Iamdiu autem Jerusalem excisa, incensum Templum, Iudaei hac, atque illac dispersi visi sunt: Rursum igitur luce meridiana clarius, Messiae adventum jamdiu fuisse. 5.° demum, morte Messiae illata, defectura erat juxta Danielis oraculum inter Iudaeos hostia, et sacrificium. Simul autem cum ruina Templi, in quo tantum Sacrificia offerri a Judaeis poterant, jamdiu inter eos hostia, et sacrificium defecit; Iamdiu igitur Messiam advenisse, magis, magisque evidens est. Nihil proinde facilius, quam Messiam jamdiu advenisse, ex praefato Danielis oraculo ostendere.

Aeque tamen facile non est, hebdomadarum, quas Angelus praesignavit, complementum in Christo Domino nostro ostendere; dum enim necesse est, quod earum initium sumatur ab exitu sermonis, ut iterum aedificaretur Jerusalem, necesse est simul, quod mors Christi inciderit in dimidio ultimae hebdomadae, quae utpote Mysteriorum plena, a caeteris ab Angelo divulsa fuit. Hoc porro opus, hic labor: cum enim constet, quod Darius Hystaspes, Avus Artaxerxis Longimani, et Pater Xerxis supremum diem obierit quinto anno ineunte post pugnam Marathoniam, ut refert Herodotus *l. 7. hist.*, ideoque anno 485. ante aeram vulgarem (certum namque est apud omnes, et late probat Petavius *l. 10. de Doctr. Temp. c. 22.*, pugnam Marathoniam anno 490. ante aeram vulgarem peractam fuisse); cum item constet, Xerxem; qui fuit Pater Artaxerxis Longimani viginti annis regnasse (ita enim habet unanimis omnium veterum Chronologorum consensus, ut Ptolemaei *in Canone*, Diodori Siculi, Eusebii, etc., immo et recentiorum quoque, ut Petavii *l. 10, de Doctr. Temp. c. 25.*, Possini *in Dissert. Menoch. suppl. inserta*), ideoque anno ante aeram vulgarem 464. fato functum esse: in varias proinde abeunt Eruditi sententias, ut Danielis, de quo agimus, oraculum in Christo Domino nostro impletum fuisse, ostendant.

Incipiendo autem ab iis, qui sermonem, a cujus exitu Danielis hebdomadae numerandae sunt, Edictum, inquiunt, fuisse, quod Artaxerxes Longimanus dedit Esdrae anno Regni ejus septimo, calculos quidam ex iis componunt, ajendo, quod cum annus Artaxerxis Longimani septimus in annum incidat ante aeram vulgarem 457., nemo non videt, septuaginta annorum hebdomadas ab illa Epocha ductas desinere anno aerae vulgaris 33., quo Christus in Ara Crucis pro humani generis salute Deo Patri se obtulit. Adamussim ergo in eo impletum fuit Danielis oraculum. Nec juxta eos obstat, quod, ut calculi constent, necesse est, quod illis verbis, *et in dimidio hebdomadis etc.* tribuatur sensus, quod Christus occidendus esset in secundo dimidio ultimae hebdomadis, seu in ultima ejus medietate, utique enim, inquiunt, ejusmodi verba significare posse partem hebdomadis dimidiatam. Ita ex iis uterque Capellus, Pridaeus, aliique.

Quamvis tamen Cornelius a Lapide, Iacobus Maria Ayrolus, Laurentius Berti, aliique ab eodem puncto, ut diximus, anno scilicet septimo Artaxerxis Longimani hebdomadarum Danielis initium sumant, iis caeterum non arridet nec verba *in dimidio hebdomadis etc.* interpretari pro una medietate hebdomadis, nec Christi mortem anno aerae vulgaris 33. assignare. Non i.m, et quidem merito: cum enim praecedant verba, *Confirmabit pactum multis hebdomada una*, satis datur intelligi, cur ultima hebdomada secta fuerit bifariam, ad exprimendum scilicet, in ejus medio sacrificia omnia, velut umbras ad lucis ortum, desitura; dum e contrario et nulla ejusmodi partitionis ratio haberetur, interpretando illa verba pro una ultimae hebdomadis medietate, et nemo divinari potuisset, de qua hebdomadis medietate, an scilicet de prima, vel de altera Angelus locutus esset. Cumque item quidquid in aliqua hebdomada eventurum est, nisi in ejus medio eveniat, oportet profectó, ut in alterutra ejusdem medietate contingat, inaniter omnino Angelus postremam hebdomadam in duas partes divisisset. Non alterum; cum enim Christus natus fuerit solido ante aeram vulgarem quadriennio, ut modo in comperto est apud omnes Chronologos, et baptismales aquas sacraverit, dum annum trigesimum ageret ex D. Luca c. 3., nec postea, nisi per triennium, praedicationis munus gesserit, ut ex Evangelio colligitur, differri, inquiunt, non posse illius mortem ultra annum vigesimum nonum aerae vulgaris, ejusdemque aetatis trigesimum tertium. Hinc calculos, pergunt, optime constare, evidens est; cum enim ex supra allatis Scriptorum testimoniis annus Artaxerxis Longimani septimus ipse fuerit ante aeram vulgarem 457., ab hoc proinde ductis sexaginta novem hebdomadibus cum dimidia, idest annis 486., adamussim pervenitur ad praefatum mortis Christi annum: quo (addunt) Christum, dum 33. annum ageret, mortem oppetiisse, adeo communis sententia semper tenuit, ut cum ab ea decessisset 13. Ecclesiae saeculo Rogerius Bachonus Ordinis Minorum, asserens, Christum obiisse die 3. Aprilis anno 33. aerae vulgaris, male apud omnes audiit, ac, tamquam de errore suspectus, habitus fuit, quemadmodum ex Wadingo refert Pagius *ad ann.* 32. *n.* 8.; quod et Tostatum expertum esse, cum eamdem

sententiam in medium Senis protulisset, idem quoque Pagius refert. Qua super re ipse tamen Laur. Berti advertit, quod licet Tostati assertionem damnatam aliqui traduxerint ex quodam MS. Cardinalis Turrecremata, id caeterum, inquit, *nos minime affirmamus, immo fatemur, ab eo tempore, ob editam a Tostato apologiam, probatamque calculis Astronomorum, in eamdem sententiam complures descendisse* (*De Theol. Discipl. l.* 29. *c.* 7.). Ita disserunt super quaestione, de qua agimus, qui Danielis hebdomadas sumendas inquiunt ab anno septimo Artaxerxis Longimani.

Ii vero, qui sermonem, a cujus exitu Danielis hebdomadae numerandae sunt, rectius, ut cap. ant. ostendimus, Edictum, inquiunt, fuisse, quod idem Artaxerxes Nehemiae dedit anno ejus Regni vigesimo, aliter, ut nemo non videt, quaestionem solvere, coguntur; utque oraculum cum eventu concilient, octo fere annorum intervallum componere. Et sane cum mors Xerxis, Pater Artaxerxis Longimani, inciderit ex supra allatis testimoniis anno ante aeram vulgarem 464., annum proinde vigesimum Regni Artaxerxis Longimani versus annum 445, ante aeram vulgarem incidisse, consequens est. Ab hoc autem ductis septuaginta Danielis hebdomadis, incidit postremus annus ultimae hebdomadis in annum 45. aerae vulgaris; cum tamen Christi mors, ultimae hebdomadis medio ex Danielis vaticinio assignanda, nequeat ultra annum illius aerae trigesimum tertium, doctis omnibus fatentibus, differri. Habetur igitur, quod, ut calculi cohaereant, Christus mori debuisset anno aerae vulgaris 41. cum dimidio, non autem anno ipsius aerae 33.; ex quo sequitur, componendum istud esse annorum intervallum, quod ab anno 33. aerae vulgaris usque ad annum 41. cum dimidio ipsius aerae intercedit, ideoque octo fere annorum, ut diximus,

Et 1.° Iulius Africanus *l.* 5. *De Temporibus*, Theodoretus *in c.* 9. *Daniel.*, Zonaras *l.* 3. *Annal.*, Pererius *Comment. in Daniel. p.* 2., Salianus, et Torniellus *in Annal.*, Huetius *in Demonstr. Evang. prop.* 9. *c.* 8. *n.* 9., aliique praefatum annorum intervallum componunt, ajentes, quod Danielis hebdomadae intelligendae non sunt de annis Solaribus, sed Lunaribus; idque quia Judaei ad cursum Lunae annos computa-

bant. Hinc cum annus Lunaris a Solari deficiat per dies undecim, nemo non videt, quod septuaginta hebdomades annorum Lunarium non conficiunt 490., sed 475. annos Solares cum aliquot mensibus; quibus proinde ductis ab anno 20. Regni Artaxerxis Longimani, ante aeram vulgarem, ut diximus, quadringentesimo quadragesimo quinto, habetur, quod annus postremus ultimae hebdomadis incidit in annum 30. aerae vulgaris, cui anno mors Christi juxta eosdem assignanda est; interpretando et ipsi idcirco illa Angeli verba, *et in dimidio hebdomadis etc.* pro ultima extremae hebdomadis medietate.

Danielis tamen hebdomadas intelligendas non esse de annis Lunaribus, illud argumento sit; quod intelligendae sunt de hebdomadis apud Judaeos usitatis, et a Scriptura memoratis, secus enim quid fixi in iis haberetur? Nullibi autem Scripturarum occurrit mentio hebdomadarum annorum Lunarium; 1.° enim Levitici verba: *Numerabis tibi septem hebdomadas annorum etc.*, necessario, omnibusque fatentibus, de annis Solaribus explicanda sunt: de quibus etiam ab omnibus ipse Daniel intelligitur, quum initio capitis noni, de quo agimus, loquitur de septuaginta annis desolationis Jerusalem; quumque variis in locis annos Regum Chaldaeorum, aut Persarum computat. 2.° quia cum Judaei ex Dei praecepto celebrare quotannis deberent Pascha die 14. Lunationis, quae proxime accedebat ad verum aequinoctium, eaque Lunatio primus fuerit in mensibus anni juxta Moysis institutionem; nemo non videt, quod etsi menses anni fuissent apud Judaeos menses Lunares, annus tamen erat Solaris. 3.° quia Auctores profanos annos Solares numerasse, nemo est, qui de hoc dubitet. Eodem autem modo Hebraeos quoque illos numerasse, ex eo liquet, quod l. 1. Mach. c. 1. Alexander dicitur regnasse 12. annis; qui annorum numerus ipsi quoque adscribitur ab Auctoribus profanis: Cum ergo annos numerassent perinde ac Auctores profani, perinde etiam, ac Auctores profanos eos juxta cursum Solis eos numerasse, est dicendum; de quibus proinde in vaticinio, de quo agimus, sermonem fieri, consequens est. Nec facessit, quod Angelus dixerit: *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt*; quasi his verbis de brevioribus hebdomadis se loqui, Pro-

phetae indicasset: abbreviatas enim nuncupavit, vel quia definitas; vel quia respectu temporis, quod effluxerat a Mundi initio, breve erat tempus usque ad Messiae adventum, eo fere modo, quo in senectute vita hominis dicitur abbreviata; vel quia ante ultimae hebdomadis terminum fuisset Messias humanae salutis opus absoluturus, ut ipsi Huetio placet. Demum Angeli verba *Et in dimidio hebdomadis etc.* perperam intelligi pro ultima postremae hebdomadis medietate, jam supra ostendimus.

Aliter proinde praefatum annorum dissidium Usserius *Ann. Vet. Vest. ad ann. ante aer. vulg.* 474., Lancelotus *Chronol. Sacra c.* 20., Bossuetius *Hist. univ. p.* 1. *Epoch.* 8., aliique praefatum annorum dissidium componunt, ajendo, Xerxem Patrem Artaxerxis Longimani jugulatum ab Artabano fuisse anno Regni sui duodecimo; tuncque Artaxerxem Regno frui coeptum. Id vero probant Thucydidis, Charontis Lampsaceni, Annalium Persicorum, Cornelii Nepotis, et Eusebii testimoniis, ex quibus constat, Themistoclem Athenis pulsum ad Artaxerxem confugisse, *qui nuper regnare incoeperat*; dum simul constat ex testimonio Eusebii *in Chronico*, cui etiam adjungitur Diodorus Siculus, Themistoclis fugam anno ante aeram vulgarem 473. evenisse, ideoque anno Regni Xerxis duodecimo. Hinc, pergunt, cum Artaxerxes Longimanus regnare incoeperit, non quidem anno 465., sed anno 473. ante aeram vulgarem, annus proinde Regni ejus vigesimus incidit in annum ante aeram vulgarem 453.; a quibus ductis septuaginta Danielis hebdomadis, idest annis 490., habetur, quod annus postremus ultimae hebdomadis incidit in annum 37. aerae vulgaris, ita ut mors Christi, quam anno ejusdem aerae 33 assignant, in dimidio ultimae hebdomadis juxta Angeli praedictionem contigerit.

Attamen, ne huic quoque sententiae subscribamus, obstat, falsum esse, quod Xerxes anno Regni sui 12. ab Artabano jugulatus fuerit: 1.° enim omnes Chronologi, ut supra diximus, tam veteres, quam recentes, unanimiter tradunt, Xerxem viginti annis regnasse: 2.° concors est etiam affirmatio Scriptorum gravissimorum Dionis, Clitarchi, Heraclidis, Josephi Hebraei, Diodori Siculi, Plutarchi, aliorumque multorum, Themistoclem ad illum ipsum Persarum Regem, quem Salaminae vicerat, et ex Graecia expulerat, confugisse. Is autem non alius fuerat,

quam Xerxes : utque ex praefatis Scriptoribus plerique illorum expresse affirmant, ejus adhuc viventis, ac regnantis patrocinium Themistocles Athenis ostracismo pulsus quaesivit. 3.° et Eusebius *Chronol. Lat. l. 1., et Chronol. graec. ibid.*, et Diodorus Siculus *l. 2.*, dum inquiunt anno Xerxis 12., Themistoclem ad ipsum confugisse, inquiunt simul, pluribus deinde annis post Themistoclis fugam regnasse. 4.° demum vitae, historiaeque Themistoclis antiquissimi Auctores referunt, quemdam Lysithidem Asiaticum, hominem ditissimum, qui gratiam sibi magnam apud Xerxem comparaverat, epulis ei, et universo ejus exercitui copiosissimis datis cum movens in Graeciam Hellespontum transierat, Themistoclis, cui veteri amicitia conjungebatur, favisse suffragatione benevola, ac contulisse, ut audientiam illi Xerxes daret. Utque in vita Themistoclis addit Plutarchus, ejus admissionis ad Persarum Regem, magna etiam ex parte Minister fuit Artabanus, qui deinde Xerxem jugulavit; quem profecto Artaxerxem servasse adhuc in Aula, postquam Xerxem ejus Patrem occiderat, incredibile est. Quod si idem Plutarchus scribit, Xerxe jam mortuo, regnasse Artaxerxem, quum ad eum Themistocles confugit, afferens testimonium Thucydidis, Charontis Lampsaceni, et Annalium Persicorum, erroris quoad hoc ab Eruditis insimulatur: nam ex una parte nullatenus apud Thucydidem leguntur verba, quibus Plutarchus utitur; *Defuncto jam Xerxe*; quae proinde neque etiam extitisse apud Charontem Lampsacenum, et in Annalibus Persicis, qui jamdiu perierunt, recte dicimus: et ex altera, cum rerum Persicarum non satis gnarus esset Plutarchus, facile potuit de cooptationibus in Perside usurpatis, quarum mox sermo occurret, nullam habere rationem; ac ea, quae Scriptores dixerant de Artaxerxe, vivente jam Patre, cumque eo simul regnante, quia ad Regnum cooptatus fuerat, de illo intelligere, quasi solus a morte Patris regnaret, utque solent Scriptores Regnorum initium sumere.

Sequitur opinatio Tirini *in Chronico Sacro c.* 38., Abrami apud Turneminium *in Menoch. suppl.*, aliorumque, ajentium, quod cum Xerxes, mortuo ejus Patre Dario Hystaspide, ut supra diximus, anno ante aeram vulgarem 485., profectus fuerit adversus Graecos quinquennio post, ideoque anno ante aeram vulgarem 480 (refert enim Thu-

cydides *l.* 1. *hist.*, caesos Salaminae a Graecis fuisse Persas decennio exacto post pugnam Marathoniam, quam anno 490. ante aeram vulgarem commissam fuisse, supra etiam diximus); fueritque mos apud Persas, quod eorum Reges longe profecturi successorem Regni designarent: eo anno idcirco adscivit in Regni consortium Artaxerxem; a qua cooptatione, inquiunt, duxisse Nehemiam annum Regni Artaxerxis vigesimum, qui proinde incidit in annum ante aeram vulgarem 460. . His vero additis aliis tribus annis, quo temporis spatio Jerosolymorum moenia cum suis propugnaculis absoluta fuisse, colligitur ex Josepho *l.* 11. *Antiqu.* *c.* 5., habetur annus ante aeram vulgarem 457.: a quo, pergunt, cum ducendae sint septuaginta Danielis hebdomadae juxta Angeli verba: *Ab exitu sermonis etc.*, quae intelligenda esse, inquiunt, de absolutis, perfectisque omnino Jerosolymorum moenibus, habetur, quod desinunt anno 33. aerae vulgaris, ac simul earum in Christo complementum, utpote eo anno Cruci a Judaeis affixo. Suam vero opinationem fulciunt, ajendo, quod si Nehemias Jerosolymam profectus anno Artaxerxis vigesimo, illuc tamen advenit prius, quam Esdras eo profectus anno Artaxerxis septimo post mortem Xerxis, necesse est, quod annus Artaxerxis vigesimus ab ejus cooptatione in Regem praefato anno Xerxis quinto sumatur. Advenit autem Nehemias Jerosolymam, priusquam illuc adveniret Esdras: ut colligitur 1.° ex eo, quod legitur l. 1. Esd. c. 6 *Aedificaverunt, et construxerunt, jubente Deo Israel, et jubente Cyro, et Dario, et Artaxerxe Regibus Persarum.* Et c. sequ. additur: *Post haec autem verba in Regno Artaxerxis . . . ipse Esdras ascendit de Babylone*; ex quibus simul perpensis consequens videtur, non prius advenisse Esdram Jerosolymam, quam sub Nehemia per Litteras ab Artaxerxe acceptas aedificata fuerat. 2.° ex verbis l. 2. Esd. c. 7. *Et dixit Athersata eis, ut non manducarent de Sancto Sanctorum, donec staret Sacerdos doctus, et eruditus*; quo in loco Athersata ipse est Nehemias. Per Sacerdotem autem *doctum, et eruditum*, quisnam, nisi Esdras, intelligi potest? Petierat ergo Nehemias Jerosolymam, cum nondum illic Esdras advenerat. 3.° ex eo quod Esdras Legis peritissimus, et zelantissimus passus non esset, et quod abusus non ferendi inter Judaeos grassarentur; et quod omitterentur solemnes Tabernaculorum dies; utque constat ex l. 2. Esd. c. 5.,

tales in Nehemiae adventu a Judaeis exigebantur usurae ab ipsis fratribus suis, ut cogerentur filios suos, et filias divitibus vendere: c. vero 8. legitur, quod nonnisi in eodem Nehemiae adventu *habitaverunt in Tabernaculis, non enim fecerant a diebus Josue filii Nun taliter filii Israel usque ad diem illum.* Quibus positis, necesse est, ut annus Regni Artaxerxis vigesimus ab ejus cooptatione in Regem anno Xerxis quinto sumatur, ac ita componatur praefatum annorum intervallum, ut vaticinium cum eventu cohaereat.

Sed nec arridet ejusmodi opinatio; 1.º enim si Artaxerxes fuisset anno Xerxis quinto in Regni consortium adscitus, vel annus Artaxerxis septimus, de quo sermo fit in Decreto Esdrae concesso, duceretur ab hac Regni participatione, vel a morte Xerxis. Neutrum autem dici potest. Non 1.um, quippe quod cum Xerxes viginti annos regnaverit, ita profecto Artaxerxes locutus non esset, Patre adhuc vivente, in illo Decreto, ut solus Rex, et Rex Regum appellaretur. Neque alterum, si enim annus Artaxerxis septimus sumitur in praefato Decreto a morte Xerxis, ac simul annus ejusdem vigesimus in Litteris Nehemiae datis ab anno Xerxis quinto, quo adscitus ab eo fuit in Regni consortium, Esdras, ut coguntur Tirinus, Abramus, et Turneminius asserere, nonnisi duobus post Nehemiam annis advenisset Jerosolymam, cum tamen Jerosolymis eum reperiisse Nehemiam, manifeste pateat ex cap 2., 6., et 8. libri 2. Esd. simul collatis; legitur enim c. 2., Nehemiam Susis profectum fuisse *mense primo*; c. 6., *completum esse murum vigesimo quinto die mensis Elul* (idest mensis 6.) *quinquaginta duobus diebus*; tandem c. 8.: *Venerat autem mensis septimus . . . Congregatusque est omnis populus . . et dixerunt Esdrae Scribae, ut afferret librum legis Moysi.. Attulit ergo Esdras Sacerdos Legem coram multitudine . . in prima die mensis septimi*: Cum ergo in hypothesi, quod Artaxerxes fuerit anno Xerxis quinto in Regni consortium adscitus, duci nequeat annus Regni ejus septimus, de quo sermo fit in Decreto Esdrae concesso, nec a praefata Regni participatione, nec a morte Xerxis, dicendum profecto, quod quamvis Xerxes anno ejus Regni quinto in Graeciam trajecerit, non adscivit tamen Artaxerxem in Regni consortium, nec proinde sumi ab eo potest in Litteris Nehemiae datis annus Regni Artaxerxis vigesimus. 2.º jam

supra diximus cum Thucydide, quod quum Themistocles Athenis pulsus ad Xerxem confugit, Artaxerxes *nuper regnare incoeperat.* Contigit autem istud Themistoclis factum ex allatis ibidem Scriptorum testimoniis anno Xerxis duodecimo; et quaecumque voci *nuper* latitudo tribuatur, nequit profecto ad septem annos extendi, a quinto scilicet ad duodecimum annum Xerxis: Falsum igitur, quod Artaxerxes anno Xerxis quinto fuerit a Xerxe in Regni consortium adscitus. 3.° Xerxem viginti annis regnasse, Scriptorum congestis testimoniis supra ostendimus. Ipso autem anno, quo Xerxes obiit, adhuc Artaxerxes, ut testatur Justinus l. 3. c. 1., erat adolescens; ex quo sequitur, quod anno Xerxis quinto vix, ac ne vix quidem discretionis annos attigerat, quo plane tempore ineptus erat, ut ad Regni consortium adscisceretur: Nonnisi ergo inverisimiliter dicitur, quod praefato anno fuerit caeterum in Regni consortium adscitus; ideoque et inverisimiliter, quod annus Artaxerxis vigesimus ab eo duci possit in Litteris Nehemiae datis. Demum in medio ultimae hebdomadis, non in postremo ejus anno Christum occidendum esse, Angelus praenuntiaverat.

Nehemiam vero Jerosolymam advenisse prius quam Esdram, nulla ex rationibus ab Adversariis supra allatis probat; respondetur namque ad 1.m, nullatenus relato loco dici, quod Esdras ascendit de Babylone post aedificationem moenium Jerusalem per Nehemiam peractam, sed postquam Judaei aedificaverant, et construxerant, quod Cyrus, Darius, et Artaxerxes jusserant, idest Templum. Ad 2.m, non quidem Nehemiam, sed Zorobabelem, quo duce populus Jerosolymam redierat, Arthersatem esse, de quo Textus eo loci loquitur. Ad 3.m, summis ipsismet Viris datum semper non esse, ut vitia omnia ab iis, quibus praesunt, eradicent; nec proinde mirum, quod in Nehemiae adventu non adhuc Esdras immoderata Judaeorum foenora e medio tulerat: quodque dum dicitur, solemnes Tabernaculorum dies *taliter* filios Israel non egisse a tempore Josue filii Nun, sensum non esse, quod nullatenus illos egerant usque ad Nehemiae adventum, sed quod eos post ejus adventum peculiari solemnitate celebraverunt.

Quaestionem demum, de qua agimus, satius prae caeteris solvunt Petavius *l.* 10, *De Doctr. Temp. c.* 25., *Ration. Temp. p.* 2. *c.* 31., *et l.* 16. *De Incarnat. c.*

8., Possinus *in Dissert. Menoch. suppl. inserta*, ac plerique alii, ajendo, Regnum Artaxerxis ab Anno Xerxis 12. auspicandum esse in Litteris ab eo Nehemiae datis, quia illo anno ad novam in Graecos expeditionem se accinxit Xerxes, eodemque filium suum Artaxerxem in Regni consortium assumpsit juxta morem, qui apud Persas invaluerat, quod cum Reges longam aliquam, et gravem expeditionem extra Persidem suscepturi essent, successorem Regni declararent, qui, ipsis absentibus, imperium administraret. En proinde compositum praefatum octo annorum intervallum, ut oraculum cohaereat cum eventu: cum enim annus vigesimus Regni Artaxerxis supputatus ab ejus cooptatione ad Regnum anno Xerxis duodecimo incidat in annum ante aeram vulgarem 453., ab hoc quoque ducendum proinde est ex ostensis cap. ant. prop. 2. initium hebdomadarum Danielis. Decurrentibus autem a praefato anno ante aeram vulgarem sexaginta novem annorum hebdomadibus, idest annis 483., pervenitur ad annum aerae vulgaris trigesimum; quo anno Christum baptizatum fuisse, suamque praedicationem orsum fuisse, invicte probabimus: Cum ergo Cruci affixus fuerit tribus post annis, aliud necesse non est, ut dicamus, perfecte in eo impletum fuisse Danielis vaticinium, quam quod ostendamus, 1.° rationabiliter supputari annum vigesimum Regni Artaxerxis Longimani ab ejus cooptatione ad Regnum anno Xerxis duodecimo. 2.° Christum baptizatum fuisse, suamque praedicationem orsum fuisse anno aerae vulgaris trigesimo. 3.° Cruci affixum fuisse anno ejusdem aerae trigesimo tertio. Quibus ostensis, ostendemus demum, impletum in Christo adamussim fuisse Danielis vaticinium. Sit igitur:

Prop. I. Rationabiliter supputatur annus vigesimus Regni Artaxerxis Longimani ab ejus cooptatione ad Regnum anno Xerxis duodecimo.

Probatur; 1.° enim quod Xerxes anno Regni ejus duodecimo ad novam in Graecos expeditionem se accinxerit, testatur Justinus *l. 2. hist. sub finem.* Nec refert, quod variis deinde, quae nos latent, de causis ad exitum id consilii perductum non fuerit; ut namque ex eodem Justino advertit Petavius *l. 10. de Doctr. Temp. c. 25.*, negari tamen non potest, quod *cum per Pausaniam Lacedaemoniorum Regem Graeciam iterum subjugare conatus esset, detecta conspiratione, et interfe-*

cto Pausania (cujus necem anno Xerxis 12. contigisse, ex Diodoro constat), *Xerxes de integro bellum instituit.* In more autem fuisse apud Persas, quod Rex ad bellum profecturus in Regni consortium filium, quem ipse maluisset, adscisceret, testis est Herodotus l. 2. c. 7. ita de Dario Hystaspide scribens: *Dum autem* (Darius) *haec compararat* (expeditionem scilicet in Athenienses, et in Ægyptios), *interea ingens inter ejus liberos de Principatu exorta dissensio est, quoniam ex instituto Persarum oportebat ita demum ire in expeditionem, cum Regni successorem declarasset.* Et cap. 4. *Declarato Darius Xerxe Rege, dum conaretur etc.* : Rationabiliter ergo dicitur, quod eo anno Artaxerxem filium in Regni consortium adsciverit.

Accedit 2.°, quod Artaxerxem Longimanum ante vigesimum annum Xerxis fuisse Regem, satis aperte colligitur ex supra memoratis auctoritatibus Thucydidis *l. 1. hist.*, Charontis Lampsaceni, et Annalium Persicorum apud Plutarchum *in Themistocle c. 2.*; atque etiam Tullii *l. 10*, *epistolorum ep. ad Atticum*, ac Philostrati *in vita Apollonii Thianaei l. 1. c. 19.*, testantium, Themistoclem Athenis pulsum ad Artaxerxem, *qui nuper regnare inceperat*, confugisse. Hanc autem Themistoclis fugam contigisse circa annum 12 Xerxis, et quidem Xerxe adhuc vivente, ac regnante, ideoque Artaxerxem, et Xerxem per octo annos simul regnasse, nedum Eusebius, et Diodorus Siculus supra laudati, sed Dion etiam, Ephorus, Clitarchus, et Heraclides apud Plutarchum *in Themistocle* testantur: Tunc ergo temporis Artaxerxes in Regni consortium adscitus a Xerxe fuit: ex quo propositum magis, magisque consequens est.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicitur 1.° Si Xerxes adversus Graecos tunc profecturus Regni socium sibi cooptasset, in hunc profecto non elegisset Artaxerxem minorem, et vix annos duodecim natum, sed Darium natu majorem. Quod cum ita sit, quid, nisi figmentum, ejusmodi cooptatio est dicenda? Ita igitur.

Resp neg. sequ. maj.; ejusmodi enim electionis causam forte fuisse, dicimus, quod Darius genitus a Xerxe fuerat, dum nondum Regia dignitate fulgeret, Artaxerxes

vero fuerat ei in purpura natus, et ex eo jam Rege; eamdem namque ob causam Xerxes ipse Ariobazano fratri a Patre Dario fuerat praepositus. Praeterquamquod cum non Darius, tametsi major natu, Xerxi successerit, sed Artaxerxes, quidnam poterit contra exploratum factum objici, quod contemnendum non sit?

Objic. 2° ex Huetio *Demonst. Evang. pr.* 9. *c.* 8. *n.* 8., quod *aliud est Regni designare successorem, aliud Regni socium adsciscere.* In more autem Persarum erat, quod Rex longe profecturus successorem Regni designaret, non vero, ut Regni socium sibi illum adscisceret? Rursum ergo figmentum illa Artaxerxis cooptatio ad Regnum a Xerxe facta, dum novam contra Graecos expeditionem anno Regni sui duodecimo moliretur.

Resp. neg min.; loquens enim Herodotus *l.* 7. *c.* 4. de hoc Persarum more, *Declarato* (inquit) *Darius Xerxe Rege, cum conaretur etc.* Haec autem Herodoti verba nonne quid amplius, quam meram successoris designationem significant? Cui accedit, quod cum Regni successor designatus eo ipso, tamquam Rex declaratus, habitus fuerit, satis id erat, iis saltem, qui in ejus Aula versabantur, eique erant peculiariter addicti (e quorum numero erat Nehemias, tamquam Artaxerxis Pincerna, ut patet ex l. 2. Esdrae c. 1.), ut, velut Regem, eum considerarent, et salutarent; *assolent enim* (ut scite advertit Cont. Tourn. De vatic. Dan. concl. ult.) *quotquot e Principum familia sunt, ea sectari, quae Principibus suis grata, et honorifica magis fore judicaverint. Neque is modus computandi usui Scripturae repugnat, quippe Interpretes consentiunt, quandoque in Scripturis ejusmodi cooptationes Regum supponi.*

Objic. 3°, quod si ratio habenda esset alicujus cooptationis Artaxerxis ad Regnum a Xerxe factae, dum longe esset profecturus, haec potius quinto Xerxis anno, non duodecimo consignari oporteret; quinto enim Regni sui anno reapse Xerxes in Graeciam trajecit, dum duodecimo expeditioni tantum se accinxit, quin deinde illuc proficisceretur. Quod cum ita sit, ruit supputatio vigesimi Artaxerxis anni ab ejus cooptatione ad Regnum anno Xerxis duodecimo: Et ruit igitur compositio inde ducta hebdomadarum Danielis cum eventu.

Resp. neg. sequ. maj.: anno enim Xerxis quinto obstabat, ut diximus refellendo opinationem Tirini, Arta-

xerxis aetas, ut ad Regnum cooptaretur; cum enim, ut ibi disseruimus, regnaverit Xerxes viginti annis, et Artaxerxes ipso anno mortis Xerxis adhuc fuerit adolescens, ut testatur Justinus l. 3. c. 1., quid superest, nisi quod anno Xerxis quinto vix, ac ne vix quidem septimum aetatis annum attigerat? Nemo autem non videt, quod cum eo anno nondum discretionis tempus attingeret, impar erat, ut ad Regni consortium adsisceretur.

Prop. II. Christus Dominus noster baptizatus, suamque praedicationem orsus fuit anno aerae vulgaris trigesimo.

Probatur; ut enim testatur D. Lucas c. 3., priusquam a Joanne in Jordane baptizaretur, sumpserat Joannes *anno quinto decimo Imperii Tiberii Caesaris* plebem illi perfectam parare, praedicando baptismum poenitentiae. Quamvis autem apud D. Lucam non habeatur, quo praecise mense illius anni sumpserit Joannes poenitentiae baptismum praedicare, nec quantum temporis impenderit, ut Christo pararet plebem perfectam, antequam illum baptizaret, merito tamen dicitur quoad 1.m, Joannis praedicationis initium fuisse die 10. mensis septimi, diei 19. Octobris nostri respondente; is quippe dies, utpote poenitentialis, et expiatorius, atque apud Judaeos valde solemnis, ad annuntiandum poenitentiae baptismum erat prae caeteris opportunior: quoad alterum vero probabile prorsus non videri, quod a die 19. Octobris usque ad diem 6. Januarii, cui ex pervetusta, et constanti Patrum Traditione Christi baptismus consignandus est, paraverit Christo *plebem perfectam*, utque additur Actuum c. 13., *cursum suum impleverit*, sed verisimilius videtur id peregisse unius anni spatio, ita nempe, ut inter exordia praedicationis Joannis, et baptismum Christi integer annus transierit: Christum igitur baptizatum ab eo fuisse sequenti anno, Imperii scilicet Tiberii Caesaris decimo sexto, consequens est. Cum autem Augustus diem extremum clauserit Nolae die 19. Augusti anno aerae vulgaris 14., annus proinde sextus decimus Imperii Tiberii Caesaris incidit in annum aerae vulgaris trigesimum: Christum igitur baptizatum a Joanne fuisse anno ipsius aerae trigesimo, est dicendum.

Unum est, quod huic argumento Adversarii opponunt; annum scilicet quintum decimum Tiberii arcessendum esse ab eo, quo Tiberius factus fuerat Augusti Col-

lega: testis namque est Vellejus Paterculus *l.* 2. *c.* 121., quod *cum* (Tiberius) *re Galliarum maximae molis; accensasque plebis Viennensium dissensiones coercitione magis, quam poena mollisset, et Senatus, populusque Romanus, postulante Patre ejus, decrevisset, ut aequum ei jus in omnibus Provinciis, exercitibusque esset.. in Urbem reversus, jam pridem debitum, sed continuatione bellorum dilatum, ex Pannoniis, Dalmatisque egit triumphum.* Item Svetonius in Tiberio c. 12., inquiens et ipse de eo, quod *lege per Consules lata, ut Provincias cum Augusto communiter administraret.. in Illyricum profectus est.* Item Tacitus *l.* 1. *Annal. c.* 1., ubi, Tiberium ab Augusto assumptum *Collegam Imperii, et consortem Tribunitiae potestatis*, scribit. Id autem fuisse anno aerae vulgaris 12., certum, compertumque est apud Chronologos; a quo proinde annus decimus quintus Imperii Tiberii Caesaris in annum incidit ipsius aerae vigesimum septimum,

Sed parum, immo nihil solide; 1.° enim nemo ex Scriptoribus Imperium Tiberii Caesaris, nisi ab Augusti morte numerat. 2.° quia neque in Lapidum, neque in Nummorum inscriptionibus Augusti nomine insignitur Tiberius, nisi post ipsius Augusti mortem. 3.° quia etsi ante ipsius Augusti mortem factus fuisset ipsius Augusti collega, numquam tamen ante Augusti mortem vel Rempublicam administrasse, vel Augustum appellatum fuisse, auctor est Spartianus, scribens, M. Aurelium, et L. Verum primos fuisse, qui *pariter et Rempublicam administraverint, et Augusti appellati sint.* 4.° quia, ut disserit Natalis Alex. *saec.* 1. *Diss.* 2., cuinam persuasum esse poterit, quod D. Lucas, repudiata Vulgata, publicaque Epocha Imperiali, quam historici Romani, et Iudaei in numerandis annis Tiberii usurpabant, obscuram, ignotamque adhibuerit in Evangelio ubique Gentium legendo, et praedicando? 5.° demum quia vox *Imperium* simpliciter, et absolute usurpata *Augusteum* significat Imperium, non *Proconsulare.* Hinc omnes 23. Imperii annos Tiberio tribuunt, non 26.; quot illi tribui oportuisset, si Proconsularis illius Imperii habuissent umquam rationem. Hinc etiam nemo geminam illam Tiberiani Imperii Epocham alicubi innuit, quasi in usu fuisset: dum e contrario, quia Augusti multiplex fuit Epocha, illam non omisit Eusebius *l.* 1. *hist. c.* 5.;

tubi: *Annus (inquit) jam agebatur secundus, et quadragesimus Imperii Augusti, a subacta Ægypto octavus, ac vigesimus, cum Servator natus est.* Quia Herodis Magni gemina Epocha extitit, prima scilicet, qua Rex a Senatu renuntiatus fuit, altera, qua solus, et, sublato competitore, regnavit, id non praetermisit Josephus. Nonne igitur geminam quoque Tiberii Epocham distinxissent, Proconsularem, et Augusteam, si apud profanos, Sacrosve Scriptores publico in usu fuisset? Quibus perpensis, scite scribit Cont. Tournel. l. supra citato, quod *si de alia Epocha Evangelistam interpretari licet, jam de Chronologia actum erit, nihilque certi de ea ex probatissimis Auctoribus deduci poterit.* Hinc rursum inquimus, quod cum annus decimus quintus Imperii Tiberii Caesaris ipse fuerit annus aerae vulgaris 29., Christus vero anno sequenti baptismum susceperit, eum proinde baptizatum fuisse anno aerae vulgaris 30., consequens est.

Objicitur, quod, cum Christus baptizatus fuit, dicitur a D. Luca c. 3., quod *erat incipiens quasi annorum triginta.* Non fuisset autem incipiens quasi annorum triginta, sed eos a triennio explevisset, si ejus baptismus consignetur anno aerae vulgaris trigesimo, utpote natus, ut diximus compertum esse apud omnes Chronologos, solido ante aeram vulgarem quadriennio: Non igitur anno aerae vulgaris trigesimo baptismum suscepisse, est dicendum.

Resp. tamen neg. min.; Christum namque, anno vitae suae trigesimo tertio completo, utique dici potuisse *quasi annorum triginta*, ex eo patet, quod vox *quasi* quamdam profecto latitudinem permittit, alioquin frustra adhiberetur; quodque de facto non semel in Scripturis eum praefata latitudine accipitur, idemque valet, ac *circiter.* Ita sane accipitur, quum Lucae 9. recensetur miraculum multiplicationis panum, ac dicitur, quod saturati fuere *fere* (seu quasi) *viri quinque millia*; dum Matth. 14. dicuntur fuisse numero rotundo *quinque millia virorum, exceptis parvulis, et mulieribus* Ita quoque accipitur, quum item Lucae a sermone Christi ibidem relato usque ad ejus transfigurationem numerantur *fere* (seu quasi) *dies octo*; dum Matth. 17., et Marci 9. dicitur id factum fuisse *post dies sex.* Ita quoque usurpari, manifestum est, Lucae 22., dum Christus in mon-

tem Olivarum secessus oraturus ad Patrem dicitur à tribus selectis Apostolis avulsus, *quantum jactus est lapidis*, seu quasi jactu lapidis: ac demum ita passim usurpari ab omnibus, nemo ignorat; ut quum dicitur in Exercitu alicujus Regis pugnare quasi centum millia hominum, paullo plures, vel pauciores significantur: idque magis, quum, rotundo numero adhibito, duae tantum, vel tres unitates, quae supersint, silentur; ut dum Scripturae Interpretes sub Ptolemaeo Rege, et Christi Domini discipuli dicuntur numero rotundo septuaginta, quos tamen, nemo nescit, fuisse septuaginta duos. Quibus perpensis, quid mirum, quod etiam Christus dictus fuerit eo tempore ab Evangelista *quasi annorum triginta*, tametsi fuerit triginta trium? Hinc D. Justinus *in Dial. cum Tryphone* citatum locum exponens, *Et triginta* (inquit) *plus, minus annis manens prodiit Ioannes ipsius praeco.* Nec movere debet participium *incipiens*; istud enim non ad aetatis Christi annum, sed ad ejus ministerium referri debere, sensumque esse, ea aetate Christum fuisse, quum coepit ministerium suum obire, et palam prodire, patet tum ex Textu graeco, qui participium *incipiens* et habet post verba *quasi triginta annorum*, et illud interpunctione à superioribus distinguit, ita nempe legens: *Erat Iesus quasi triginta annorum, incipiens*: tum ex ipsius D. Lucae verbis Actuum 1., ubi de publica Jesu vita, et ministerio agens, eodem verbo utitur, dicens: *In omni tempore, quo intravit, et exivit inter nos Dominus Iesus incipiens a baptismate Ioannis.* Et c. 10. *Incipiens a Galilaea post baptismum.*

Prop. III. Mortem Crucis pro hominum salute Christus Dominus noster sustulit anno aerae vulgaris trigesimo tertio.

Probatur. Et 1.° a Christi baptismo usque ad ejus mortem tres praedicationis annos intercessisse, nec nisi anno ministerii sui quarto inchoato fuisse crucifixum, colligitur tum ex Eusebio *in Chronico graeco*, et *l.* 1. *Hist. c.* 10., atque ex Chronico Alexandrino, tum etiam ex ipso Evangelio, ubi quatuor leguntur Paschata a Christo peracta dum praedicationis munere functus fuit; 1.m scilicet, quod refertur Jo. 2., in quo vendentes, et ementes de Templo ejecit; 2.m Jo. 5., in quo triginta annorum languidum sanitati restituit, quodque nomine

*

diei festi inscribitur; 3.m, quod narratur Jo. 6., in quo miraculum multiplicationis panum egit; 4.m denique, in quo pridie mortis suae Eucharistiae Sacramentum instituit. Ex ostensis autem prop. ant. Christi baptismus anno aerae vulgaris trigesimo consignandus est: Ejus igitur mortem anno ipsius aerae trigesimo tertio consignandam esse, consequens est.

2.° Tempore mortis Christi prodigiosa Solis Eclypsis contigit, cujus nedum Evangelistae, et Scriptores Ecclesiastici, sed ipsi etiam Scriptores Ethnici meminere, videlicet Thallus, ut refert Julius Africanus, nec non Phlegon, ut referunt Origenes *l. 2. contra Celsum*, Eusebius *in Chronico*, D. Hieronymus *in Chronico suo Eusebiano*; eamque demum relatam fuisse in Romani Imperii Archivis, confidenter adserit Tertullianus ipsis Ethnicis, causam Christianorum apud eos agens; ita enim in Apol. c. 21. *Eodem modo dies, medium Orbem signante Sole, subducta est. Deliquium putaverunt, qui id quoque super Christo praedicatum nescierunt; et tamen cum Mundi casum relatum in Archivis vestris habetis.* Ejusmodi autem Eclypsim anno aerae vulgaris trigesimo tertio contigisse, constat 1.° ex Chronico Alexandrino, qui eam refert ad annum 19. Tiberii; 2.° ex Phlegonte, qui in Opere, quo Olympiadas concinnavit, eam refert. ad annum 4. Olympiadis 202., qui ipse est annus 33. aerae vulgaris, his verbis: *Quarto anno Olympiadis ducentesimae secundae facta est Solis defectio maxima, quanta numquam contigisse legitur, noxque hora diei sexta tanta fuit, ut etiam Astra in Coelo apparerent* quae Phlegontis verba leguntur quoque apud Eusebium *in Chronico graeco*, et D. Hieronymum *in suo Chronico Eusebiano*: Rursum ergo, quod Christi mors contigerit anno aerae vulgaris trigesimo tertio, perspicuum est.

Tandem anno mortis Christi diem 14, Lunae mensis Nisan in feriam quintam incidisse, dubitare Evangelium non sinit, ex quo habetur, Christum, nedum feria quinta, manducato Agno Paschali, Eucharistiam instituisse, ac die sequenti, feria scilicet sexta, suum pro hominibus fudisse sanguinem, verum etiam, ut D. Lucas scribit c. 17., ultimum illud Pascha egisse ipsa *die azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*; ex quo sequitur, quod, cum dies statuta ad occidendum Pascha

dies esset 14. Lunae mensis Nisan juxta Moysis praescriptum Exodi c. 12., ipsa idcirco, et non alia, die Christus ultimum illud Pascha celebraverit, ideoque anno mortis Christi dies 14. Lunae mensis Nisan in feriam quintam inciderit. Solo autem anno aerae vulgaris trigesimo tertio, non vero vel 29., vel 30., vel 31., vel 32., vel 34., dies 14. Lunae mensis Nisan in feriam quintam incidit; vel enim Judaei in celebratione Paschatis utebantur, ut sentit Scaliger, Hipparchi calculis; vel Novilunia, aliasque Lunae phases solis observabant sensibus, ut habetur ex Philone, qui aetate Christi vixit, ex Petri cujusdam vetustissima concione apud Clementem Alex. *l.* 6. *Strom.*, ex Mischnae consarcinatore, qui secundo saec. scripsisse creditur, ex Thalmude, ex Rabbinis Maimonide, Aben Ezra, etc. Si 1.m, nihil ex Hipparchi tabulis manifestius, quam quod solo anno trigesimo tertio aerae vulgaris novilunium mensis Nisan, Sole in Ariete constituto, contigit die 19. Martii, hora post meridiem circiter prima, et quidem feria quinta; ex quo sequitur, diem 14. illius Lunae desiisse die 2. Aprilis, feria etiam quinta ad vesperam. Si alterum, cumque Novilunia sensibilia Judaeis fierent hora post conjunctionem sexta, quemadmodum et Rabbini testantur, et scribit Beda *De rat. temp. c.* 41, idque maxime (ut hic subdit), *quum Luna posita est in Ariete*, soli etiam anno trigesimo tertio aerae vulgaris convenit, quod dies 14. Lunae mensis Nisan incidit in feriam quintam: Nullum ergo dubium superesse videtur, quod soli quoque anno aerae vulgaris trigesimo tertio Mors Christi affigenda est.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.°, quod Judaei, D. Epiphanio teste *haer.* 51., Cyclum 84. annorum corruptum Christi aetate adhibebant. Hoc autem posito, pronum profecto est suspicari, quod citius, vel serius, quam praescriptum erat, Pascha celebraverint, quin scilicet fuisset dies 14. Lunae mensis Nisan: Nihil ergo mirum, quod anno mortis Christi a veris temporum supputationibus Pascha deviasset; ideoque argumentum ultimo allatum vel nihil, vel parum roboris habere, est dicendum.

Resp. 1.°, neg. maj.; is enim D. Epiphanii locus

ita obscure loquitur, ut vix ejus sensus perspici queat: et aliunde in Prologo sui Cycli Paschalis scribit D. Cyrillus Alexandrinus, quod cum Cyclus ille 84. annorum fuisset inscite concinnatum, respuerant illum Judaei, nec usui habebant. Ac 2.° etiam neg. min.; quod enim Judaei anno mortis Christi celebraverint Pascha vel eadem die, qua Christus, ideoque ipsa die, in qua juxta Legis praescriptum necesse erat, vel ad summum una tantum die serius, quod factum non fuisset, si corruptum Cyclum usurpassent, ex eo patet, quod eadem die, qua Christus Agnum Paschalem manducaverat, et Cruci affixus expiraverat, sollicite ad Pilatum se contulere, idque hora quasi sexta, idest circa meridiem, ut quia solemnitas Paschalis imminebat, mox confringerentur Crucifixorum crura, eosque a Cruce tollerent.

Objic. 2.°, fallaces admodum esse Astronomorum tabulas, quia ad rationem motus medii, non ad illam motus veri, quemadmodum faciendum esset, menses Lunares componunt. Quod cum ita sit, nihil profecto ipsis fidendum: Ruit ergo argumentum ex illis ductum in assignando mortis Christi anno.

Resp. neg. maj.; ita enim levia, et quoad rem omnino nulla illa sunt discrimina, quae occurrunt in Hipparchi tabulis, ut intra 600. annos vix quarta unius horae parte aberrent. Ad rationem probationis vero dicitur, falsum esse, quod menses Lunares illic componantur ad rationem solius motus medii, illius scilicet, qui a minutiis horarum, ac minutorum abstrahit, non ad illam motus veri, illius nempe, qui simul cum diebus horas quoque, ipsaque minuta complectitur; cum enim Luna ad se rursus cum Sole conjungendam impendat spatium dierum 29., horarum 12., min. 44., et sec. 4., hinc Astronomi, ut rationem veri Lunae motus in suis calculis haberent, modo dies Lunares definiunt dierum 29., modo 30.. Cumque ob praedictorum minutorum excessum, habeatur adhuc, dum Sol cum ipsa constituitur in eodem signo, ex. gr. in Ariete, disparitas novem circiter horarum, harum rursus ratio habetur, ne ejusmodi disparitas Tabulas interturbet; idque augendo plenorum mensium numerum statim ac novem illae horae integrum diem compleverint.

Objic. 3.° Ecclesiae Patrum Traditio, apud quos est fere commune, quod Christus anno aerae vulgaris

29., ac praecise die 25. Martii, dum trigesimum tertium aetatis suae annum ageret, sanguinem pro hominum salute fudit. Nefas igitur ab ejusmodi sententia discedere.

Resp. neg. ant.; ejusmodi enim Traditionem, ostendit Natalis Alexander *in hist. Eccl. saec.* 1. *Diss.* 2., nedum nutare, verum etiam Traditionis nomine non esse exornandam: utque scribit doctissimus Petavius de sententia mortis Christi die 25. Martii, *paullatim efferentibus sese hominum ingeniis, ac majori doctrinarum omnium luce perfusis, vetus illa* (de Christo passo 25. Martii) *adeo exolevit opinio, ut paucos hac aetate patronos, ac defensores habuerit* (*l.* 12. *de Doctr. temp. c.* 13.). Quod si origo ejusmodi opinationis quaeratur, censet laudatus Natalis Alexander *l. cit.*, sententiam mortis Christi die 25. Martii profectam forte fuisse ex eo quod dies 14. Lunae Mensis Nisan anno aerae vulgaris 34. Passionem Christi proxime sequenti, incidit ex iisdem Hipparchi Tabulis in diem 23. nostri Martii; unde factum, quod Apostoli eo anno primani, ut conjicere par est, mortis Christi memoriam peregerunt die 24. Martii, et primum Pascha die 25; quare etiam quidam ex antiquis, Christum die 25. Martii mortuum, alii ea die ipsum resurrexisse, scripserunt. Sententiam vero, quod mortuus fuerit annorum triginta trium, forte dicimus inolevisse ex eo, quod non satis Chronologiae periti pro una, eademque habuerint aeram Christianam, et aeram vulgarem; cumque Christus mortuus fuerit anno aerae vulgaris trigesimo tertio, annorum quoque triginta trium mortuum fuisse, arbitrati fuere. Caeterum quod adeo discrepaverint Patres quoad Christi aetatem, ut alii 30., alii 31., alii 32., alii 40., alii etiam 50. annos illi tribuerint, relatis eorum testimoniis ob oculos ponit idem Natalis Alexander *l. cit.*; annos enim 30. illi tribuit D. Hieronymus *ep.* 22., quae est ad Eustochium, nec non Auctor hymni perantiqui, quem Ecclesia canit tempore Passionis, cujusque alii Auctorem inquiunt D. Ambrosium, alii Sedulium, ubi habet:

Lustra sex qui jam peregit,
Tempus implens Corporis:
Sponte libera Redemptor
Passioni deditus,
Agnus in Crucis levatur
Immolandus stipite.

Sex porro lustra annos triginta conficiunt. Unum supra triginta illi tribuunt Clemens Alex. *l.* 1. *Strom.*, Origenes *tract.* 35. *in Matth.*, Philastrius Episcopus Brixiensis *l. de haeresibus art.* 58., ac Severus Sulpitius *l.* 2. *hist. Eccles.*. Triginta duos illi tribuunt Eusebius Caesariensis *in Chronico*, et D. Epiphanius *haer.* 51. *n.* 28. . Quadraginta D. Joannes Chrysost. *hom.* 54. *in c.* 9 Jo., ubi enim nos legimus, *quinquaginta annos nondum habes*, legit ipse *quadraginta*, et subdit: *Ut intelligi detur, prope jam Christum quadraginta annorum fuisse*. Quinquaginta demum illi tribuit D. Irenaeus *l.* 2. *contra haer. c.* 39, ubi ita scribit: *Triginta annorum aetas primae indolis est juvenis, et extenditur usque ad quadragesimum annum. A quadragesimo, aut quinquagesimo anno declinat jam in aetatem seniorem, quam habens docebat* (Christus), *sicut Evangelium, et omnes Seniores testantur, qui in Asia apud Joannem discipulum Domini convenerunt, id ipsum tradidisse eis Joannem. . . Quidam autem non solum Joannem, sed et alios Apostolos viderunt, et haec ab eis audierunt, et testantur de ejusmodi relatione*. Et c. 40. *Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? Hoc dicitur ei, qui jam* 40. *annos excessit*, 50. *autem nondum attigit; non tamen multum a quinquagesimo abstitit, etc.*. Quid igitur certi colligi potest ex Sacra Traditione quoad Christi aetatem, cum nemo sit, qui ignoret, id tantum, ut docet Vincentius Lirinensis in Commonitorio, vere traditum dicendum, *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus fuit propugnatum*? Nonne potius sequendum D. Augustini monitum l 2. De Doctr. Christ. c. 28., *ut ex historia Gentium collata cum Evangelio quotuplici anno Christus vixerit, colligatur*? Hinc et Theologi in varias quoque hac super re sententias abiere: quidam enim contendunt, eam protraxisse ad annum aerae vulgaris 29., ut Cornelius a Lapide, Ayrolus, Laurentius Berti, etc.; quidam ad annum aerae vulgaris 30.; alii ad annum ejusdem aerae 31., ut Petavius, Huetius, Turnemimius. etc.; alii ad 32; alii demum ad 33., ut Pererius, Scaliger, Tostatus, Usserius, Lancellotus, Pridaeus, Natalis Alex., et alii plurimi, quorum sententiam nos amplexati sumus, quia verisimiliorem censuimus.

Objicit demum Laur. Berti, quod, ut diximus *l. 1. tract. 1. cap. 1. art 3. pag. 49.*, in Urbe Audria, ubi servatur una ex spinis Coronae Domini nonnullis sanguineis conspersa guttis, hae, quum concurrit Parasceve, seu dies Dominicae Passionis cum VIII. Kalendas Aprilis, conspicientibus omnibus diffluunt, totamque spinam cruentant. Quisnam autem ab ejusmodi prodigio ad credendum non inducetur, Christum die 25. Martii mortuum fuisse? Ita igitur.

Resp. neg. min., et cons.; *quis* enim (ut ait Apost. ad Rom. 11.) *cognovit sensum Domini?* Caeterum, ut nonnihil dicamus, utique repeti id potest ex eo quod concurrente Sacra Parasceves die cum VIII. Kalendas Aprilis, seu 25. Martii, in ipsam diem incidit Dominicae Passionis memoria, qua ipse Dominus noster carnem, quam pro nobis immolavit, assumpsit; cum namque die 25. Martii humanam Naturam assumpsisse, id utique Sacra docet Traditio, tenuitque semper Sancta Mater Ecclesia.

Prop. IV. Danielis, de quo egimus, vaticinium apprime fuit in Christo Domino nostro impletum.

Probatur. Juxta illud enim venturus erat Christus, et consummaturus praevaricationem, finem daturus peccato, sempiternam allaturus justitiam, omnemque visionem, ac prophetiam impleturus, postquam elapsae essent sexaginta novem annorum hebdomadae cum dimidia, expleta scilicet periodus 487. circiter annorum, ab exitu sermonis, ut iterum aedificaretur Jerusalem a Chaldaeis eversa. Item juxta idem vaticinium, postquam Christus confirmasset pactum multis hebdomada una, idest in septuagesima hebdomada, tandem in medio hujus occidendus esset a Judaeis, ejusque occisionem subsecutura esset tum desitio Sacrificiorum veteris Legis, tum Jerusalem, ejusque Templi eversio, et abominatio desolationis usque ad consummationem, et finem perseveratura. Totum autem in Christo D. N. perspicitur impletum; praefatus enim sermo exiit ex ostensis c. ant. prop. 2, anno 453. ante aeram vulgarem; a quo anno decurrentibus praedictis 487. annis, pervenitur adamussim ad annum 33. aerae vulgaris: quo ipso anno Christus D. N., postquam per triennium Ducis munere functus fuerat, ac tum Evangelii praedicatione, tum cujusvis generis miraculis, ut Divinam suam Missionem confirmaret, novum

foedus Veteribus Patriarchis promissum instituerat, quadriennio demum ineunte, Crucis patibulum pro hominum salute pertulit. Crucis vero supplicium cum pertulisset, statim omnia Veteris Legis Sacrificia illius praefigurativa evanuerunt quoad valorem, prout, luce adveniente, evanescunt umbrae, ac paullo post desierunt etiam quoad ipsum usum, quia juxta Legis praescriptum offerri non poterant extra Templum Ierusalem, ac tam Jerusalem, quam Templum fuerunt paullo post solo aequata. Cum demum et Templi, et Civitatis eversio a decem, et octo saeculis perseveret, quin et Judaeorum, et ipsius Juliani Apostatae conatus, ut denuo Templum instaurarent, quidquam valuerint, ob erumpentes e fundamentis, quae rursus eruere Julianus jusserat, horribiles flammarum globos, qui ab incoepto opere laborantes desistere coegerunt, ut testantur D. Greg: Nazianz. *orat.* 4., D. Joannes Chrysost. *orat.* 3. *in Judaeos*, *hom.* 4. *in Matth.*, *hom.* 41. *in Acta*, *et serm.* 6. *in Babylam*, Theodoretus *l.* 3. *hist. Eccles. c.* 20., Sozomenus *l.* 5. *c.* 22., D. Ambrosius *ep.* 29. *ad Theodosium*, ipseque Ammianus Marcellinus Scriptor Ethnicus, et coaetaneus l. 23., cujus verba retulimus *l.* 1. *tract.* 1. *c.* 1. *art.* 2. *pag.* 46., nonne ipsa Judaeorum pervicacia cogitur fateri, quod ipsa est desolatio a Daniele praedicta usque ad consummationem, et finem perseveratura? *De facto probatur nobis* (ita Rabbinus Samuel in ep. ad R. Isaac, quam in Dionysii Carthusiani Commentariis legere est), *quod postquam a reaedificatione Templi completae fuerunt septuaginta hebdomades annorum, tunc fuit Jesus occisus a Patribus nostris, et postea venit Dux, scilicet Titus, et Populus, et Romani fecerunt nobis secundum Prophetiam istam. Hodie sunt mille anni, et nihilominus in ira Dei sumus; et tamen nos in ipso speramus, expectantes adhuc venturum Messiam, et reversuros nos in Terram promissionis, et Civitatem, atque Templum instauraturos, futurosque in gratia, et honore apud Deum; nec desolationem hanc fore perpetuam, sed temporalem. Heu non est ista excusatio, et evasio consona, et vana videtur talis expectatio.* Quibus perpensis, nemo non videt, Danielis, de quo egimus, oraculum apprime in Christo impletum fuisse.

Accedit, quod cum certum sit, omniumque sententia confirmatum, septuaginta Danielis hebdomadas finem

habuisse sub illud tempus, quo Christus vixit, mirandumne est, quod successio tot Imperiorum, quae contigit in quingentorum fere annorum spatio; item series tot Regum, qui per id tempus floruerunt; demum horum non satis exploratum Imperium tum ob remotissimam temporum vetustatem, tum ob paucitatem Scriptorum, eorumque inter se discrepantiam, mirandumne, inquam, est, quod triplex haec causa aliquam in Chronologia obscuritatem pariat in componendo exiguum octo annorum discrimen? Nonne potius mirandum, quod, tametsi agatur de rebus ab aevo nostro longissime dissitis, vix supputationum varietas ad octo annos pertingat? Hinc cum nemo aequus rerum aestimator dicere queat, quod in tam remota saeculorum distantia tanti faciendum sit tam leve discrimen, ut rem caeteroqui perspicuam obscuret, evidens proinde magis, magisque dicendum est, quod Danielis, de quo egimus, oraculum apprime in Christo complementum habuerit, quodque juxta moralem hominum aestimationem perfecte eventus Vaticinio responderit.

CAPUT IX.

De Messiae adventu, eaque in Christo Domino nostro, ex aliis Prophetarum oraculis.

Messiam advenisse, eumque fuisse Christum Dominum nostrum, nedum ex Jacobaeo oraculo, atque insigni Danielis vaticinio, de quibus egimus, invictissime ostenditur, verum etiam ex aliis permultis, de quibus, insigniora ex iis seligentes ob Institutionum rationem, agendum in hoc capite aggredimur. Sit igitur

Prop. I. Messiam advenisse, eumque fuisse Christum Dominum nostrum, ex duplici alio Danielis oraculo confirmatur.

Probatur; 1.° enim, ut legitur c. 2., cum Nabuchodonosor Rex Babylonis vidisset in somnis statuam grandem, et sublimem, cujus *caput ex auro optimo erat, pectus, et brachia de argento, venter, et femora ex aere, tibiae autem ferreae, pedum vero quaedam pars erat ferrea, quaedam autem fictilis. . donec abscissus est lapis de monte sine manibus, et percussit statuam in pedibus ejus ferreis, et fictilibus, et comminuit eos, et tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, etc., ar-*

gentum, et aurum; lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam Terram: immemor deinde Rex de eo, quod in somnis viderat, illud ei Daniel in mentem revocavit, explicavitque de quatuor Imperiis sibi successuris; lapidem vero de Messia, qui universae Terrae esset dominaturus. Quod et confirmans c. 7., quatuor illa Imperia quatuor variis bestiis comparavit, subdiditque: *Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus Coeli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit. . Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum, et omnes populi, tribus, et linguae ipsi servient; potestas ejus potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur. . . Hae quatuor bestiae magnae quatuor sunt regna, quae consurgent de terra. Suscipient autem regnum Sancti Dei altissimi, et obtinebunt regnum usque in saeculum, et saeculum saeculorum*: ex quibus sequitur, vaticinatum quoque fuisse Danielem, Messiam venturum intra tempora quatuor illorum Imperiorum, ac quarto adhuc florente. Primum autem Imperium, de quo locutus fuit Divinus Vates, illud ipsum fuisse, quod Nabuchodonosor obtinebat, nempe Assyriorum, ex verbis, quae illi ait, manifestum est: *Tu es caput aureum; et post te consurget Regnum aliud minus te, argenteum*: Regna vero illud subsequentia, nemini dubium esse potest, fuisse Persarum, Graecorum, et Romanorum; quorum secundum dicitur Babylonico minus, tum quia posterius, tum quia nec diuturnitate, nec extensione cum Babylonico comparandum; tertium Universae terrae imperasse ob victorias ab Alexandro latas, maxime de Persis, quibus longe, lateque se diffudit; quartum denique omnia comminuisse, quia per Romanos Alexandri successorum potestas comminuta fuit. Quod si inter Imperium Graecorum, et Romanorum fuerunt etiam Seleucidae, et Lagidae, Alexandri Magni successores, eorum tamen Imperium unum fuit idemque, tum quia iisdem imperabant gentibus, quas Alexander subjugaverat, tum quia ab eo auctoritatem suam hauserant, quippe quibus Alexander, ut legitur l. 1. Mach c. 1., *diviserat regnum suum, cum adhuc viveret*: Messiam igitur advenisse, dum adhuc Romanum Imperium extaret, eoque florente, est dicendum. Illud autem jamdiu desiit, tum quia ab eo, quale Augusti tempore florebat, totus decerptus

est Oriens, Occidens vero magna ex parte defecit; Italia scilicet, Gallia, Hispania, et Africa universa; tum quia Imperium Germanicum nonnisi nomine tenus Romanum appellatur, utpote quod Romani nec fundarunt, nec umquam tenuere; quod proinde a fortiori dicendum esse de Turcico, manifestum est: priusquam vero desiisset, nemo alius, eo adhuc florente, prodiit, praeter J. C. D. N., cui omnes populi, tribus, et linguae servierint, cujusque Regnum fuerit parvum initio, velut lapis a monte abscissus, ac progressu magnum, velut Mons implens universam terram; quemadmodum et *l.* 1. *tract* 1. *cap.* 1. §. 3. *pag.* 36, ubi de celerrima Christianae Religionis per totum Orbem propagatione, et rursum *tract.* 3. *cap.* 2. *pag.* 148, *et sequ.*, ubi de Ecclesiae Catholicitate, ob oculos posuimus: Messiam igitur advenisse, eumque fuisse J. C. D. N., perspicuum est.

Neque hic praetermittendum, quod ex Jacobaeo oraculo, atque ex oraculis Danielis cap. 2., 6., et 9. relatis adeo Messiae tempora determinata fuerant, ut Christi aetate, quemadmodum supra innuimus, Messiam vel advenisse, vel prope esse venturum, constans fuerit; et communis Judaeorum omnium sententia. Hinc, ut legitur Matth. 2., cum Herodes de Messiae nativitate turbatus, interrogasset *Principes Sacerdotum, et Scribas populi, ubi Christus nasceretur*, non responderunt illi, quod Messiae tempus nondum advenerat, sed rati de temporis plenitudine, *in Bethleem Judae* dixerunt. Hinc etiam Lucae 2. dicitur, quod Simeon justus *expectabat consolationem Israel*; quodque Anna Prophetissa loquebatur de Christo *omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.* Hinc etiam legitur Jo. 1., quod Judaei Baptistam interrogabant, an ipse esset Christus? De quo etiam Christus D.N., ut habetur Matth. 11., interrogatus fuit a duobus discipulis a Baptista missis. *Invenimus Messiam*, ita quoque dixisse legitur Andreas Apostolus Jo. 1., cum primo Christum agnovisset; et Jo. 4 referuntur Mulieris Samaritanae verba ad Christum: *Scimus, quia Messias venit.* Plures item Pseudoprophetas circa id tempus surrexisse, nemo nescit; ut Simon Magus, quemadmodum legitur Actuum 4.; et Barchochebas, qui sub Adriano Imperatore Messiam a Prophetis promissum se dictitans, Judaeos ad bellum contra Romanos movit, ut referunt Eusebius, aliique apud Huetium *Dem. Evang. prop.* 7. *n.* 33. Herodem

quoque ab Herodianis, et Vespasianum a Josepho pudenda adulatione, ut Messias, habitos, nemo ignorat: ac demum ipsos inter Paganos pervulgatum fuisse, tunc temporis Judaeos Messiam expectasse, auctor est Svetonius in Vespasiano c. 4.: *Percrebuerat* (inquiens) *Oriente toto vetus, et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur.* Nec non Tacitus l. 5. hist., ubi: *Pluribus* (inquit) *persuasio inerat, antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judaea rerum potirentur.*

Prop. II. Messiam advenisse, eumque fuisse J. C. D. N., ex Aggaei, et Malachiae vaticiniis majori semper luce apparet.

Probatur; ita enim Aggaeus c. 2., ut suorum animos erigeret super tenuitate secundi Templi comparate ad primum, eosque ob id flentes solaretur: *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? . . . Haec dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, et Ego commovebo Coelum, et Terram, et Mare, et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est aurum, et meum est argentum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimae, plus quam primae, dicit Dominus exercituum; et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Ita vero Malachias c. 3. *Ecce Ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus Testamenti, quem vos vultis.* Quid clarius ex utroque Vaticinio, quam quod Messias, secundo Templo jam stante, erat venturus? Et sane sermonem in utroque fieri de secundo Templo, evidens est 1.° ex pronominibus demonstrativis *istam*, *istius*, *isto*. 2.° ex eo quod secundum Templum illud erat, super cujus tenuitate, *quasi non esset in oculis eorum*, flebant Judaeorum seniores, qui primi Templi splendorem viderant, quosque Aggaeus solabatur, iis praedicens, quod et praestantius, et gloriosius esset futurum, plus quam primum, eo quod Messias illud aditurus, et pacem in eo daturus aliquando esset. De quo demum loqui etiam Malachiam, ex eo patet, quod ad

ejus reaedificationem Divinis illis pollicitationibus Judaeos impellere intendebat. Messiam vero utriusque vaticinii esse objectum, evidens est 1.° ex eo quod Messias tantum dici poterat is, qui adventu suo commoturus esset Coelum, et Terram. Mare, et aridam, nec non pax, quemadmodum et Michaeae 5., et Isaiae 9. appellatur, *Pax* scilicet, et *Princeps pacis*; is item, cui Templum erat erigendum, Dominator a Judaeis expetitus, ac Angelus Testamenti, quem jamdiu optabant. 2.° ex eo quod nonnisi a Messiae adventu, ac praesentia poterat secundum Templum praestantius, et gloriosius reddi Templo Salomonico, nedum enim longe majori magnificentia istud fulsit, adeo ut, quemadmodum legitur l. 3. Reg. c. 6., *nihil esset, quod auro non tegeretur*, verum etiam rebus sanctissimis. ac maximis, quibus caruit Templum Zorobabelicum, cujusmodi erant Urim, et Tummim, Arca Foederis cum Propitiatorio, et Cherubim, praesentia Divinitatis, et Spiritus prophetiae; quae profecto nonnisi Messiae dignitate, qui illud adiisset, ullatenus suppleri poterant vel a majori diuturnitate 169. annorum, quam prae Salomonico habuit, cum haec nihil conferat ad splendorem unius aedificii prae alio; maxime cum utrumque Templum non vetustate, sed flammis perierit; vel a donis, quibus illud agnovere Persarum Reges Darius Hystaspes, et Artaxerxes Longimanus, aliique ex Gentibus, maxime cum deinde sub Antiocho, Seleuco, Pompejo, C. Caesare, ac Tito omni profanationis genere pollutum fuerit. Praeterquamquod non ab auro, vel argento majorem gloriam habiturum Templum Zorobabelicum prae Salomonico, Divinus Vates praedixit, sed a Messiae dignitate, qui illud aditurus esset: *Meum* (inquiens) *est aurum, et meum est argentum, etc.*; quasi diceret: Penes me esset, si vellem, auro, et argento fulgentius istud Templum reddere, quam fuerit Templum Salomonis, *meum enim est aurum, et meum est argentum*; sed longe fulgentius illud reddam Filii mei, qui illud adibit, dignitate, fluentis doctrinae, ac miraculis. Quibus perpensis, nihil profecto clarius, quam quod Messias juxta Aggaei, et Malachiae vaticinium, secundo Templo jam stante, erat venturus.

Templum autem illud jamdiu a Romanis sub Tito flammis traditum, ac solo aequatum fuit in excidio Jerosolymitano: nec, nisi Christus, qui illic et praesentatus

fuit a Virgine Matre in die ipsius Purificationis juxta legis praescriptum, ac deinde in eo et docuit, et evangelizavit, et miracula edidit, dici potest, qui suo adventu commovit Coelum, tum quum, eo nato, *subito facta est multitudo militiae Coelestis laudantium Deum* (*Lucae* 2), ac stella, caetera vincens sidera decore, ac lumine, Magos ab Oriente duxit ad eum adorandum in cunabulis (*Matth.* 2.); tum quum, Joanne eum baptizante, vox de Coelo audita fuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Luc.* 3.); tum quum Solem in Passione sua obscuravit; tum quum post suam in Coelos conspicientibus discipulis Ascensionem Spiritum Sanctum in eos misit sub venti vehementis, ignearumque linguarum symbolo (*Act.* 1.): Terram vero, quum in lucem proditurus, *exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur Universus Orbis* (*Lucae* 2.) ac deinde tum silentio Oraculis imposito, Tullio ipso teste (*l.* 2. *de Divinat.*); tum horrendo terraemotu, quo, eo moriente, tota contremuit, *duodecim Urbibus Asiae una simul prostratis*, ut scribit Plinius l. 2. c. 48.; tum denique Evangelii per totum Orbem praedicatione, *Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis* (*Marci ult.*): Mare demum, sedans in eo procellas, et calcabile pedibus tum suis, tum discipulorum suorum illud reddens: *Movit Coelum* (ita quoque apposite D. Aug. l. 18. De Civ. Dei c. 35.) *Angelorum, et siderum testimonio, quando incarnatus est. Movit Terram ingenti miraculo de ipso Virginis partu. Movit Mare, et aridam; cum et insulis, et in Orbe toto Christus annuntiatur, et cum moveri omnes Gentes vidimus ad fidem.* Et D. Ambr. in cit. Aggaei loc.: *Movit Coelum, et Terram, Mare, et aridam, quando in Passione sua Coelum tenebris obductum, Sol refugit, petrae scissae, tumuli aperti, mortui resuscitati, Draco victus in fluctibus suis vidit piscatores hominum non solum navigantes in Mari, sed etiam ambulantes sine periculo.* Pacem denique dedit, *pacificans* (ut ait Apost. ad Coloss. 1.) *per sanguinem Crucis ejus sive quae in Coelis, sive quae in Terris sunt*; quia enim, ut ait idem Apost. ad Heb. 9, *sine sanguinis effusione non fit remissio*, dum proinde pertulit peccata nostra super Crucem, virtute ejus Passionis factum est, quod *cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo* (ut scribit ad Rom.

5.) *per mortem Filii ejus*, adeptaque a nobis fuit pax Dei, quae exsuperat omnem sensum.

Quare, ut argumentum paucis complectamur, nihil profecto clarius, quam juxta Aggaei, et Malachiae vaticinium venturum fuisse Messiam, secundo Templo jam stante. Fuit autem istud a Romanis sub Tito eversum; nec, nisi Christus Dominus noster, dici potest, qui in Aggaei vaticinio praedictus fuerat illud aditurus, ac simul Coelum, et Terram, Mare, et aridam commoturus, et pacem daturus: Messiam ergo advenisse, eumque esse Christum Dominum nostrum, consequens est.

Reponunt quidem Judaei 1.°, quod ubi Vulgata Latina legit: *Veniet Desideratus cunctis gentibus*, hebraeus Codex legit: *Veniet desiderium cunctarum gentium;* seu, ut explicat R. David Kimchi: *Venient cunctae gentes cum desiderabilibus*, quo sensu, ait, Aggaeum intelligendum esse, ex eo patet, quod dici nequit, *desiderium gentium venire*, utique vero, *gentes venire cum desiderabilibus*: Non recte igitur Aggaei oraculum de Messia intelligitur. 2.° quod cum Gentes nec quidem Messiam venturum agnovissent, neque etiam ab ipsis optari poterat, ignoti enim, ut nemo nescit, nulla cupido. Rursum ergo desideratus cunctis gentibus, de quo Aggaeus loquitur, alius, quam Messias, dicendus est. 3.° quod Christus Templum adiit ab Herode, non a Zorobabele constructum, refert enim Josephus, *Ant. l.* 15. *c.* 11. Herodem ad Judaeorum gratiam sibi comparandam novum extruxisse Templum, quoniam *secundo deerant ad altitudinem cubiti sexaginta, tanto quippe altum erat a Salomone aedificatum . . Judaeisque anxiis, ne, si tantum opus dissolveret, non satis opum haberet ad perficiendum*, reposuisse, *non-se prius Templum diruturum, quam omnia, quae ad novum absolvendum pertinerent, praeparasset.* Quibus ejus verbis cum Judaei acquievissent, *sublatis veteribus fundamentis, et jactis aliis, templum super eis erexit etc.* Cum ergo Christus ad Templum ab Herode constructum advenerit, ideoque non ad secundum, sed ad tertium Templum, negandum potius, quam affirmandum ex Aggaei, et Malachiae vaticiniis, quod ipse sit Messias.

Sed resp. Et quidem ad 1.m neg. ant.; Messiam namque, qui Templum a Zorobabele constructum aditurus esset, Aggaeum intellexisse illis verbis: *Et veniet desideratus cunctis gentibus*, tum ex omnibus Versioni-

bus, tum ex contextu patet, non enim, nisi Messias, allaturus erat pacem, nec nisi ipse Coelum, et Terram, Mare, et aridam commoturus; maxime cum hoc loquendi modo Scriptura utatur tantum, ubi de insignibus, ac praestantissimis portentis sermo fiat, ut Ps. 17. v. 8., Is. 24. v. 19., Jer. 49. v. 21., Ezech. 38. v. 19., Aggaei ipsius 2. v. 22., et alibi etiam; ex quo sequitur, quod inscite prorsus ejusmodi verba ad munera, quae Gentes essent ad Templum delaturae, detorquerentur, ita ut sensus esset: *Venient cunctae gentes cum desiderabilibus*. Ad probationem vero respondetur, quod utique Messias, ut mox dicetur, *desideratus cunctis gentibus* appellari poterat.

Resp. namque ad 2.m neg. etiam ant.; nam praeterquam quod aliqua notitia Servatoris inter ipsas Gentes remanserat, 1.°, licet gentes infideles Messiam non desiderarent, immo nec agnoscerent, utique tamen dici poterat desideratus cunctis gentibus, quia maxime, utpote omnium salus, erat ipse desiderabilis. 2.° quia cum omnes Gentes ab eo redimi indigerent, omnesque virtualiter saltem, et interpretative desiderent id, quo indigent, quodque si explicite agnoscerent, explicite etiam desiderarent, omnes quoque idcirco, virtualiter saltem, et interpretative, Messiam desiderabant eo sensu, quo in longa siccitate imbrem terra desiderare dicitur. 3.° quia cum praeteritum tempus non raro a Prophetis accipiatur pro futuro, futurum profecto erat, quod Messias fuisset a cunctis Gentibus desiderandus, et amandus, adeo ut innumeri non tantum opes, sed et sanguinem libenter pro eo profunderent.

Ad 3.m neg. item ant.; cum enim semper Sanctum Sanctorum perstiterit, nec umquam Sacrificia, et caetera Sacri cultus munia fuerint Herodis tempore interrupta, Templum proinde, extra cujus septa nefas erat ex lege illa obire, nonnisi per partes excitatum fuit, immo potius innovatum, quam excitatum; quod proinde Judaei a Zorobabelico numquam distinxerunt, sed cum hoc Herodianum unum, idemque fuisse, semper agnovere, alio numquam vocabulo illud appellantes, quam Domum secundam, ut in Talmude *c. ult. de Synedrio tit. Joma, et tit. Rosh Haschana*. Nec dum ait Josephus *sublatis veteribus fundamentis* de fundamentis a Zorobabele jactis est intelligendus, sed de antiquis Solomonicis, ut ipse-

met declarat n. 14. ; *haec enim fundamenta* (ut scribit Corn. a Lapide in hunc Aggaei loc.) *Salomonis conservabant Judaei , tum in veteris Templi memoriam , tum sperantes super illis quandoque Templum restaurandum fore , quod ad primaevam Salomonici magnificentiam accederet ; unde non permiserunt , Herodem ea solvere , donec prius materiam omnem pro nova fabrica necessariam apparasset.* Quod et refert Hegesippus *l.* 1. *de excidio Jeros. c.* 25. , scribens proinde , Herodem non tam novum condidisse Templum , quam vetus ornasse.. Quo loci demum praetermittendum non est cum Baronio *ann. Chr.* 31 , merito etiam de Josephi fide dubitandum, cum et sibi contradicat , ut idem Ecclesiasticorum Annalium Parens ibi ostendit , et saepe etiam ejus fides vacillet , ut prius monet tom. 1. in Apparatu.

Prop. III. Messiam advenisse , eumque fuisse J. C. D. N. , ex promissis Moysi c. 18. Deut. magis , magisque perspicuum fit.

Probatur ; ita enim l. cit. Deut. Deus Moysi locutus legitur , eique promisisse, Prophetam aliquando in medio populi sui suscitaturum illi similem ; atque hujusmodi promissionem Moyses ita denunciat: *Prophetam de gente tua , et de fratribus tuis , sicut me , suscitabit tibi Dominus Deus tuus ; ipsum audies. . Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui.* Quamvis autem Prophetam ejusmodi , dixerint non pauci tam ex Judaeis , quam ex Christianis , etiamque Catholicis , fuisse Josue , utpote Moysis in regendo populo successorem , alii Jeremiam , utpote singularis in populo existimationis , alii quosvis Prophetas identidem in populo a Deo suscitatos , prorsus tamen immerito id dixerunt , cum nemo praeter Christum , quem proinde tunc promissum fuisse , dicendum est, fuerit Moysi similior simul , ac longe praestantior ; *pauperrimis* namque (ut praeclare disserit Laurentius Berti l. 25. De Theol. Discipl. c. 7.) *uterque exceptus cunabulis ; utrique puerulo mors intentata ; fugam uterque arripuit ; servavitque uterque quadraginta dierum jejunium. In duodecim item Mosis exploratoribus nonne duodecim Christi Apostoli , in septuaginta senioribus Discipuli, in duplici Mosis descensu de monte duplex Christi adventus , in splendenti illius facie hujus in Thabor transfiguratio, et gloriosae post resurrectionem apparitiones praefigurantur ;*

*

Uterque item Legislator, uterque populum a captivitate reduxit, uterque facie ad faciem Deum vidit. Figuratam praeterea in Petra, quam Moyses percussit, Christi passionem, et in Moysis virga lignum Crucis, docet in 1. ad Cor. Apostolus c. 10., explicatque D. Aug. l. 16. contra Faustum c. 17.: Christum ergo Prophetam illum fuisse a Deo promissum, consequens est. Quem proinde Deut. locum de Christo interpretatus fuit D. Petrus Actuum 3., D. Stephanus Actuum 7., ac demum tum Christus ipse Jo. 4. illis verbis: *De me enim scripsit ille*, ut exponunt D. Irenaeus *l.* 3. *c.* 12., Tertullianus *l.* 4. *contra Marcionem c.* 22., D. Cyprianus *l.* 1. *contra Judaeos c.* 28., D. Cyrillus Alex. l. 3. contra Julian. c. 7., D. Athanasius *l.* 2. *contra Arianos*, D. Augustinus *l. contra Faustum c.* 5., *et sequ.*, aliique; tum Judaei ipsi Veteres, quum Deum magnificantes ob filium Viduae Naim a Christo ad vitam revocatum, *Propheta magnus* (exclamaverunt) *surrexit in nobis* (*Lucae* 7.); quumque saturatis ab eodem quinque millibus hominum multiplicatione quinque panum, *hic* (dixerunt) *est vere Propheta, qui venturus est in Mundum* (*Jo.* 6.). Quare, ut laudatus Laur. Berti sapienter advertit, non sine temeritatis nota potest Christo abjudicari. Quam recte autem dictus fuerit Propheta magnus, et ex miraculis, et ex Prophetiis, iisque eventu completis, quas edidit, quarumque meminimus *l.* 1. *tract.* 1. *cap.* 1. §. 4. *pag.* 45., *et* 46., manifeste patet.

CAPUT X.

De Messiae adventu, eoque in J. C. D. N., ex consensu Evangelistarum cum Divinis Veteris Testamenti Vatibus.

Evangelicae historiae Scriptores juxta ipsas severioris Criticae regulas omnem mereri fidem, ac universalem in historiis scepticismum invehi oportere, si iis fides detrahatur; sicut etiam eorum Scripta nec esse ficta, nec fuisse ullatenus adulterata, jam *l.* 1. *tract.* 1. *c.* 1. *art.* 2. *pag.* 29, *et sequ.* fuse ostendimus. Hoc autem posito, sit

Prop. Ex consensu Evangelistarum cum Divinis Ve-

teris Testamenti Vatibus, Messiam advenisse, eumque fuisse J. C. D. N., manifestum est.

Probatur; si enim quidquid de Messia Veteris Testamenti Vates praedixerant, perfecte in Christo impletum fuit, quis non videt, notas omnes, et characteres, ex quibus Messias dignoscendus fuerat, in Christo fulsisse; ideoque concludendum, et quod Messias advenerit, et quod ipse Dominus noster J. C. fuerit? Nihil porro clarius ex consensu Evangelistarum cum Veteris Testamenti Vatibus, quam quod perfecte in Christo impletum fuerit quidquid de Messia praefati Vates praedixerant; quodque idcirco notae omnes, et characteres, e quibus Messias dignoscendus fuerat, in Christo fulserint: Concludendum ergo, et quod Messias advenerit, et quod ipse Dominus noster J. C. fuerit. Minor autem probatur percurrendo per singula.

§. I.

De Messiae genere ex Abraham per Isaac, Jacob, Judam, et David.

Et 1.º Oriturus erat Messias ex genere Abraham, juxta promissionem huic factam a Deo Gen. 22. *Benedicentur in semine tuo omnes Gentes.* Ex Abrahamo autem per Isaac, quia et huic Deus dixerat Gen. 26. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes Terrae.* Ex Isaaco vero per Jacob, cui rursum dictum fuerat, ut legitur Gen. 28. *Benedicentur in te, et in semine tuo cunctae tribus Terrae;* unde et dixerat Balaam Num. 24. *Orietur stella ex Iacob.* Ex Jacob vero per Judam, cum enim Jacob benedicens Judam, sceptrum semini illius promiserit usque ad Messiae adventum, hunc quoque ex eo nasciturum, satis expressit. Ex Juda demum per David, juxta illud Psalmi 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Quod et vaticinatus fuit Isaias c. 11. inquiens: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini.* Et paullo post: *In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Nec non Jerem. c. 23. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit Rex, etc.*

Genus porro Christum duxisse ex Abraham, et quidem per Isaac, Jacob, Judam, et David, testis est Matthaeus in genealogia, quam de Christo texuit in ejus Evangelii exordio; cui concinunt alii etiam Novi Testamenti Scriptores, Christum passim appellantes *ex lumbis* Davidis, ut Act. 2., *ex semine David*, ut 2. ad Tim. c. 2., *ex semine David secundum carnem*, ut ad Rom. 1.; quibus similia habentur quoque Matth. 9. v. 27., 12. v. 23., 15., v. 22., 21. v. 9., Marci 10. v. 47., Lucae 1. v. 32., 18. v. 28., Actuum 13. v. 23., Apoc. 5. v. 5., aliisque in locis, ubi praecipue Christus publice filius David proclamatur: quod profecto tam confidenter non dixissent paullo post Christi aetatem, si extra omnem prorsus dubitationis aleam non fuisset.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.°, Christum fuisse ex genere David, incertum esse, quippe quod Matthaeus illum ducit a Davide per Salomonem, Lucas vero ab eodem per Nathan. Cum autem Evangelistae non conveniant in texenda ejus genealogia, quid dicendum, nisi incertum saltem esse, Christum fuisse ex genere David? Dubiis igitur saltem id accensendum.

R. neg. sequ. min.; quomodo enim, ut supra diximus, tempore, quo de rerum veritate inquiri facillime poterat, tam confidenter caeterum, atque unanimiter Novi Testamenti Scriptores tradidissent, Christum ex genere David fuisse, nisi de hoc nulla dubitatio haberetur?

Ad probationem vero resp., omnem contradictionem quoad Christi genealogiam inter Matthaeum, et Lucam evanescere, si dicatur, 1.°, Joseph dictum a Luca fuisse filium Heli, quia ob ejus cum Maria Matrimonium erat ejus gener. 2.° si dicatur illa Lucae verba, *qui fuit Heli, etc.* referenda non esse ad Joseph, sed ad Jesum ipsum, adeo ut sensus verborum: *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli, etc.*, sit, quod Jesus, ut putabatur, erat filius Joseph, sed revera genus ducebat ab Heli, seu Heliacim, qui idem est ac Joakim (nam Heli, Heliacim, et Joakim non tria, sed unum, idemque nomen sunt apud Hebraeos); erat enim Maria Mater Jesu Joakim filia, ex qua absque ullo viri consortio car-

nem sumpserat. Nec deest ratio, quod referri non debeant ad Joseph, sed ad Jesum ipsum ; 1.° enim in Textu graeco, quo idiomate scripsit Lucas, ut diximus l. 1. tract. 1. cap. 3., post verba, *ut putabatur filius Joseph*, desunt verba *qui fuit*, sed legitur: *Erat Iesus. . ut putabatur filius Ioseph, Heli, Mathat, etc.*, ubi praefatus sensus quasi insinuatur, quod Jesus, ut putabatur, erat filius Joseph, sed revera genus ducebat ab Heli, etc. . 2.° quia sicut Matthaeus genealogiam Josephi scripserat, ut ostenderet, Christum, habita Josephi, qui ejus Pater credebatur, ratione, ex Regia Davidis familia prodierat, ita congruebat, quod alter ex Evangelistis Genealogiam Mariae scriberet, ut veram Christi, qui Gen. 3. semen mulieris appellatus fuerat, originem ostenderet. Quam demum responsionem illud etiam fulcit, quod in Talmude Jerosolymit. Mater Jesu Maria *Heli filia* vocatur, ut advertit Lightfoot in Hor. Heb. in hunc Lucae locum.

Ad conciliandum caeterum utrumque Evangelistam aliam post Africanum, qui vixit ducentesimo, ac vigesimo post Christum anno, ac testatur, sermonem hac de re habuisse cum viris, qui etiamnum supererant ex Domini cognatione, iniere viam D. Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Damascenus, Beda, Theophylactus, ac fere omnes Patres; Josephum, ajentes, Patrem habuisse Jacob, et Heli, primum naturalem, alterum legalem. Lege enim praeceptum erat apud Judaeos, ut videre est Deut. 25., quod si aliquis, ducta uxore, e vita decessisset absque liberis, frater defuncti duxisset uxorem ab ejus fratre relictam, et *suscitaret semen fratris sui*; utque colligitur ex c. 4. Ruth, nedum fratres stricte tales ejusmodi lex obligabat, sed et consanguineos, eosque idcirco a fortiori, qui fratres uterini essent. Inde vero sequebatur, quod, procreatis liberis ex hoc posteriori connubio, horum dicebatur Pater nedum is, a quo procreati fuerant, verum etiam alter, qui absque liberis obierat; primus scilicet secundum carnem, seu naturalis, alter secundum legem, seu legalis. Porro supponi potest, quod Heli, e quo Joseph fuisse dicitur a Luca, et Jacob, e quo idem fuisse dicitur a Matthaeo, fuerint fratres uterini, profecti scilicet ex eadem Matre, quae defuncto uno, alteri nupserit, et quorum alter fuerit a Davide per Nathan, alter ab eodem per Salo-

monem; quodque, ducta ab Heli uxore, eoque defuncto absque liberis, Jacob ipsius frater uterinus illam duxerit, genueritque ex ea Joseph: Nonne, hoc posito, uterque Evangelista dicere potuit Josephum tum Heli, tum Jacob filium, illius scilicet secundum legem, istius secundum carnem; quodque uterque fuerit Josephi Pater, ille scilicet legalis, hic naturalis? Neque obstat, quod dum Lucas scribit de Heli, quod *fuit Mathat*, loquitur de generatione secundum carnem; de qua proinde etiam intelligendus sit, dum scribit de Joseph, quod *fuit Heli*: cum enim deinde dicat de Adam, quod *fuit Dei*, quibus verbis profecto non significat, quod Adam e Deo fuerit per generationem carnalem; quis non videt, quod idem loquendi modus, dum ait de Joseph, quod *fuit Heli*, utique sumi potest alio sensu, quam per carnalem generationem? Qua super re, non mirandum denique, quod ad conciliandum Matthaei, ac Lucae Evangelium tot hypotheses advocaverimus; cum enim agatur de rebus a nobis remotissimis, nemo, qui aequus esse velit, locum hypothesibus, iisque verisimilibus, negare potest, quae, exortis in tot saeculorum progressu difficultatibus super earumdem veritate, ejusmodi difficultates solvant.

Objic. 2.°, quod, licet Josephus dicatur certo de genere David, non ideo tamen ex eo etiam Christus dicendus est, utpote conceptus, quemadmodum Christiani profitentur, absque viri consortio; ex quo sequitur, quod constare deberet, Mariam ejus Matrem fuisse ex genere David, ut dici posset, Christum quoque fuisse ex eodem genere. Istud autem non constat, tum quia nullibi de ea asseritur, quod fuerit ex genere David, tum quia utique Joseph potuit ex alia Tribu uxorem ducere, sicut ipse David connubio se junxerat cum filia Saulis Beniamitide (1. Reg. 14.), et Jojadas Pontifex cum filia Joram Regis Juda (l. 2. Par. c. 22.): Neque igitur constat, Christum fuisse ex genere David.

R. neg. min.; quoad 1.m enim, explicite quidem non asseritur ab Evangelistis, fuisse Mariam ex genere David, utique tamen implicite, et aequivalenter, ubi Christus dicitur ex ea absque Viri consortio genitus, ac simul possessurus *sedem David patris ejus* (*Luc.* 1.); et mox appellatur *cornu salutis in domo David erectus*: immo etiam explicite, ubi relatum Lucae locum: *Erat*

Jesus incipiens etc., de Mariae genere a Davide per Nathan ortae exponamus. Quoad alterum vero, utique constat, Mariam fuisse ex eadem Tribu, e qua erat Joseph; cum enim ex Traditione constet, quod Maria nullos habuit fratres, lege cavebatur apud Num. c. 36., ne alteri, quam propinquissimo, ideoque ex eadem Tribu, nuberet: quare et posito, Evangelistas ejus stemma non descripsisse, satis tamen fuerat Josephi stemma describere, ut simul Mariae origo demonstraretur.

Objic. 3.°, quod cautum erat apud Hebraeos, ne quis conjugem duceret ex alia Tribu. Erat autem Maria juxta Lucam 1. cognata Elisabeth, atque haec juxta eumdem l. cit. ex filiabus Aaron, ideoque ex Tribu Levi: Ergo et Maria ex Tribu Levi; e qua cum absque Viri consortio, ut Christiani tenent, ortus fuerit Jesus, et hic igitur ex Tribu Levi, non ex Tribu Juda, nec proinde ex David.

Resp. neg. cons.; cum enim Numerorum lex c. 36: *Cunctae feminae de eadem Tribu maritos accipiant, ut haereditas permaneat in familiis*, non fuerit absoluta, sed ubi periculum adesset alio transferendae haereditatis, hoc proinde non extante, utique Judaeis licebat uxorem ducere ex qualibet Tribu, quemadmodum, ut supra diximus, egit et David connubio se jungens cum filia Saulis Beniamitide, et Jojadas Pontifex cum filia Joram Regis Juda. Ut Maria idcirco esset cognata Elisabeth, sufficit, quod Mater Elisabeth fuerit de Tribu Juda, et Joakim Patri Mariae proxime conjuncta, fueritque in uxorem ducta a Viro de Tribu Levi; quo posito, dum Elisabeth erat de Tribu Levi, erat nihilominus Maria de Tribu Juda. Cujus hypothesis verisimilitudinem cum nemo inficiari queat, eam item cogimur statuere, quippe quod dum Scriptores Novi Testamenti docent, Christum e Maria ortum esse absque viri consortio, scribunt simul, manifestum fuisse, quod Christus fuerit de Tribu Juda; ut prae aliis D. Paulus ep. ad Hebraeos, a quibus facillime argui de re falsa potuisset, utpote de re non remota: *Manifestum est* (inquiens c. 7.), *quod ex Juda ortus sit Dominus noster*.

§. II.

De Messiae ortu ex Matre Virgine.

Oriturus item erat Messias ex Matre Virgine, 1.° ut praedixerat Isaias c. 7. illis verbis: *Ecce Virgo concipiet, et pariet* (et Virgo nempe concipiet, et Virgo pariet) *filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Et sane haec Isaiae verba Messiam pro objecto habuisse, patet 1.° ex nomine, quo filius nasciturus vocatus esset, Emmanuelis nempe; quisnam enim, praeter Messiam, futurus esset nobiscum Deus, quod significat Emmanuel? 2.° ex eo quod loqui Isaias non poterat de Ezechia filio Achazi, regnavit namque Achaz annis 16., ut habetur ex l. 4. Reg. c. 16., et ex l. 2. Paral. c. 28.; quumque extremum diem clausit, dicitur Ezechias l. 4. Reg. c. 18., et l. 2. Paral. c. 9. fuisse annorum 25., ex quo sequitur, quod dum id vaticinatus fuit Isaias, erat jam Ezechias novem annos natus. Neque etiam loqui poterat de Iasub ejus filio, tum quia Isaiae natum jam fuisse, dum id vaticinabatur, constat ex c. 3.; tum quia Emmanuel nasciturus dicitur cap. seq. Judae Dominus; qualem non fuisse nec Iasub, nec alium Prophetae filium, nemo nescit. 3.° ex eo quod subsequens ejus vaticinium c. 9. *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis; et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis: super solium David, et super Regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio, et justitia amodo, et usque in sempiternum*, nonnisi de Messia intelligi posse, evidens est; idemque ad Emmanuelem, de quo antea locutus fuerat, spectare, tum sermonis Prophetici series, tum Regnorum Syriae, et Israel dissipandorum continuata praedictio ostendunt.

Quod vero ibi praedixerit Isaias, Messiam de Matre Virgine nasciturum, patet 1.° ex verbo *Alma*, quo utitur Hebraeus Codex, ubi Vulgata Latina legit *Virgo*; cujus sive origo, sive usus, sive conjunctio cum particula *he* attendatur, nonnisi Virginem significare potest. Primum, oritur enim *Alma* ab *alam*, quod significat *abscondere*, ut docet R. David kimchi *in l. Radicum*,

per quod proinde intelligi nequit, nisi puella cujusvis viri aspectui abscondita, seu Virgo, ut scribit D. Hieron. in h. l., *quae numquam virorum patuerit aspectibus, sed magna parentum diligentia custodita sit.* Alterum, ex tribus enim verbis *Naara*, *Bethula*, et *Alma* apud Hebraeos usurpatis ad significandam Virginem, primum, et alterum usurpatur etiam quandoque ad significandam non Virginem, ut Deut. 22. v. 21., Ruth. 4. v. 12., et Ioelis 1. v. 8.; verbum vero *Alma* numquam, nisi ad significandam Virginem intactam, et secretam, a virorum accessibus seclusam, in adolescentiae annis extantem, et nubilem, in Scripturis usurpatur; nec umquam, nisi in hoc Isaiae loco, vocibus *concipere*, aut *parere* copulatur. Postremum, particulam enim *he*, quae nomini *Alma* hic praefigitur, particulam esse emphaticam, eaque idcirco denotari, sermonem fieri de re singulari, et eximia, de Virgine scilicet singulari, et praecellente, nemo est hebraicae linguae peritus, qui id ignoret: Messiam ergo de Matre Virgine nasciturum, Isaias praedixit. 2.° ex Divini Vatis scopo; cum enim Achaz monuisset, ut a Deo, cui nihil impossibile est, postulasset liberari ab obsidione, qua Jerusalem detinebatur a Rasin, et Phacee Regibus Syriae, et Israel, *Pete tibi signum* (inquiens) *a Domino Deo tuo*; et Rex prae incredulitate illi respondisset: *Non petam, et non tentabo Dominum*: zelo Divinus Vates accensus, *Audite ergo* (subdidit), *domus David. . . Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, etc.* Quasi diceret: Praestantius, atque admirabilius signum, quam sit Urbem ab obsidione, qua detinetur, eripere, Deus dabit, efficiens, quod Virgo eum concipiet, et pariet, qui erit Emmanuel, idest nobiscum Deus. Ubinam porro ejusmodi signum, praestans scilicet, atque admirabile portentum fuisset, si eo, quo assolent, modo aliae puellae concipere ex Viri consortio, et parere cum Virginitatis dispendio, puella, de qua Divinus Vates loquebatur, futurum illum Emmanuelem concepisset, et peperisset? Hunc ergo concipiendum absque Viri consortio, eumdemque pariendum absque Virginitatis dispendio, praenuntiavit; ex quo idcirco Isaiae vaticinio, Messiam concipi, et edi debuisse a Matre Virgine, consequens est.

Quod et 2.° probatur ex illis Ieremiae verbis c.

31. *Creavit Dominus novum super Terram; Femina circumdabit virum;* novum enim istud, portentum nempe, ac miraculum a Deo creandum futurum Messiam fuisse, ex se patet, omniumque consensus confirmat. Ipse autem ejus conceptus appellatur illic quoddam novum, idest portentum, ac miraculum; nec fuisset prorsus aliquid novum, portentum nempe, ac miraculum, si juxta ordinem consuetum, seu ex Viri consortio, fuisset Mater illum concepturus; Futurum ergo illius conceptum praeter consuetum ordinem, seu illaesa Matris Virginitate, Jeremias praedixit; ex quo idcirco Vaticinio, Messiam nasciturum esse ex Matre Virgine, comprobatur. Nec quis dicat, *novum* illud referendum esse ad *Virum*, quod scilicet Messias ab ipso conceptionis suae instanti pleno rationis usu praeditus esset. Illud namque *novum* juxta Jeremiae oraculum futurum erat, quod femina illum *circumdaret*, idest conciperet; quod conceptionis portentum non aliud animo ingerit, quam inusitatum illum concipiendi modum, idest absque viri consortio: *Quasi dicat* (quemadmodum scite in hunc Jeremiae locum Cornelius Alapide): *Haec femina foetum non a viro accipiet, erit enim Virgo, sed intra se coelitus datum claudet in modum circuli, undequaque integri, et perfecti, nulla vel minima scissione violati: qua de causa Cant.* 4. 11, *vocatur ipsa* hortus conclusus, fons signatus. *Quam ejusdem Virginitatem ex voce novum colligunt R. Haccados, et R. Iosue apud Galatin. l. 7. c. 14.; si enim mulier circumdet virum, non est novum, sed quotidianum. Novum autem est, quod virgo illum circumdet.*

Hanc item futurae Matris Messiae Virginitatem, eamque et ante partum, et in partu, et post partum, typice agnoscendam esse, scribit D. Hieronymus, in eo, quod ait Ezechiel c. 44. de porta Sanctuarii, quae dum esset clausa, dixit Dominus ad eum: *Porta haec clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa;* in quae ita S. Doctor Comment. in hunc Ezech. locum: *Pulchre quidam clausam portam, per quam solus Dominus Deus Israel ingreditur, Mariam Virginem intelligunt, quae ante partum, et in partu, et post partum Virgo permansit.*

Christum namque ab ea conceptum fuisse absque Viri

consortio, fidem facit Matthaeus, referens c. 1., quod *cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*; quodque *vir ejus cum esset justus, et vellet occulte dimittere eam, Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens; Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*; quemadmodum nempe, referente Luca c. 1., dixerat ei Angelus, dum illi Divinum conceptum nuntiavit: *Spiritus Sanctus superveniet in Te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; id eoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* In quae postrema Angeli verba ita apposite D. Bernardus: *Deum enim hujusmodi decebat nativitas, ut nonnisi de Virgine nasceretur*; 1.° scilicet, ut praeter consuetum naturae ordinem Deus homo conciperetur, et nasceretur. 2.° ut quia res renovandi causa venerat, non ut caeteri homines, sed novo quodam modo in Mundum prodiret. 3.° ut in ejus tam conceptione, quam nativitate ipsius simul et humanitas, et Divinitas appareret. 4.° ut non violaret, et corrumperet integritatem Matris, qui parentes jusserat honorari. 5.° ut non haberet alterum Patrem naturalem, qui natura Filius Dei erat.

Nec tantum absque Virginitatis dispendio Sanctam ejus Genitricem illum peperisse, fide Catholica profitemur, verum etiam servatam illi a Filio Virginitatem ipsam semper servasse, concors Traditio semper docuit: *Quis enim* (inquit D. Epiphanius haer. 78.) *ullo umquam tempore extitit, qui S. Mariae nomen appellare auderet, et non rogatus subinde Virginis vocabulum adjiceret?* Qua super re addit D. Basilius hom. 25. De Nativ. Christi, quod *Christi amantium aures neque etiam sustinent audire, quod Dei Genitrix aliquando virgo esse desierit.* Hinc et Iovinianus, qui saec. 4., Mariam Virginitatem in partu amisisse, effutiit, et Helvidius, qui eodem saec. asserere ausus fuit, eam post Christi partum alios ex Josepho suscepisse liberos, ambo, tamquam haeretici, fuerunt ab Ecclesia anathemate perculsi, eo quod utrumque, tamquam blasphemiam omnibus retro saeculis inauditam, ut loquitur D. Hieron. *l. contra Helvidium*, in iis exhorruit, nec Viro Christiano fas est, alterutrum in dubium vocare.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.°, non recte pro eo, de quo Isaias citato loco loquitur, Messiam intelligi: 1.° quia Messias post saecula venturus dari non poterat pro signo liberationis Jerusalem ab obsidione, qua detinebatur. 2.° quia de eo dicit Divinus Vates, quod butyrum, et mel comesturus esset, ut sciret reprobare malum, et eligere bonum, quae in Messiam hominem, Deumque futurum non quadrant. 3.° quia Rasin, et Phacee Syriae, et Israelis Reges procul fugandi praedicuntur, antequam puer nasciturus sciret reprobare malum, et eligere bonum, discretionis nempe annos attingeret. Falsum ergo, quod pro eo, de quo Isaias loquitur, Messias intelligendus sit.

R. neg. ant.; quoad 1.m enim, utique in signum liberationis Jerusalem dare Isaias poterat signum multo admirabilius, quod certo Deum operaturum vaticinabatur. Quod caeterum, non quidem in signum liberationis Jerusalem. Deum operaturum, praedixit, sed Achazo, ejusque proceribus objecit ad eorum incredulitatem redarguendam. Quoad 2.m, dixisse Isaiam de Messia, quod butyrum, et mel comesturus esset, ut significaret, fore verum hominem aliis similem infantibus, cibisque infantilibus nutriendum, alluderetque ad cibos, quibus alebantur infantes in Iudaea, quae ita lacte, et melle abundabat, ut saepe dicatur, manasse lacte, et melle. Dum vero ait, butyrum, et mel eum comesturum, ut sciret reprobare malum, et eligere bonum, de scientia intelligendum est, non absolute sumpta, sed experimentali, in qua Christum, ut hominem, profecisse, suo loco dicemus. Quoad 3.m, non loqui Prophetam de puero praenuntiato, sed postquam Achaz, ejusque procerum incredulitatem redarguisset, tempus assignasse, intra quod Jerusalem liberaretur, ita ut sensus sit: Antequam is, qui adhuc puer est, sciat reprobare malum, et eligere bonum, Jerusalem liberabitur. Quae caeterum verba si absolute ad puerum praenuntiatum referri velint, nihil prohibet, ut eorum sensus sit, quod breviori intervallo Jerusalem liberaretur, quam futurum sit illud, quod effluet a Messiae conceptu ad aetatem, qua caeteri discretionis annos attingunt.

Objic. 2.°, quod non semel vox *Alam* accipitur in

Scripturis pro non Virginibus ; ut Cant. 1. , ubi adolescentulae, de quibus Divinus Sponsus loquitur, vocantur *almoth* ; quo in loco de non Virginibus sermonem fieri , ipse Canticorum liber ostendit ,quem esse Epithalamium, idest carmen nuptiale , quo Sponsus , et Sponsa celebrantur , omnes consentiunt. Item Prov. 30. , ubi dum dicitur , quod *via viri in adolescentia* , sive , ut alii legunt *in adolescentula* , seu *in puella* , hebraice *in alma* quisnam puellam corruptam non deprehendit ? Falsum ergo, quod vox *Alma* nonnisi pro Virgine accipi possit.

R. neg. etiam ant. ; quoad 1.m enim , cum relato Canticorum loco adolescentulae a Reginis , et concubinis distinguantur , necesse est , pro illis adolescentulis Virgines intelligere. Nec ratio allata quidquam facessit ; ut enim ostendit Huetius *Demonstr. Evan. prop.* 9. *c.* 9. *n.* 2. , mos erat apud Hebraeos , quod Virgines Sponsam , et pueri innupti Sponsum ad nuptias comitarentur , iisque carmina canerent. Quoad alterum vero , pronum est textum de hominum perversorum cogitationibus explicare, quibus nempe Virginibus tendere insidias moliuntur. Nisi quis velit cum non paucis in citato Proverbiorum loco admirabilem Christi conceptionem agnoscere; dumque ait Proverbiorum Auctor , penitus se ignorare viam viri in Virgine , intellexisse his verbis , quam difficile sit , Christi , qui Vir fuit ab initio conceptionis suae , perfectusque omnibus animae potentiis , aeque ac membris corporis , Conceptionem , et Nativitatem , illaesa Virginis Matris integritate, cognoscere.

Objic. 3.º adversus Christi nativitatem ex Matre Virgine 1.º , quod natus ex Muliere Viro nupta censendus non est ex Virgine natus. Fuit autem Christi Mater Viro, idest Joseph , nupta. 2.º quod habet Lucas c. 2. *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae secundum legem Moysi , tulerunt Iesum in Jerusalem , ut sisterent eum Domino , sicut scriptum est in lege Domini : Quia omne masculinum adaperiens vulvam , Sanctum Domino vocabitur.* Quomodo autem haec verba cum Mariae Virginitate conciliari possunt ? 3.º quod , ut habet Matthaeus c. 1. , *cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph , antequam convenirent etc.* Nonne autem adverbium illud *antequam*, Josephum cum ea postea convenisse , aperte indicat? 4.º quod ibidem legitur : *Et non cognoscebat eam , donec peperit filium suum primogenitum.* Cui concinit Lucas I,

cit, ubi ait : *Et peperit filium suum primogenitum*. Porro tam adverbium *donec*, quam ratio primogeniti, quae Christo tribuitur, satis innuunt, quod eam Joseph postea cognoverit. 5.º quod ait Ap. ad Gal. c. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere*. Mulier autem feminam non virginem exprimit; unde Cicero apud Quintilianum reprehensus, quod senex duxisset Virginem Publiolam, ait: *Cras mulier erit*. 6.º quod legitur Matth. 13., ubi *Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas* Christi fratres dicuntur. Falsum ergo, quod Christus fuerit juxta Prophetarum oracula ex Matre Virgine.

R. neg. cons.; quoad 1.m enim, praenuntiatum quidem fuit, Messiam nasciturum esse ex Virgine, at simul praenuntiatum non fuit, quomodo ex ea nasciturus esset, et an ex nubili, vel ex nupta. Tametsi autem Maria fuerit Viro nupta, Virginitatem tamen in ipso se servasse connubio, ex ejus verbis patet, quae dum jam esset Joseph desponsata, ait ad Angelum, quae Filium Dei se concepturum, illi nuntiavit: *Quomodo fiet istud, quoniam Virum non cognosco* (Luc. 1.)? *Quae profecto non dixisset* (ut D. Aug. disserit l. de S. V. c. 4.), *nisi Deo Virginem se ante vovisset*; secus enim ejus verbis prompta fuisset responsio: *Virum, quem nondum cognovisti, mutato proposito, cognosces*. Quomodo vero inter eam, et Joseph verum nihilominus Matrimonium consistere potuerit, nemo non intelligit, ubi advertat, quod usus rei, de qua contrahitur, non pertinet ad essentiam contractus; ex quo sequitur, quod neque etiam usus corporis inter conjuges ad Matrimonii essentiam pertinet, quod proinde utique potest consistere, licet ille virtutis motivo abdicetur. Quod si aliquis pergat quaerere, cur Messias nasciturus ex Virgine, voluerit tamen ex ea viro nupta nasci, eam dicimus cum Patribus fuisse, ne tantum prodigium hominibus manifestum fieret, priusquam miraculis Christi, et Apostolorum credibile evaderet, atque hoc modo et Matris Christi, et nati Messiae honori quidquam detraheretur.

Quoad 2.m, Evangelistam non loqui, nisi de eo, quod lege praecipiebatur; dum simul antecedenter dixerat, natum in ea fuisse Altissimi Filium, quin ipsa ullatenus a Viro agnosceretur, sed Spiritu Sancto in eam superveniente. Aliunde vero, quia Incarnationis oeconomia postulabat, ut nonnisi dato tempore operatum in ea Mysterium

palam fieret, et interea latens maneret, oportuit proinde, quod Virgo Mater, licet sub lege, quae loquebatur de Matribus *suscepto semine* concipientibus, non comprehenderetur, legi tamen morem gereret, ac se, et Filium in Templo sisteret.

Quoad 3.m, ex eo, quod dicitur, quod *cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, etc.*, non sequi, ut advertit D. Hieronymus in hunc locum, quod postea convenerint; sicut quum dicitur, quod Titius, antequam poenitentiam ageret, morte correptus fuit, nonne inde sequitur, quod post mortem poenitentiam egerit? Scripsit autem Evangelista, quod *antequam convenirent, etc.*, quin adderet, quod nec etiam postea convenerint, quia illud unum oportebat exprimi, ut admirabilis Virginis conceptus significaretur; alterum vero, quod scilicet nec postea convenerint, ad ejus scopum nullatenus pertinebat.

Quoad 4.m, jam dixisse *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 6. *pag.* 81., quod particula *donec* non raro etiam in Scripturis valet *interea*; ut quum dicitur Gen. 8. *Corvus non revertebatur, donec siccarentur aquae*; item Ps. 109. *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*; nec non Isaiae 22., ubi quum dicitur: *Si dimittatur iniquitas haec vobis, donec moriamini*, potestne aliquis inde inferre, quod iniquitas, de qua ibi fit sermo, condonetur peccanti, postquam obierit? Ubi etiam quum c. 46. Deus ait: *Ego sum, et donec senescatis ego sum*, an inde sequitur, postquam illi senuissent, Deum non amplius futurum? Neque ergo illic eadem particula aliud denotat, nisi tempus elapsum, ac tantum quid antea factum non sit, ostendit. Nec alio sensu dicitur ibidem Christus primogenitus Mariae, quia ante eum nempe nemo ab ea genitus fuerat; quo sensu eadem vox usurpatur quoque Exodi 4., ubi Israel vocatur *primogenitus* Dei, licet solus esset populus a Deo electus. Nec non ibidem c. 13., ubi dum omnis *primogenitus* sanctus Deo dicitur, sumitur primogenitus pro eo, qui primo partu editur, sive alii sequantur, sive non, secus namque necesse non fuisset primogenitos redimere, nisi post aliam prolem susceptam, quod falsum esse, patet ex c. 18. Num., ubi praeceptum legitur, redimendos fuisse primo a partu mense.

Quoad 5.m, vocabulum *mulier*, ut scite advertit

Tertullianus *l. de veland. Virg. c.* 5, *et* 6., sexum, non conditionem, seu qualitatem sexus ex se exprimere. Sic Eva statim ac creata fuit, et antequam ab Adam cognosceretur, *mulier* Gen. 2. appellatur. Sic etiam Ap. 1. ad Cor. c. 11. indistincte ait: *Omnis autem mulier velet caput suum.* Et 1. ad Tim. c. 11. *Similiter et mulieres in habitu ornato.* Ac demum Cicero pro Mur. ait quoque promiscue: *Mulieres omnes propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt.* Quid proinde refert, quod aliquando *virgini* opponatur?

Quoad 6.m, in more esse apud Sacros Scriptores, consanguineos quoque, et utcumque cognatos appellare fratres, ut quum Gen. c. 13. v. 8. Abraham, et Loth, et c. 29. v. 15. Laban, et Jacob fratres dicuntur; atque hoc sensu Jacobum, et Joseph, Simonem, et Judam appellari in laud. Matth. loco Christi fratres. Quomodo autem Christo cognati essent, communiter quoad hoc rejicitur D. Epiphanii, aliorumque paucorum opinatio, qui Apocryphorum quorumdam auctoritate decepti, ut scribit D. Hieron. in c. 13. Matth., scripserunt, Josephum in viduitate sibi despondisse B. Virginem; quosque ex priori conjugio habuerat filios, fratres Christi appellari: nam 1.° certum est, Jacobum, qui unus dicitur de fratribus Domini, non fuisse filium Josephi; fuit enim unus de 12. Apostolis, ut testatur D. Paulus ad Gal. c. 1.; utque constat ex c. 10. Matth., ex duobus Apostolis, qui Jacobi habuerunt nomen, unus fuit filius Zebedaei, alter filius Alphaei; ex quo sequitur, quod neque etiam alii, qui fratres Christi dicuntur, filii Joseph fuere. 2.° quia perpetua D. Josephi Virginitas nedum probabilius creditur cum D. Hieron. *l. cit.*, aliisque Patribus, verum etiam, ut scribit Laur. Berti De Theol. Discipl. l. 26. c. 1., *eam tenet pia Fidelium devotio, quamquam firmari plenissima Traditione non possit*; apprime enim conveniebat, et quod Deiparae adjutorium daretur omnino ei simile, et quod Virgo omnium praeclarissima nonnisi Virgini commendaretur.

§. III.

De Messiae Nativitate in Bethleemi Oppido.

Oriturus item erat Messias Bethleemi juxta illud Michaeae oraculum c. 5. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es* (locus) *in millibus Juda : ex te mihi egredietur , qui sit Dominator in Israel , et egressus ejus ab initio a diebus aeternitatis . . . Et stabit , et pascet in fortitudine Domini , in sublimitate nominis Domini Dei sui : et convertentur , quia nunc magnificabitur usque ad terminos terrae. Et erit iste pax.* Haec autem Michaeae verba nonnisi de Messia intelligi , nec nisi de eo intelligi posse ; cuivis consideranti fit perspicuum ; adeo ut miranda prorsus sit Judaeorum recentiorum pervicacia , qui ad *Zorobabelem* illa detorquent. Et sane , quomodonam Bethleem talem consequi poterat gloriam a *Zorobabel* , cum hic neque etiam Bethleemi , sed Babylone ortus fuerat ? Quidnam honoris poterat illi tribuere Zorobabel , ut quamvis oppidum exiguum , celeberrimum tamen ob eum fieret ? Nonne potius a Davide Bethleemite , qui millibus ex titulis praeeminuit *Zorobabel* , ejus celebritas repetenda esset ? Quonam denique modo praedicare poterat Michaeas de Zorobabel , quod egressus ejus esset a diebus aeternitatis , quodque magnificandus foret usque ad terminos terrae ? Nonnisi ergo de Messia id Michaeam praenuntiasse , est dicendum: quod proinde adeo a veteribus Judaeis certum reputabatur , ut cum Herodes sciscitatus esset Judaeorum *Sacerdotes , et Scribas populi , ubi Christus nasceretur ?* Statim ei reposuerint , ut D. Matthaeus refert c. 1., *In Bethleem Judae. Sic enim scriptum est per Prophetam : Et tu Bethleem etc.*

Porro Christum natum esse *in Bethleem Judae* , testis est D. Matthaeus c. 2. ; nec non D. Lucas c 2. , narrans item , quomodo omnia dirigens , ac disponens Providentia ordinaverit , ut illic nasceretur , quamvis Nazareth conceptus ; cum enim , inquit , edictum a Caesare Augusto exierit , *ut describeretur universus Orbis , ascendit et Joseph a Galilaea de Civitate Nazareth in Judaeam in Civitatem David , quae vocatur Bethleem, eo quod esset de domo , et familia David , ut profiteretur cum Maria sibi desponsata uxore praegnante. Factum est autem ,*

cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret, et peperit Filium suum primogenitum

Nec praetermittendum, reliquum etiam vaticinii Michaeae iis respondere, quae Scriptores Novi Testamenti de Christo enunciant: ut quod ait: *Egressus ejus ab initio a diebus aeternitatis*, verbis, quibus D. Joannes suum auspicatur Evangelium· *In principio erat Verbum . . . Et Verbum caro factum est.* Quod subdit: *Magnificabitur usque ad terminos terrae*, iis, quibus Matthaei ult. potestas Christo tribuitur *in Coelo, et in Terra*; quibusque Apostolus ait ad Philippenses c. 2., quod Deus *exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, Coelestium, terrestrium, et infernorum.* Quod demum inquit: *Et erit iste pax*, iis, quibus de Christo dicitur ad Ephesios, quod *ipse est pax nostra . . interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis, qui prope.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 2.°, quod Lucae quoad Christi ortum Bethleemi narratio pluribus difficultatibus est obnoxia; 1.° enim ex tribus censibus, quos, teste Svetonio *in Octavio c.* 27., Augustus egit, primum fuit, ut colligitur ex Ancyrano monumento, prout a Jacobo Gronovio ad fidem utriusque exemplaris Busbequiani, et Cossoniani restitutum est, anno ante aeram vulgarem 30., alterum anno ante aeram vulgarem 8., postremum anno aerae vulgaris 13. jam finiente. Quod cum ita sit, nullus adest census ab Augusto actus anno ante aeram vulgarem 5., quo Christus natus est: Ubinam census ergo, cujus causa Bethleemi ortus fuerit? 2.° censum, cujus tempore Christus Bethleemi ortus dicitur, a Praeside Syriae Cyrino factum fuisse, Lucas scribit. At 1.° Tertullianus illum Sentio Saturnino tribuit *l.* 4. *contra Marc. c.* 19., circa quod proinde Scriptores non consonant. 2.° nec Sentius Saturninus, nec Cyrinus anno ante aeram vulgarem 5. Syriam gubernabant; non Sentius Saturninus, Josepho enim teste *l.* 17. *Antiqu. c.* 5., Quintilius Varus successit Sentio in Syriae praefectura anno ante aeram vulgarem 6., ex quo sequitur, quod anno ante aeram vulgarem 5. non Sentius, sed Quintilius Varus Syriae

praeerat. Neque etiam Cyrinus, cum adhuc tunc, ac etiam post Herodis mortem, teste tum Josepho *l.* 17. *Antiqu. c.* 10., *et l.* 2. *De Bello Judaico c.* 3., tum Tacito *l.* 5. *hist.*, adhuc fuerit Syriae Praeses Quintilius Varus: Incertum ergo, quod praefati census causa Christus Bethleemi ortus fuerit. 3.° demum nedum census a Cyrino actus in annum ante aeram vulgarem 5., quo Christus natus est, non incidit, verum etiam Josephus, dum nullatenus meminit census a Cyrino acti tali anno juxta Lucae historiam, censum ab eodem actum assignat anno aerae vulgaris 7., mortuo jam a decem annis Herode, et Archelao ejus filio in exilium amandato. Ita nempe *l.* 17. *Antiqu. c. ult.*, *et l.* 18. *c.* 1.. Addens quoque, illius census causa populum commotum fuisse a Juda Gaulonite, prout etiam legitur c. 5. Actuum v. 37.. Undenam porro haec mota seditio, nisi ex eo quod nullus antea census fuerat Judaeis imperatus? Rursum ergo census, de quo Lucas loquitur, non constat; cum quo proinde ejus historia de Christi ortu Bethleemi aeque ruit.

Resp. 1.°, quod si factum publicum, atque a testibus, Scriptoribusque coaetaneis memoriae proditum in dubium vocare licet post longam saeculorum seriem ob difficultates, quae in tanta temporum distantia, subortae fuerint, quidnam certi in historia amplius supererit? Et sane adeo procul dubio est, tam Josephum, quam Mariam, et Jesum in Tabulis census Bethleemi relatos fuisse, ut ad eas Imperatorem Antoninum Pium, ac proceres Romanos D. Justinus remittere non dubitaverit in sua 1.ª Apologia; quod et postea egit Tertullianus *l.* 4. *contra Marc. c.* 7., et *l. adversus Iudaeos c.* 9., appellans item utroque in loco ad Romani Imperii Archiva. Sed et respondetur ad singula.

Quoad 1.m enim, estne verisimile, censum ab Augusto imperatum anno ante aeram vulgarem 8., eodem, quo imperatus fuerat, anno ubique et incoeptum, et absolutum fuisse? Consideretur Romani Imperii vastitas, census difficultas, et quidem talis, ut ipse Claudius Imperator in orat. de Civitate Romana Gallis concedenda de eo verba faciens dixerit: *Quod opus quam arduum sit, nimis magno experimento cognovimus*; illius denique perfectio, et quidem hujusmodi, ut ex eo confecerit Augustus totius Romani Imperii Breviarium, in quo, ut

Tacitus scribit l. 1. Annal., *opes publicae continebantur, quantum civium, sociorumque in armis, quot classes, Regna, Provinciae, tributa, aut vectigalia*, et *necessitates, ac largitiones, quae cuncta manu sua perscripserat Augustus*; cujus Breviarii meminit quoque Svetonius *in Octavio c. ult.*, nec non Dio Cassius *l.* 56.; totum id, inquam, consideretur, et deinde dicatur, an tantae molis, tamque arduum negotium perfici potuerit, nisi aliquot annorum spatio.

His porro positis, necesse non est dicere cum Petavio *l.* 12. *De Doctr. Temp. c* 8., quod census, de quo Lucas loquitur, nullus ex illis tribus fuerit, sed insolitus, et extraordinarius; sed rectius, et satius putamus dicendum, illum ipsum fuisse, qui indictus fuit ab Augusto anno ante aeram vulgarem 8., cujus tamen perfectio fuerit temporis successu; adeo ut anno ante aeram vulgarem 5., quo Christus natus est, adhuc ageretur. Et sane illum ipsum fuisse, ex eo etiam conjiciendum videtur, quod praefatum totius Imperii Breviarium ex accuratissima Universi Orbis descriptione tempore sui Imperii facta illud Augustum confecisse, testatur Tacitus loco citato. Porro ex tribus censibus ab Augusto actis, primus ab ipso actus fuit ante adeptum Imperium cum Collega Marco Agrippa; tertii vero, quem anno sui Imperii ultimo mandaverat, exitum non vidit: Restat igitur, quod illud confecerit ex censu, de quo Lucas loquitur, et quo, ut idem scribit, jussit, *ut describeretur Universus Orbis.*

Quoad 2.m duplex adest responsio; 1.° enim juxta Joannem Georgium Hervvartum Ducis Bavariae Cancellarium *in Chronol. nova, et vera ad calculum Astronomicum revocata c* 241., quem secuti postea sunt Continuatores Bollandi Henschennius, et Papebrochius *in Diatriba praelim. ad mens. April.*, juxta Natalem Alex. *hist. Eccles. saec.* 1. *Diss.* 2., Calmetum *in hunc loc.*, aliosque, relatus Lucae textus non significat, censum nascente Christo imperatum actum fuisse a Praeside Syriae Cyrino, sed praecessisse eum, qui deinde a Cyrino actus fuit, et de quo, tamquam a Cyrino acto, loquitur Josephus *l.* 17. *Antiqu. c. ult.*, et *l.* 18. *c.* 1.; infrequens namque non est apud Graecos, quorum idiomate scripsit Lucas, positivum pro comparativo usurpare, ut innumeris exemplis probat idem Hervvartus; quare etiam ubi

legimus: *Haec descriptio prima facta est, etc.*, recte Evangelistae verba intelligere possumus hoc sensu, quod descriptio illa fuit prior Praeside Syriae Cyrino, seu acta fuit, antequam Syriae praeesset Cyrinus. 2.° juxta Petavium *l.* 12: *De Doctr. Temp. c.* 8., Norisium *in Cenotaphiis Pisan.*, *et in Epoch. Cyromaced. Diss.* 5., aliosque complures, census ab Augusto imperatus, de quo Lucas loquitur, incoeptus quidem fuit, dum esset Syriae Praeses Sentius Saturninus, prosecutus vero, et completus sub ejus successore in Syriae praefectura Quintilio Varone, at simul dum Cyrinus, Vir Consularis, tunc temporis in Oriente degens, ac propter recentem de Homonadensibus victoriam tota Asia celebratus, cum extraordinaria potestate descriptioni tum in Syria, tum in Judaea faciendae praepositus fuerat; neque enim infrequens fuisse, a Praesidibus, et Magistratibus ordinariis agi census sub Praesidibus extraordinariis, laudatus Norisius cit. loco demonstrat. Hinc cum Sentius Saturninus, ejusque successor Quintilius Varo fuerint Praesides Ordinarii, at simul Cyrino subordinati in illa descriptione peragenda, mirum non est, quod Tertullianus meminerit Praesidis ordinarii, sub quo census incoeptus fuit, Lucas vero Cyrini, cui, tamquam Praesidi extraordinario, et Sentius Saturninus, et Quintilius Varo ejus successor subordinati fuere. Nec obstat vox *Praesidis*, qua Lucas utitur; eam namque latum sensum habuisse, ac significasse seu absoluta, seu subordinata praefectura potientes, ex eo luculenter patet, quod ab eodem Luca c. 24. Actuum Felix, Syriae dumtaxat Procurator, Praeses nuncupatur; eademque voce Josephus quoscumque Praesides designare passim solet.

Quoad 3.m, nemo primum non videt, quod in Hervarti sententia supra exposita difficultas evanescit. Cui vero Hervarti sententia non arrideat, prompta est responsio, quod Josephus illic loquitur de censu, quem Cyrinus egit, dum esset ordinarius Syriae Praeses. Ille autem census populum commovit, nam si, vivente Herode, recensiti fuerant Judaei eo modo, quo Regna, et nationes Romanorum amicae, et sociae recensebantur, ideoque nulla ab iis tributa postulata fuerant, utpote quae ab hujusmodi subditis nulla solebat Augustus exigere; quem caeterum usum ejus postea successores non tenuere; vita tamen functo Herode, et Archelao in exi-

lium amandato, cum versa esset Judaea in Romani Imperii Provinciam, ac Syriae Praesidibus parere jussa, ac instar quoque aliarum Imperii Provinciarum recensiti fuerunt, eoque fine, ut non solum nosceretur, quantas Judaeorum natio auxiliares vires suppeditare, verum etiam quot tributa solvere potuisset. Sed cur apud Iosephum altum de censu, de quo Lucas loquitur, silentium? Quia nempe nullos memoria dignos excitarat motus apud Judaeos, quorum historiam texit; quam etiam ob causam complura alia majoris momenti aeque sub silentio praeteriit.

Objic. 2.°, quod et supposita census, de quo Lucas loquitur, veritate, adhuc tamen incertum manet, an Christus Bethleemi ortus fuerit; tum quia in censibus Mulieres non describebantur, ut constat ex Livio, qui dum census describit, semper addit: *Praeter mulieres, praeter orbos, et orbas*; tum quia nemo cogebatur a loco sui domicilii discedere, ut constat ex Svetonio *in Iulio Caesare c.* 41.; tum quia cum Iosephus non esset Civis Romanus, non comprehendebatur proinde in Augusti Edicto; nonnisi enim Cives Romanos recensendos esse juxta ejus jussa, manifestum est ab enumeratione, quam primi census ab Augusto imperati exhibet Eusebius *l.* 2. *Chron. ad Olymp.* 188. Et supposita igitur census, de quo Lucas loquitur, veritate, adhuc tamen incertum manet, an Christus Bethleemi ortus fuerit.

Resp. neg. ant.; quoad 1.m enim, non ait Livius, quod in censibus Viri tántum describebantur, sed solum Mulieres a se omitti; ipsarum namque mulierum nomina in Romanis censibus descripta fuisse, testis est Dionysius Halicarn. *l.* 4., *et* 5. *Antiqu. Roman.*, nec non Tullius *l.* 3. *De legibus.* Quoad 2.m, ex ipso Svetonio patet, censum ab Augusto tunc imperatum, *nec more*, *nec loco solito* peractum fuisse; utque habetur ab Ulpiano *l.* 3. *De censibus*, non raro in censibus praecipiebatur, ut *is qui agrum in alia Civitate haberet, in ea civitate profiteri deberet, in qua ager esset.* Quoad 3.m, describit quidem eo in loco Eusebius, quisnam fuerit Romanorum Civium numerus, non vero ait, quod soli Cives Romani in censu a Luca relato descripti fuerint; omnes namque recensitos fuisse quotquot Romano Imperio parebant, ex ipso ejus scopo, ut nempe dignosceretur, quaenam essent Imperii vires, et opes, quinam subditorum numerus, quaenam iis tributa imponibilia, et alia ejusmodi, manifestum est.

§. IV.

De Nomine Messiae imponendo, aliisque ejus tum infantiae, tum vitae generis, tum ministerii circumstantiis.

Adeo praecise locuti fuerant quoad haec Prophetae, ut, collatis eorum oraculis cum iis, quae Evangelistae de Christo scripsere, merito dixerit D. Aug. tract. 35. in Ioann. *Quid est Christus*, *dicit Paganus? Cui respondemus: Quem praenuntiaverunt Prophetae.*

Et 1.° nomen Jesu. quod idem est, ac Salvator, Messiae imponendum fore, Isaias praedixerat tum c. 12., ubi: *Haurietis* (inquit) *aquas in gaudio*, *de fontibus Salvatoris*; tum c. 51.: *Prope est* (inquiens) *iustus meus*; *egressus est Salvator meus*; tum c. 62, ubi ait; *Dicite*, *filiae Sion*. . *Ecce Salvator tuus venit.* Item Habacuc c. 3. illis verbis: *Ego autem in Domino gaudebo*, *et exultabo in Deo Iesu meo.* Nec non Zacharias c. 9. *Exulta* (inquiens) *satis*, *filia Sion*; *jubila*, *filia Ierusalem*. . *Ecce Rex tuus veniet tibi justus*, *et Salvator.* Illud autem Christo impositum fuisse, nemo nescit.

2.° a longinquo se laturos Reges ad ipsum adorandum, muneribusque agnoscendum, praedixerat Psaltes Regius Ps. 71. illis verbis: *Reges Tharsis*, *et insulae munera offerent*, *Reges Arabum*, *et Saba dona adducent*. . *Et vivet*, *et dabitur ei de auro Arabiae.* Nec non Isaias c. 60.; eorum quoque iter praedicens per splendorem luminis, quod illis esset oriturum, ait enim: *Et ambulabunt gentes in lumine tuo*, *et Reges in splendore ortus tui*. . . *Omnes de Saba venient*, *aurum*, *et thus deferentes*, *et laudem Domino annuntiantes.* Quod et in Christo impletum fuisse, Matthaeus testatur, omnisque Ierosolyma agnovit, adeo ut Herodes cum tota Civitate turbatus fuerit, clademque illam jusserit in Bethleem, et in omnibus finibus ejus, de qua etiam Ieremias scripserat c. 31. *Vox* (inquiens) *in excelso audita est*, *lamentationis*, *luctus*, *et fletus Rachel* (quae in vicinia Bethleem sepulta fuerat, ut legitur c. 35. Gen.) *plorantis filios suos*, *et nolentis consolari super eis*, *quia non sunt.*

3.° Eum in Ægyptum migraturum, praedixerat Oseas c. 2. *Ex Ægypto* (inquiens) *vocavi filium meum*: e quo Nazareth secessurum, ut per diuturnum vitae tempus moraretur, praedixerant identidem Prophetae, ajentes, quod Nazareni cognomen habiturus esset. Utrumque autem impletum in Christo fuisse, nemo ignorat.

4.° Pauperem acturum vitam, ac Jerusalem, velut triumphantem, ingressurum, Asinae supersedentem, vaticinatus fuerat Zacharias c. 9., ubi: *Exulta* (inquit) *satis, filia Sion, jubila, filia Ierusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi justus, et Salvator, ipse pauper*, (heb. *koni*, quae vox proprie significat *pauperem*, licet possit quoque significare *mansuetum*) *et ascendens super asinam, et pullum filium asinae*. Ad cujus pauperem vitam manifeste etiam referuntur, quae Isaias dixerat c. 52., nec, nisi de Messia, possunt intelligi: *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, et praedicantis pacem, annuntiantis bonum, praedicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus! . . Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde. Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum.* Cujusnam autem aspectus, et forma est absque gloria, nisi pauperis? Porro Christum pauperem duxisse vitam, omnes sciunt; ipseque fassus fuit, inquiens, ut legitur Matth. 8. *Vulpes foveas habent, et volucres Coeli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.*

5.° ejus ministerio paraturum viam insignem quemdam Virum, qui in deserto praedicaturus esset poenitentiam, Isaias prophetaverat c. 40. illis verbis: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri . . . Et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro salutare Dei.* Nec non Malachias c. 3., ubi ait: *Ecce Ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus Testamenti, quem vos vultis.* Id autem Ioannem Baptistam egisse, Christi praecursorem proinde appellatum, et Matthaeus, et Marcus, et Lucas, et Ioannes testantur.

6.° Magistri, ac Doctoris munia obiturum, frequentissime praenuntiaverant Divini Vates; facta etiam men-

tione terrae Zabulon, et Nephtali, et Galilaeae gentium, quas primo lustrasset. Ita nempe Isaias c. 2. *Docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus.* Et c. 9. cum meminisset Zabulon, et Nephtali, et Galilaeae gentium, continenter subdit: *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis.* Et. c. 30. *Erunt oculi tui videntes praeceptorem tuum.* Et c. 55. *Ecce testem populis dedi eum, ducem, ac praeceptorem gentibus.* Item Joel c. 2. *Filii Sion, exultate, et laetamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiae.* Et passim alibi. Hinc quoque ab iis appellatus *lux*, ut loco cit. Isaiae, nec non c. 42. 49., et 60. ejusdem, et Michaeae 7.; *Sol* Malach. 4.; *Stella* Num. 24.; *Oriens* Zach. 3.; *Dux* Isaiae 55, Ierem. 30., et Dan. 9.; *Veritas* Ps. 84., etc. Quae Magistri, ac Doctoris munia Christum egisse, eaque, ut praedictum fuerat a Prophetis, appellatum proinde tam a discipulis, quam ab ipsis Iudaeis ipsi infensissimis Magistri nomine, rei scilicet perspicuitate eos compellente, fidem Evangelistae faciunt; ex quibus Matthaeus c. 4. *Circuibat* (ait) *Iesus totam Galilaeam, docens in Synagogis eorum, et praedicans Evangelium Regni.* Ac ibidem: *Habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon, et Nephtalim: ut adimpleretur quod dictum est per Ieremiam Prophetam; Terra Zabulon, et terra Nephtalim, via maris trans Jordanem Galilaea gentium etc., Populus, qui sedebat in tenebris, etc.*

7.° advocaturum sibi discipulos, ejusque Evangelii per totum Orbem Zelantes praecones ex Judaeis, praedixerat quoque Isaias, Ieremias, et Michaeas; ita nempe Isaias c. 37. *De Ierusalem exibunt reliquiae, et salvatio de monte Sion. Zelus Domini exercituum faciet istud.* Jeremias vero c. 3. *Assumam vos unum de Civitate, et duos de cognatione, et introducam vos in Sion; et dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos scientia, et doctrina: cumque multiplicati fueritis, et creveritis in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra: Arca Testamenti Domini, etc.*, Michaeas demum c. 5. *Et erunt reliquiae Iacob in medio populorum multorum, quasi ros a Domino . . Et erunt in gentibus in medio populorum multorum, quasi leo in jumentis silvarum, et quasi catulus leonis in gregibus pecorum.* Ejusmodi autem fuisse Apostolos, et Discipulos a Chri-

sto vocatos, atque in universum Mundum ad praedicandum missos, ex historia Evangelica, et Actibus Apostolorum patet.

8.º ejus demum, suorumque praedicationi plurimos ex Judaeis dociles futuros, populum vero, seu Nationem contradicturam, atque odio tum se, tum suos prosecuturam, laudatus Isaias praenuntiaverat c. 6. illis verbis: *Audite audientes, et nolite intelligere; et videte visionem, et nolite cognoscere. Excaeca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum. Et dixi, usquequo, Domine* (haec nempe caecitas duratura est? *Et dixit: Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra relinquetur deserta.* Item c. 8. *Erit vobis* (idest credentibus) *in sanctificationem. In lapidem autem offensionis, et in petram scandali duabus domibus Israel; in laqueum, et in ruinam habitantibus Ierusalem. Et offendent ex eis plurimi, et cadent.* Itemque c. 29. *Ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi, et stupendo: peribit enim sapientia a sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abscondetur.* Et c. 62. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* Quod et Regius Psaltes praenuntians Ps. 68., dixerat: *Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meae, quoniam Zelus Domus tuae comedit me, etc.* . Quibus similia et alibi. Christi autem, suorumque praedicationi plurimos ex Judaeis dociles fuisse, dubitari nequit; post Apostolos namque, et discipulos, qui ei adhaeserunt, testatur D. Joannes *c.* 12. *v.* 42., quod ex ipsis *principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisaeos non confitebantur, ut e Synagoga non ejicerentur.* Quibus deinde accessere paullo post Christi mortem, qui praedicante Petro Pentecostes die, Christianae fidei nomen dedere, fueruntque, ut dicitur Actuum 2., *animae circiter tria millia*; ac deinde etiam, Petro rursus praedicante, *numerus* (ut legitur c. 4.) *virorum quinque millia*: accedentibus postmodum aliis, atque aliis ex Judaeis, etiamque ex Sacerdotibus per Apostolorum praedicationem: subditur enim c. 6., quod *verbum Domini crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum in Ierusalem; mul-*

ta etiam turba Sacerdotum obediebat fidei. Et c. 21. additur, plura *millia in Iudaeis credidisse*. Ab Natione tamen fuisse et repudiatum, et neci traditum, neminem latet : quod et Danielem c. 9. praenuntiasse, eaque de causa addidisse, quod populus cum Duce venturo Civitatem, et Sanctuarium dissipaturus esset, quin desolatio post finem belli statuta esset umquam desitura, sed usque ad consummationem, et finem esset perseveratura, supra diximus, atque ob omnium oculos constitutum est. Quae omnia quomodo Judaei non perspiciant, mirandum prorsus esset, nisi hanc ipsam eorum caecitatem Divini Vates praenuntiassent, ex quibus Isaias, cujus paullo supra vaticinium produximus.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic, 1.°, quod a Prophetis dictus Messias fuerat Iudaeorum salus, et Salvator ; ex quibus ita Isaias c. 62. *Propter Sion non tacebo, et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur, ut splendor, justus ejus, et Salvator ejus, ut lampas, accendatur. .. Dicite, filiae Sion : ecce Salvator tuus venit.* Porro quomodonam Judaeorum salus, et Salvator, nisi illum recepturi essent, immo rejecturi ? Cum ergo Christus non fuerit a Judaeis receptus, sed rejectus, neque etiam Messias dicendus est.

Resp. 1.° neg. min. ; etenim juxta Prophetarum oracula, quamvis Judaeorum complures fuerant Messiae obtemperaturi, populus tamen reliquus eum reprobaturus fuerat. Recte autem appellatum fuisse Judaeorum salutem, ac Salvatorem, quia licet salutem pluribus tantum ex iis erat allaturus, cunctis tamen eam oblaturus erat, ita ut ex sola eorum pertinacia oriturum esset, quod non omnes salutem per eum consequerentur. Et sane quod appellari potuerit Judaeorum salus, et Salvator, etsi non omnes Iudaei salutem per eum consecuti essent, ex eo patet, quod juxta Scripturae usum dicatur etiam Deus homines mundare, et sanctificare, cor novum tribuere, etc., quia revera id praestat iis, qui suae gratiae cooperantur, cunctisque eam offert, quae tamen ex humana improbitate saepe suo effectu privatur, juxta id, quod per Ezechielem ait : *Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis* (c. 24.).

Resp. quoque 2. neg. cons. : quia enim Messias juxta Prophetarum oracula, nedum a Natione Judaeorum reprobandus fuerat, verum etiam, ut mox demonstraturi sumus, morti tradendus, et crucifigendus; tantum proinde abest, quod Christi reprobatio a Judaeis, Messiam eum non fuisse, demonstret, ut potius eo amplius inde confirmetur ipsum fuisse Messiam; quia nempe hoc ipsum fuerat a Prophetis praenuntiatum in Messia adimplendum.

Objic. 2.°, ab omni humana fide abhorrere, quod Messias tantopere a Judaeis expetitus, ab iis tamen receptus non fuerit. Talis Christus, a Judaeis scilicet non receptus: Non ergo Messias.

Resp. 1.° neg. maj.; ab omni enim fide abhorreret quidem, Liberatorem tantopere a Judaeis expetitum ab iis rejectum fuisse, si Messiae receptio fuisset opus quoddam naturale. Secus tamen disserendum, cum receptio Messiae esset opus supernaturale: ad quod dicimus, Judaeorum nationem justo Dei judicio ob sua scelera, et flagitia non pervenisse; praeter id enim, quod de illis Evangelistae, aliique Scriptores Novi Testamenti narrant, ipse Iosephus auctor est *l. 6. De bello Iudaico c. 27.*; quod, si cunctati essent Romani, merebantur ob eorum scelera, et flagitia, ut vel, dehiscente terra, absorberentur, vel obruerentur undis, vel iisdem eliderentur fulminibus, quibus olim Sodomorum regio obtrita fuerat. Cumque etiam idea, quam de Messia sibi constituerant, et juxta quam illum Christi tempore expectabant, idea fuerit prorsus ab ea aliena, quae Christo congruebat, Regis nempe, qui vi, armisque cunctas sibi subegisset Gentes, subditasque redderet throno Israelis; quis non videt magis, magisque, nihil mirandum, quod Christum, tamquam Messiam, non receperint?

Sed et 2.° resp. neg. cons.; ex ratione enim supra allata Messias potius non fuisset Christus, si eum, tamquam Messiam, Judaeorum natio recepisset, quippe quod haec juxta Prophetarum oracula, ut diximus, illum non recepturus, sed rejecturus fuerat.

§. V.

De nece Messiae inferenda ab ipsa ejus Natione, ejusque adjunctis: ac deinde de ejus Resurrectione, Ascensione ad Coelos, ac Missione Spiritus Sancti.

Et 1.° quod Messias occidendus foret, plures adumbraverant Veteris Testamenti typi; ut oblatio Isaaci, et immolatio arietis in ejus locum suffecti (*Gen.* 22.); Agni Paschalis mactatio (*Exodi* 12.); mors Pontificis, quam expectare tenebantur homicidae involuntarii, ut ipsis in terram suam redeundi potestas fieret (*Num.* 35.); occisio vaccae rufae, ex cujus cineribus fiebat aqua expiationis juxta ritum 19. *Num.* praescriptum; hircus emissarius, cujus capiti Sacerdotes mala imprecabantur, quique Israelitarum noxis velut onustus in desertum periturus abigebatur; omnia demum veteris Legis sacrificia, quae totidem erant typi Sacrificii cruenti a Messia in Cruce offerendi.

Praeter figuras tamen, quibus Messiae occisio adumbrata fuerat in Veteri Testamento, adeo hac super re Divini Vates aperte scripserant, ut quemadmodum scribit D. Hieronymus *praefat. in Isaiam*, hic praesertim Propheta non videatur *de futuro vaticinari, sed de praeteritis historiam texere*; ita enim c. 53. *Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet, sicut virgultum, coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus, et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; et nos putavimus eum, quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus. Omnes nos, quasi oves, erravimus, unusquisque in viam suam declinavit; et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum; sicut ovis, ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angu-*

stia, et de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium, propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, et saturabitur; in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est; et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

Collatis profecto his Isaiae verbis cum Evangelica historia de Passione, et Morte Redemptoris nostri, nemo potest non admirari, quomodo adamussim conveniant, quae proinde oportuit ex integro exscribere. Hinc totis viribus conati sunt recentes Judaei, ut relatum Isaiae textum Messiae abjudicarent. Nonnisi tamen de eo intelligendum esse, perspicuum reddit tum magnificum exordium: *Quis credidit auditui nostro, etc.*, quod, de insigni persona sermonem fieri, ostendit; tum caput antecedens, seu 52., quod ad idem subjectum referendum esse, ita certum visum est veteribus Judaeis, ut utrumque, 53. nempe, et 52., tamquam unum, consideraverint; quodque nonnisi de Messia intelligi posse, evidens ex illis verbis fit: *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, et praedicantis pacem, annuntiantis bonum, praedicantis salutem! ... Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, elevabitur, et sublimis erit valde. Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum, etc.*; tum denique inanes Isaiae loci, de quo agimus, interpretationes a Rabbinis traditae, ad Moysem nempe, vel ad Josiam, vel ad Jeremiam illum detorquentes, a quibus longe eum alienum esse, quisque videt, perpendens, et quod nemo ex illis dici potest propter scelus populi vulneratus, attritus, a Deo percussus, ad delendas populi iniquitates voluntarie in victimam se oblatus: et quod nec Moyses, nec Josias, nec Jeremias posuit pro peccato animam suam, ductusque fuit, tamquam ovis, ad occisionem. Hinc recte Grotius, typicarum caeterum interpretationum plus aequo, ac intemperanter

amator : *Quis potest* (inquit) *nominari aut Regum*, *aut Prophetarum*, *in*, *quem haec congruunt*? *Nemo sane* (*De Relig. Christ. l.* 5. *c.* 19.).

Nec minus inepta , ac risu vere digna est aliorum Rabbinorum interpretatio , vaticinium detorquentium ad ipsum Israelem in praesenti captivitate ubique terrarum afflictum ; qua , inquiunt , detineri , ut Deo pro peccatis gentium satisfaciat , ejus vindice Justitia Mundum alioqui deletura. Nam 1.° is , de quo Isaias loquitur, appellatur ab eo *Vir dolorum*, cujus generationem nemo enarrare satis est , cujusque mortem , et sepulturam narrat. Haec autem, et alia hujusmodi nonne aperte ostendunt , non de hominum coetu , sed persona singulari ipsum loqui ? 2.° is , de quo loquitur , dicitur item , quod *iniquitatem non fecit*, *nec dolus* umquam *fuit in ore ejus*. Estne autem absque iniquitate , et dolo populus Judaeorum , cujus scelera , et cujusvis generis vitia Prophetae omnes a Moyse , et deinceps exprobrare , et redarguere numquam desiere , utque supra ex Josepho diximus , quum a Romanis sub Tito excisi fuere , promeriti essent , ut si Romani distulissent , vel Terra eos absorberet , vel undis obruerentur , vel iisdem eliderentur fulminibus , quibus Sodomorum regio obtrita fuerat ? 3.° quam falsum sit , et quod Judaeorum populus fuerit , sitque in captivitate , qua detinetur , victima spontanea , et voluntaria pro peccatis gentium , et quod pro transgressoribus roget , et quod per eos multi justificentur, mentis prorsus inops esse deberet , qui id non agnosceret.

Aeque etiam contemptu dignum Rabbinorum illorum commentum esse , qui duplicem Messiam distinguentes , alterum nempe obscurum , doloribus affligendum , et occidendum , alterum gloriosum , victoriisque conspicuum , Isaiam , inquiunt, relato capite de primo locutum fuisse , non de altero. Idem namque ipse *Vir dolorum* , qui illic pro peccatis nostris attritus , et percussus dicitur , paullo ante praenuntiatur annuntians , et praedicans salutem , exaltandus , elevandus , et sublimis futurus , nec solum sublimis futurus , sed *sublimis valde*. Ubinam ergo duplex ille Messias , et nonne potius unus idemque humilis simul, et gloriosus ?

Sequitur Danielis oraculum , quo Vates ille nedum praedixerat , Messiam occidendum fore , verum etiam ab ipsa ejus Natione mortem illi illaturam esse ; ita enim c. 9. , de quo fuse egimus cap. 6. , et sequ. : *Et post heb-*

domades sexaginta duas occidetur Christus , et non erit ejus populus , qui eum negaturus est. Et Civitatem , et Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo , et finis ejus vastitas , et post finem belli statuta desolatio . . Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia , et Sacrificium . . et usque ad consummationem , et finem perseverabit desolatio. Quo in loco advertendum , quod Civitatis , et Sanctuarii dissipatio , nec non populi usque ad consummationem , et finem perseveratura desolatio ita nectuntur , *ut dubitari nequeat* (quemadmodum scite advertit Cont. Tourn.), *quin primum a Propheta , tamquam caeterorum causa, assignetur.* Quod cum ita sit, quid clarius , quam quod ab ipsa ejus natione juxta Danielis oraculum occidendus foret ?

Nedum item occidendum , verum etiam crucifigendum fore, Divini Vates praenuntiaverant. Qua super re praetermittendum 1.° non est , quod juxta nonnullos veteres Codices Graecos , et Latinos , ubi nos legimus Ps. 95. *Dicite in gentibus , quia Dominus regnavit* , legendum est: *Dicite in gentibus , quia Dominus regnavit a ligno* ; quae postrema verba si in aliis Codicibus desunt, factum id scribit D. Justinus *in Dial. cum Tryphone* a Judaeis , qui illa eraserunt ; quod et confirmat Tertullianus *l. adversus Judaeos c. 11. , et 13. , et. l. 3. contra Marcionem c. 24.* , nec non Arnobius , Lactantius , D. Augustinus , aliique , ex quibus Auctor hymni perantiqui , quem Ecclesia tempore Passionis canit , ubi :

Impleta sunt , quae concinit
David fideli carmine ;
Dicendo Nationibus ,
Regnavit a ligno Deus.

Quidquid tamen de hoc sit , maxima optabili perspicuitate idem Regius Psaltes id praedixerat Ps. 21. illis verbis : *Foderunt manus meas , et pedes meos* ; de Messia enim intelligi tantum posse illum Psalmum , ex eo patet 1.° , quod postquam ejus passio , et mors descriptae fuerint , continuo significatur resurrecturus illis verbis : *Narrabo nomen tuum fratribus meis , etc.* ; ac deinde , quin sermo amplius fiat de passionibus , et aliis hujusmodi , sermo suscipitur de universis finibus terrae ad Deum convertendis , de universis familiis gentium eum adoraturis ,

ejusque imperio se se subjecturis, de generatione ventura Domino accensenda, et populo nasciturо, quem fecit Dominus. 2.º ex eo quod nonnisi insulsissime recentes Rabbini illum retulerunt ad Davidem ipsum, vel populum Israeliticum in praesenti captivitate constitutum. Non enim ad hunc referri potest, cum Psalmus loquatur de persona singulari, non de coetu hominum. Neque etiam ad Davidem, tum quia illi referri nequeunt verba supra relata de universis finibus terrae ad Deum convertendis, etc.; tum quia David numquam talia passus fuit, seu quum Saul, seu quum Absalon eum persecuti fuere; tum quia illud partiendi, et sortiendi discrimen ibi illis verbis expressum, *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem*, neque in Davide, neque in ullo alio invenient Judaei; quamobrem Davidem in persona Christi locutum fuisse ex hoc quoque fateantur, necesse est, quod cum hic Cruci affixus fuisset, ejus vestimenta milites sibi divisere, et super vestem ejus desuper per totum contextam miserunt sortem. Hinc cum Psalmum, de quo loquimur, Christo abjudicasset Theodorus Mopsuestenus, hoc et in illo V. Oecumenica Synodus proscripsit.

Nec illi eum abjudicare, dicendum est vel derelictio, de qua in ejus initio conqueritur, *Deus, Deus meus* (inquiens), *quaré me dereliquisti?* Vel quod sibi delicta attribuit, pergens: *Longe a salute mea verba delictorum meorum*: vel quod inquit, ad Deum clamare, et non exaudiri illis verbis: *Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies.* Quoad 1.m enim, derelictus a Deo dicitur, quatenus, licet pars ejus sensitiva naturaliter refugeret pati, ac mori, Deus tamen pro nobis aeterno igni addictis eum doloribus, ac morti tradidit. Quoad 2.m, sua, idest futuri Messiae, Regium Psaltem dixisse delicta, non quia propria, sed quia, etsi aliena, pro iis ipse erat satisfacturus: Quo sensu ait quoque postmodum Apostolus 2. ad Cor. c. 5, *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis* (Deus) *peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Et ad Gal. 3. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Hinc praedixit quoque Regius Psaltes, fore ut non exaudiretur, dum scilicet oraturus esset, ut subtraheretur a poenis nobis debitis luendis, ob ipsas tamen iniquitates nostras, non ob propriam insipientiam, seu iniquitates proprias, quo insipien-

tiae nomine appellatur non raro peccatum in Scripturis : *Deus meus* (ita nempe ibidem) *clamabo per diem , et non exaudies , et nocte , et non ad insipientiam mihi.* Hinc respondetur quoad 3.m , praedixisse Davidem illis verbis , orationem , quam Christus fudit , quum rogavit Patrem , ut ab eo , si fieri posset , calix Passionis transiret. Quam cum fudisset , ut ait D. Thomas 3. p. qu. 1. art. 4. , non absolute , sed *ad exprimendum sensualitatis affectum* , exauditus non fuit ; cujus preces tamen absolute fusas semper Deum exauditurum , ipse Regius Psaltes ibidem praedixit illis verbis : *Nec avertit faciem suam a me*; *et cum clamarem ad eum* , *exaudivit me* ; quas et semper exaudiisse , Christus ipse testatus fuit Jo. 11. : *Pater* (inquiens) , *sciebam* , *quia semper me audis.* Quae cum ita sint , nemo non videt , quam clare futuri Messiae crucifixio fuerit citato in loco praenuntiata.

Alio idcirco se vertentes alii ex Rabbinis , ut hoc praeclarum Christi crucifixionis vaticinium Christianis eripiant, aliter , inquiunt , Versiculum , de quo agimus , legendum esse, quam nos legimus , ubi enim nostra Vulgata habet *foderunt* , hebraeus Codex habet *caari*. Haec autem vox significat *sicut leo* ; cui supplentes antecedentis versiculi verbum *circumdederunt* , habebimus , legendum esse : *Circumdederunt* , *sicut leo* , *manus meas* , *et pedes meos.* Etsi ergo ad Messiam referatur , ubinam in eo illius crucifixionis vaticinium ? Ita RR. Kimchius , Aben Ezra , Salomon Jarchi , aliique.

Nihil tamen refutatu facilius ; legendum namque esse non *caari* , sed *caaru* , quod significat *foderunt* , habendum procul dubio est ; 1.º ex R. Jacob Ben Chajim , qui fuit Massorae restaurator, ac testatur , in correctorum exemplarium Textu legisse *caaru* , et in Margine *caari.* Textus autem praeferendus est margini. 2.º quia Massoretae , qui undecimo saeculo videntur scripsisse, dum utriusque lectionis mentionem faciunt , et lectionem *caari* , ut germanam , approbant , ita tamen , ut significet *fossores*, seu *fodientes* , propterea quod *caarim* est verbi *cara* , idest *fodere* participium praesens plurale , cunctaque nomina pluralia penes hebraeos amittunt in constructione *mem* finale ; diserte simul fatentur , in iis , quos revolverant , Codicibus scriptum fuisse *caaru* ; ajunt namque in Massora marginali , quod quater in Bibliis occurrit vocabulum illud *caari* ; ajuntque in Massora textuali , quod

licet in aliquibus Codicibus scriptum esset in loco, de quo agimus, *caari*, rectius tamen legendum est *caaru*. 3.° quia saltem variare quoad hoc exemplaria, nec ipsi etiam dissimulant Kimchius, Aben Ezra, et Jarchi. Estne autem verisimile, quod vox hebraeis tam invisa reperta fuisset in tot exemplaribus, iisque correctis, si reapse non extasset in Textu primigenio? 4.° quia si ubi nos legimus *foderunt*, legatur *caari*, et intelligatur *sicut leo*, nullus inde idoneus sensus exculpi poterit, idque etsi suppleatur antecedentis versiculi verbum *circumdederunt*; tum quia nusquam leo dictus est circumdare pedes, et manus alicujus: nec nisi fabulosum, ac risu dignum est commentum Kimchii, quod leo inter venandum longum circulum sua cauda describit, extra quem cum nequeant belluae excurrere, immotis remanentibus, ac pedibus ob terrorem sub ventre collectis, ejus praeda fiunt: tum quia idcirco verbum *circumdederunt* supplendum illi docent, quia in versu praecedenti invenitur; cùm tamen in versu praecedenti non habeatur simpliciter *circumdederunt*, sed *circumdederunt me*, unde non minus risu digna isthaec sententia exurgeret: *Circumdederunt me, sicut leo, manus meas, et pedes meos.* Hinc si legendo *caari* ubi legimus *foderunt*, ita ut *caari* significet *sicut leo*, redditur locus cujusvis idonei sensus expers, quis non videt, ejusmodi lectionem absolute esse rejiciendam, legendumque non *caari*, sed *caaru*? Hoc demum modo legisse nedum Ecclesiae Patres, ex quibus maxime Origenes, et D. Hieronymus, rerum hujusmodi indagatores peritissimi, ac studiosissimi, procul dubio est, verum etiam et Septnaginta Seniores, qui diu ante natam quaestionem scripserunt, et Interpretem Syrum, qui circa tempora Apostolica floruit, ipsumque Aquilam, tametsi in gratiam Judaeorum versionem suam ediderit. Quibus perpensis, nullum superest dubium, quod loci, de quo agimus, lectio vulgata perquam recta sit; quodque idcirco Regius Psaltes luculentissime praedixerit futurum, ut Judaei nedum reprobassent, ac morti tradidissent Messiam, verum etiam, quod eum crucifixissent. Quod et deinde praedixit quoque Zacharias c. 12. illis verbis: *Aspicient ad me, quem confixerunt*; fuitque item insigniter adumbratum apud Ezechielem c. 9., quum Deus piorum frontes signari jussit littera *Thau*, atque interfici quotquot illo signo carerent: quia enim littera *Thau* figuram Crucis gerebat, significatum proinde fuit hac Eze-

chielis visione, neminem salutem consecuturum, nisi ei Crucis Christi virtus applicaretur.

Mirabile demum est, quomodo ipsa Passionis, Mortisque Christi adjuncta a Prophetis quoque fuerant singillatim praedicta. Et 1.° Concilium adversus eum ineundum a Rectoribus, et Principibus populi Ps. 2., ubi: *Astiterunt Reges terrae, et Principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.* 2.° quod vendendus esset triginta argenteis, ex quibus deinde emeretur ager figuli, Zach. 11., ubi: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium . . Et tuli triginta argenteos, et projeci illos in domum Domini ad statuarium.* 3.° quod id facturus esset unus ex ejus discipulis, cujus proinde fierent dies pauci, et Episcopatum ejus alter acciperet Ps. 108., ubi: *Os peccatoris, et os dolosi super me apertum est . . Fiant dies ejus pauci, et Episcopatum ejus accipiat alter.* 4.° quod omnes ejus discipuli eum Passionis tempore deserturi essent Zach. 13., ubi: *Framea suscitare super Pastorem, et super virum cohaerentem mihi, dicit Dominus exercituum. Percute Pastorem, et dispergentur oves.* 5.° quod a falsis testibus accusandus esset Ps. 26., ubi: *Insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.* 6.° quod conspuendus, crudeliter flagellis caedendus, et opprobriis saturandus esset Js. 50., ubi: *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me.* Et c. 53. *Et nos putavimus eum, quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Nec non Jerem. Thren. c. 3., ubi: *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* 7.° quod inter haec omnia esset taciturus Js. 53., ubi: *Quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.* 8.° quod corona spinea esset immaniter coronandus, adumbraverat Gen. 22. implexa spinis victima, quam Abraham in locum Isaaci obtulit. 9.° ejus ad Calvarium itiner ferentis supra humeros suos Crucis patibulum typus quoque fuit citato Genesis loco ipse Isaac, qui ascendens in montem, ubi eum Abraham erat ex Dei jussu immolaturus, ferebat super se ligna holocausti. 10.° ejus inter latrones crucifixio praedicta fuerat Js. 53. illis verbis: *Et cum sceleratis reputatus est.* Verba, quibus in Cruce irrisus

fuit, ipsosque irridentium gestus, motus scilicet capitis, quis non deprehendat, ubi Regius Psaltes in persona ejus loquens Ps. 21., *Ego autem* (inquit) *sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis. Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Fel, acetumque, quibus in Cruce potatus fuit, vaticinatus quoque idem fuerat Ps. 68., ubi; *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Solis deliquium in die ejus Crucifixionis praedixerat Amos c. 3., ubi: *In die illa occidet Sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis.* Ejus latus in Cruce perfodiendum Zacharias 12., ubi: *Videbunt, in quem transfixerunt.* Ejus denique sepulchrum gloriosum futurum Isaias 11.: *Et erit* (inquiens) *sepulchrum ejus gloriosum*; et quia nempe excisum de petra, et in quo nondum quisquam positus fuerat; et quia ex eo vivus post triduum prodiit; et quia postmodum Constantini tempore insigni Templo circumdatum. Sapienter proinde scripsit Bossuetius: *Is opportune a Prophetis semper exprimebatur, ad quem cuncta oracula, et universa lex tendebant.*

Quemadmodum autem de ejus Passione, ac Morte, earumque adjunctis adeo clare Divini Vates locuti fuerant, aeque etiam clare locuti fuere de ejus e mortuis Resurrectione, ac deinde de ejus Ascensione ad Coelos, ac de Spiritu Sancto, quem e Coelis in suos esset discipulos missurus. De Resurrectione scilicet (cujus quoque typus fuerat, Christo ipso interprete Matth. 12., Jonae e ventre coeti, ubi fuerat tribus diebus, et tribus noctibus, mira in lucem egressio) Regius Psaltes Ps. 15. illis verbis: *Caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem.* Ut enim disserit D. Petrus Act. 2., non poterat David de seipso loqui, quippe quod et *defunctus est, et sepultus*; utque addit D. Paulus Act. 13., *vidit corruptionem.* Hinc pergit Apostolorum Princeps: *Propheta igitur cum esset, et sciret, quia jurejurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus, providens locutus est de resurrectione Christi, quia*

neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.

De ejus vero Ascensione ad Coelos idem Regius Psaltes vaticinatus fuit tam laudatis verbis: *Adimplebis me laetitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem*; tum Ps. 23. illis verbis: *Elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae.* Et Ps. 67. *Ascendisti in altum, coepisti captivitatem.* Et paullo post: *Psallite Deo, qui ascendit super Coelum Coeli ad Orientem*; quae nonnisi de Deo homine facto intelligi possunt, Deum namque esse ubique, nec de eo idcirco dici posse, quod ascendat, nemo non videt. Huc quoque pertinent Danielis verba c. 7. *Ecce cum nubibus Coeli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit; et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum; et omnes populi, tribus, et linguae ipsi servient: potestas ejus, potestas aeterna, etc.*

De Missione demum Spiritus Sancti vaticinatus fuerat Isaias c. 44. illis verbis: *Effundam Spiritum meum super semen tuum*; expressiusque Joel c. 2. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri etc. sed et super servos meos, et ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum.* Subdit vero paullo post: *In monte Sion, et in Jerusalem erit salvatio*, quia nempe ibi mira illius Missio contigit die Pentecostes. Quibus similia et alibi.

§. VI.

De abrogatione veteris Legis, et alterius substitutione a Messia facienda.

Tria praeceptorum genera lex vetus data per Moysem complectebatur; moralia scilicet, erantque potissimum Decalogi praecepta; coeremonialia, quae distinguebantur in Sacrificia, Sacramenta, et sacras quasdam observantias, ut Sabbati, Paschae, Pentecostes, aliorumque dierum solemnium; et judicialia, quorum alia erant Principum ad subditos, alia subditorum ad se invicem, quaedam populi Israel ad extraneos, alia ad suos domesticos: *Loquar tibi* (ita Deut. 5.) *omnia mandata mea, et coeremonias, atque judicia.* His praemissis, eam nedum non aboliturus, sed confirmaturus erat Messias quantum ad praecepta mo-

ralia ; cum enim haec spectent officia hominis erga Deum, erga seipsum, et erga proximum ipsa lege naturali injuncta, sicut proinde lex naturalis est immutabilis, utpote quae in relatione essentiarum, quae sunt immutabiles, fundata, ita et praecepta moralia nullam quoque pati mutationem poterant. Quantum tamen ad praecepta coeremonialia, et judicialia, non semel Divini Vates praedixerant, quod eam Messias esset aboliturus, eique alteram substituturus.

Et sane, ita quoad 1.m Isaias c. 1. *Quo mihi multitutudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum. Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui . . . Ne offeratis ultra sacrificium frustra : incensum abominatio est mihi. Neomeniam, et Sabbatum, et festivitates alias non feram . . . Calendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea.* Item Jeremias c. 3., ubi : *In diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra: Arca Testamenti Domini; neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius; nec visitabitur, nec fiet ultra.* Et c. 7. *Faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, et in qua vos habetis fiduciam, et loco, quem dedi vobis, et patribus vestris, sicut feci Silo, et projiciam vos a facie mea.* Nihil profecto expressius; quid clarius namque ex relatis Isaiae, ac Jeremiae testimoniis, quam quod veteris Legis caeremoniae, et Sacrificia erant per Messiam abolenda?

Quibus et ratio accedit. Et sane cum praecepta illa coerimonialia Messiae gestis adumbrandis, et figurandis instituta essent, ideoque post ejus adventum nulli amplius bono inservire poterant, nonne consequenter, tamquam inutilia, desitura erant? Hinc etiam dici nequit sub omni respectu, quod Christus abrogaverit ipsa coeremonialia Legis veteris praecepta. Verum namque est, quod illa abrogaverit quoad usum, utpote quae Mysteriorum ab Eo gerendorum figurativa, ideoque post Mysteria ab Eo gesta omnino inutilia. At tantum abest, quod illa abrogaverit quoad res illis ritibus significatas, ut potius effectu compleverit, quod illis ritibus, Mysteria Scilicet ab Eo gerenda, significatum fuerat; unde merito, optimoque jure ait Matth. 5. *Non veni Legem solvere, sed adimplere.* Nonne item, accedente majore rerum perfectione, suapte natura desinere debebant minus perfecta? Hujusmodi porro erant ritus,

et sacrificia legis veteris, quae idcirco *infirma, et egena elementa* ab Apostolo vocantur in ep. ad Galatas c. 4.; nam 1.° sanctitatem solum legalem ex se conferebant, eam nempe sanctitatem tantum, quae procedit ex observatione legis, et quae *ex opere operantis* a Theologis nuncupatur; quidnam enim aliud, praeter legis observationem, quae ritus illos, et sacrificia praecipiebat, in eorum usu esse poterat, quod oculis Divinae Majestatis placere promereretur? Ritus autem a Christo instituti, praeter sanctitatem legalem, quae procedit ex observatione legis, et *ex opere operantis* a Theologis nuncupatur, sanctitatem quoque ex se conferunt, quae *ex opere operato* a Theologis dicitur, quippe quod praeter observationem legis, quae illos praecipit, instituti etiam sunt a Christo, ut vi ejus meritorum effectum supernaturalem sanctitatis ipso usu suo, et applicatione conferant. 2.° quia ritus, et sacrificia legis veteris salutem tantum per Christum dandam significabant; ritus vero Novae Legis eam et significant, et efficiunt; quapropter a Tridentino sess. 13. cap. 3. dicuntur: *Symbolum rei sacrae, et invisibilis gratiae visibilis forma.* Ac demum 3.° quia ad quid effusio sanguinis taurorum, et vitulorum a Lege veteri praescripta, postquam Christus in Cruce *tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis*, ut ait Apost. ad Eph. c. 5.; ac ministerio Sacerdotum Novae legis sese incruente in omni loco oblationem mundam, ac Deo dignam, juxta Malachiae vaticinium, de quo infra, immolat? Jure idcirco, ac merito per Divinos Vates praedictum fuerat, quod Messiae adventu Lex vetus abolenda esset.

Per quos item, ut diximus, praedictum fuerat, quod illi alteram substitueret; ita enim laudatus Isaias c. 43. *Ne memineritis priorum, et antiqua ne intueamini. Ecce Ego facio nova, et nunc orientur.. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit. Non me invocasti, Jacob, etc.* Et c. 55. *Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce testem populis dedi eum, ducem, ac praeceptorem Gentibus.* Item Jeremias c. 31. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Juda foedus novum: non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum ... Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in*

corde eorum scribam eam, etc.; ubi advertendum, et quod Propheta foedus novum, de quo vaticinatur, foederi veteri opponit; et quod foedus illud dicitur solemnius, et praestantius pacto veteri; et demum ipsum verbum *novum*, ut enim disserit Apost. ep. ad Hebr. c. 8., *dicendo novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur, et senescit, prope interitum est.* Qua super re accedit demum Malachiae vaticinium c. 1., quo Divinus ille Vates et Legis veteris desitionem, et alterius substitutionem praedixit illis verbis: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Quibus verbis veterum Sacrificiorum cessationem, ac unius per totum Orbem acceptissimi, et immaculati sacrificii substitutionem praenuntiatam fuisse, luce meridiana patet.

Objciunt Rabbini, non semel reperiri in Scripturis, quod lex Moysis esset in perpetuum duratura. Sed respondetur, quod cum Scripturae nequeant sibi contradicere, hinc cum simul a Prophetis luculentissime vaticinatum fuerit, quod esset desitura, dum dicitur proinde duratura in perpetuum, vel intelligi id debet pro tempore diuturno, quo sensu non raro intelliguntur in Scripturis hae voces *in aeternum*, *in saeculum*, et aliae hujusmodi, vel quod res ejus ritibus praesignificatae in Christo, ejusque institutionibus complementum, ut diximus, essent habiturae.

Quoad consensum modo Scriptorum Novi Testamenti cum Veteris Testamenti Vatibus in hoc quoque, quod ab iis vaticinatum fuerat super abrogatione Veteris Legis, moralibus praeceptis exceptis, et alterius substitutione per Messiam facienda, sufficiat iis, quae supra innuimus, addere quod prae caeteris Novi Testamenti Scriptoribus docet hac super re D. Paulus tum ep. ad heb. c. 7., ubi dicit, quod *translato Sacerdotio, legis* quoque *translatio* facta est: tum ep. ad Eph. c. 2., ubi loquens de Christo, ait, *legem mandatorum evacuasse*; ac demum ep. ad Gal. c. 5., ubi: *Ecce Ego Paulus* (inquit) *dico vobis, quoniam, si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Quod et Christum significasse, quum prope moriturus, inquit: *Consummatum est*, communis est Do-

ctorum sententia. Quasi scilicet dixisset: Impleta sunt omnia Prophetarum Vaticinia, omnia quaeque Sacrificia abolita, antiquata circumcisio. Dispelluntur umbrae, evanescunt figurae; ac omnia, quae ad veterem legem pertinebant, impleta, et consummata sunt. Quare et velum Templi tunc temporis scissum est, ut certum nempe legis rescissae argumentum, quemadmodum et D. Ambrosius *l* 10. *in Luc.*, et D. Leo *serm.* 17. *de Pass. Dom.*, et D. Thomas *lect. in Lucam* advertunt.

§. VII.

De vocatione Gentium ad veri Dei cultum in Messiae adventu, ac de Regno spirituali in eas a Messia habituro.

Et quoad 1.m, gentium vocatio ad veri Dei cultum unum ex illis est, quae Messiae adventui tribuuntur a Veteris Testamenti Scriptoribus.

Et 1.° cap. 22., 26., et 28. Geneseos, ubi legitur promissio a Deo facta Abraham, Isaac, et Jacob, quod *in eorum semine benedicerentur omnes gentes terrae*; quodnam enim illud eorum semen praecellens, nisi Messias; et quidnam per insignem illam benedictionem, quam cunctis gentibus esset Messias allaturus, nisi earum vocatio ad veri Dei cultum, per quam in statu constituerentur ad aeternam beatitatem perveniendi?

Idem autem, quod priscis illis Patriarchis promissum fuerat, praenuntiarunt quoque Sacri Vates. Ita nempe Regius Psaltes Ps. 21., quem de Messia exponendum esse, supra ostendimus, ubi ejus nece, et resurrectione praedictis, subdit: *Convertentur ad Dominum universi fines terrae, et adorabunt in conspectu ejus universae familiae gentium.* Item Ps. 71. ***Et adorabunt eum omnes Reges terrae, omnes gentes servient ei.*** Et paullo post: ***Benedicentur in ipso omnes Tribus Terrae, omnes gentes magnificabunt eum.*** Item Ps. 97. ***Notum fecit nobis salutare suum*** (pro quo nonnisi Messiam intelligendum esse, ex se patet), ***in conspectu gentium revelavit justitiam suam. : . . Viderunt omnes termini terrae salutare Dei nostri.***

Ita quoque, et quidem prae caeteris, Jsaias, ut c. 5., ubi: ***Elevabitur Dominus solus in die illa, et idola***

penitus conterentur . . . In die illa projiciet homo idola argenti sui , et simulacra auri sui , quae fecerat sibi , ut adoraret , talpas , et vespertiliones. Et c. 11. *Repleta est terra scientia Domini , sicut aquae maris operientes. In die illa radix Jesse , qui stat in signum populorum , ipsum gentes deprecabuntur,* Et c. 49. *Parum est , ut sis mihi servus ad suscitandas Tribus Iacob , et foeces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium , ut sis salus mea usque ad extremum terrae.* Et c. 55. *Ecce testem populis dedi eum , ducem , ac praeceptorem gentibus.* Ex c. 59. *Timebunt qui ab Occidente nomen Domini , et qui ab ortu Solis gloriam ejus , cum venerit. . Sion Redemptor.* Ac ita quoque aliis in locis ; cumque iis caeteri ferme omnes Prophetae.

Quod vero hac super re praedixerant , impletum esse per Christum , tum Scriptores Novi Testamenti , tum Scriptores Ecclesiastici , tum ipsi Scriptores profani testes sunt , quemadmodum videre est *l.* 1. *tract.* 1. *cap.* 1. §. 3. *pag.* 37., *et* 38. , ubi de celerrima Christianae Religionis per totum Orbem propagatione disseruimus ; itemque *tract.* 3. *cap.* 2. *pag.* 148. , *et sequ.* , ubi de Ecclesiae Catholicitate egimus. Consensum proinde Scriptorum Novi Testamenti cum iis , quae de Gentium vocatione ad veri Dei cultum per Messiae adventum Sacri Vates praedixerant , quis non videt ?

In quas item cum praedixerint , imperium eum habiturum , videndum modo est , quod imperium hujusmodi seu Regnum in eas habiturum a Messia juxta Prophetarum oracula futurum non erat temporale , ac terrenum , quemadmodum contendunt Judaei , ut hunc Messiae characterem Christo abjudicent , sed spirituale , cunctisque terrenis dominationibus praeeminens , quod utique Christum obtinuisse, omnes Novi Testamenti Scriptores tradunt. En autem evidens , quod spirituale , non vero temporale futurum erat Imperium , quod Sacri Vates de Messia praenuntiaverant : 1.° scilicet , quia a Prophetis aeque praedictum de eo fuerat , quod et pauper futurus , et multa ab inimicis suis passurus esset, quodque et contemptui habendus , et crucifigendus , et necandus foret , quemadmodum §. 4. , et 5. ostendimus. Haec autem Prophetae oracula eatenus cohaerere possunt cum oraculis de ejus Regno , quatenus haec spiritualiter intelligantur , quin modus suppetat , si intelligantur de

Regno temporali, ea inter se conciliandi, utpote sibi mutuo contradictoria, nonne enim sibi contradicunt Regnum temporale, quod Messiam obtenturum esse in omnes Gentes post victorias ubique terrarum ab eo latas, Judaei contendunt, ejusque paupertas, passionum, et opprobriorum moles, ac mors illi datura, fossis ei manibus, et pedibus, ac Crucis patibulo illum necando? Nemo ergo non videt, quod spirituale, non vero temporale futurum erat Imperium, quod Sacri Vates de Messia praenuntiaverant. 2.° quia characteres ejus Regni ab iisdem Prophetis indicati neque etiam cohaerere possunt, nisi cum Regno spirituali, ac nullatenus cum temporali Regno. Dicitur namque justitia, aequitate, ac sanctitate commendabile futurum Ps 44., ubi: *Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi, virga directionis virga Regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem*, etc.; quae spiritualia sunt. Dicitur bellis vacuum, et perpetua pace tranquillum Isaiae 9., ubi: *Vocabitur nomen ejus. . . Pater futuri saeculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis*; quod a Regnis temporalibus longe abest. Et c. 42. *Non clamabit . . nec audietur vox ejus foris . . non erit tristis, neque turbulentus:* quae profecto in virum bellatorem non cadunt. Dicitur incorruptibile, et in aeternum duraturum Dan. 7., ubi: *Potestas ejus potestas aeterna, quae non auferetur, et Regnum ejus, quod non corrumpetur*; dum e contrario quidquid terrenum est, caducum, et temporale sit, oportet. Tandem dicitur donis dumtaxat spiritualibus conspicuum, cujus generis sunt peccatorum remissio, justificationis gratia per ipsum concedenda, et alia hujusmodi. Ita nempe apud Zach. 13., ubi: *In illa die erit fons patens domui David, et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatorum*: Quod ergo spirituale, non vero temporale futurum erat Imperium, quod Sacri Vates de Messia praenuntiaverant, magis, magisque est perspicuum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objiciunt Rabbini 1.°, quod nihil clarius, quam quod Messias sessurus esset super solium David, et super Regnum ejus; ita enim Isaiae 9. *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. Super solium David,*

et super Regnum ejus sedebit in aeternum , ut confirmet illud , et corroboret in judicio , et justitia amodo , et usque in sempiternum. Fuit autem David Rex terrestris , et temporalis , ejusque Regnum terrestre , et temporale : Quod ergo Messias futurus quoque esset Rex terrestris , et temporalis , ejusque Regnum terrestre , et temporale , consequens est. Et sane , ut addit Orobio , *poterant Prophetae praedicere Messiam obtenturum Romani Caesaris Regnum. An postea posset dici , id intelligendum de Regno Caesaris in Coelo ?* Aeque igitur dici nequit de Messiae Regno a Prophetis praedicto , quod illud in Coelo , seu respective ad Coelum , obtenturus esset. Regnum ergo terrestre , ideoque et Messias Rex terrestris. Fuitne autem Christus Rex hujusmodi ? Neque igitur Messias. 2.° Passim quoque praedictum fuerat a Prophetis , quod Messias futurus esset Dominus , Dominator , Bellator , Victor , Salvator, Dux , Princeps. Nihil autem horum fuit Christus : Rursum ergo nec Messias. 3.° demum juxta c. 40. Ezechielis expugnaturus erat Messias Regem Gog , et Magog. Nullum autem Regem Christus expugnavit : Neque ergo iterum Messias.

Resp. . Et quidem ad 1.m , quod sessurus quidem erat Messias super solium David, et super Regnum ejus , id tamen intelligendo spiritualiter , quatenus scilicet sicut David populo electo praefuerat , ita et Messias populo electo praefuturus erat ; non vero id intelligendo materialiter , et ad litterae rigorem ex supra allatis rationibus , quod nempe sensus materialis , et ad litterae rigorem nec cum aliis Prophetarum oraculis , nec cum aliis characteribus eidem Messiae Regno ab ipsis Sacris Vatibus attributis cohaeret , immo illis contradicit. Utique autem Christus praefato sensu sedit super solium David, et super Regnum ejus. Hinc etiam patet responsio ad id , quod Orobio addidit ; latam nempe adesse disparitatem inter Regnum Caesaris , et Davidis, cum Caesar in subditos mere profanos dominationem exercuerit , David vero , Deo auctore , imperaverit populo , quem Deus elegerat, ut dicitur Deut. 26. , ut esset ei populus peculiaris , qui Christi Ecclesiae typum gerebat.

Ad 2.m , quod characteres illi accipiendi etiam sunt in sensu spirituali , non materiali , idque ex iisdem rationibus supra allatis ; quo sensu acceptis , utique Christus est Dominus , ac Dominator, cum *omnis potestas illi*

data fuerit in Coelo, *et in Terra*, ut dicitur Matth. ult.; et *in nomine Jesu omne genuflecti debeat*, *coelestium*, *terrestrium*, *et infernorum*. Bellator, et Victor, cum et de potestatibus tenebrarum, et de ipsa morte triumphaverit, ac deinde ubicumque praedicatum fuit ejus Evangelium, licet vitiis, ac deordinatis cupiditatibus omnibus bellum indixerit, attamen nec persecutionum furor, nec Philosophorum sophismata, nec Politicorum machinamenta efficere potuerunt, quin receptum ubique terrarum non fuerit. Salvator omnium, cum enim sanguine suo pro peccatis nostris satisfecerit, salutem per eum, ac nonnisi per eum consecuti sumus. Dux, quia salutaribus praeceptis ab eo traditis viam nos docuit ad aeternam beatitatem perveniendi. Princeps demum, quia ejus imperio subduntur fideles, eum, tamquam Deum simul, et hominem agnoscentes, et colentes; etiamque ipsi infideles, *experturi* (ut ait D. Aug. l. de spiritu, et litt. c. 33.) *in suppliciis potestatem ejus*, *cujus in donis misericordiam contempserunt*.

Ad 3.m denique, quod in illo Ezechielis loco, ubi sermo fit de Rege Gog, et Magog, nedum nulla prorsus vel minima habetur Messiae mentio, verum etiam multa occurrunt metaphorice, et figurate accipienda; quod scilicet in die adventus Gog commovendi sint pisces maris, et volucres Coeli, et bestiae agri, et omne reptile, quod movetur super humum, cunctique homines, qui sunt super faciem terrae; quodque subvertendi sunt montes, septemque menses insumendi sepeliendis iis, qui ab exercitu Gog interfecti fuerint. Hinc de quonam sermo fiat in relato Ezechielis loco, non adhuc in comperto est. Calmetus *in Dissert. de Gog*, *et Magog* illum refert ad Cambysem Cyri filium, et successorem, Ecbatanae in Carmelo versus extremitatem Palaestinae post expeditionem AEgypti fato functum, teste Herodoto *l.* 3. *c.* 22. . Interpretum vulgus id refert ad blasphemum, et homicidam Antiochum Epiphanem. Complures de Antichristi temporibus explicandum id censent. Utque alii demum probabilius censent, duplex in citato Ezechielis loco latet sensus; alter proprius, et ad Regem Babylonis, vel ad Antiochi tempora referendus; alter praecellentior, ac sublimior, persecutiones respiciens, quas Propheta praevidebat in Ecclesiam, et adversus pios singulis saeculis, ac praesertim versus Mundi finem suscitandas.

§. VIII.

De Sacrorum Vatum testimoniis Deum simul, et hominem Messiam praenuntiantibus.

Pauca hac super re occurrunt, quod nempe Messiam hominem simul, et Deum futurum esse, Divini Vates praedixerant; ut et Christus Dominus noster de se identidem ait, et Apostoli, tamquam praecipuum Novi Testamenti dogma, ubique gentium de eo annuntiarunt, cunctisque credendum proposuere. Pauca scilicet, cum enim fuse de hac re locuti fuerimus *l.* 3. *tract.* 1. *c.* 2. *prop.* 1. *pag.* 15., nec non *c.* 5. *pag.* 51., *et sequ.*, ubi ex ipso Veteri Testamento Christi Domini nostri Divinitatem demonstravimus, superfluum esset, ac actum agere idem rursus argumentum ex proposito demonstrandum suscipere. Tantum ergo sufficiat praecipua Veteris Testamenti loca, quibus illic in aperto id posuimus, hic innuere.

Et 1.° illud Ps. 2. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*; de Messia enim id dictum esse, ex contextu patet; quem proinde nedum hominem, sed et natura Dei Filium futurum, Regius Psaltes praedixit: unde etiam Ps. 109. genitum ait *ex utero ante luciferum*, ut loco cit. pag. 72. disseruimus.

Item illud Isaiae c. 6.: *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel*, quo loquendi modo Messiae humanitas, et Divinitas aeque exprimitur. Quas ambas praenuntians quoque c. 9., ait; *Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis; et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis*; quo in loco utraque etiam Natura, humana scilicet, et Divina Messiae attribuitur. Quod demum repetit tum c. 35. illis verbis: *Deus ipse veniet, et salvabit vos;* tum c. 40., ubi inquit: *De Civitatibus Iuda: Ecce Deus vester, ecce Dominus in fortitudine veniet*; quae de Messia fuisse dicta, ex se patet.

Item illud Jeremiae c. 23. *Suscitabo David germen justum. . . Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus* (hebraice *Iehovah*) *justus noster.* Porro per *germen David* nonnisi Messiam, sicut per *Iehovah* nonnisi

Deum posse intelligi, omnes conveniunt, quorum post remum ostendimus quoque loco cit. p. 57.

Item illud Zachariae c. 12. *Effundam super domum David, et super habitatores Ierusalem spiritum gratiae, et precum; et aspicient ad me, quem confixerunt;* quae de Messia Cruci affigendo Prophetam vaticinatum esse, supra diximus. Quis autem, nisi Deus, gratiae effusor, seu Auctor?

Quod demum praenuntiavit et Michaeas c. 5. inquiens de Messia, ut supra ostendimus: *Et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis;* etenim cujusnam, nisi Dei, aeternitatis census? Nec non Malachias c. 3. illis verbis: *Ecce Ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam; et statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quaeritis, etc.;* quibus de Messia et ipsum locutum fuisse, ostendimus supra; ubi etiam advertimus, quod nonnisi Deo Templum nuncupari potest. Quaecumque idcirco Sacri Vates de Messia praedixerant, cuncta in Christo impleta fuisse, consequens est; quare ex consensu etiam Scriptorum Novi Testamenti cum Diviuis Veteris Testamenti Vatibus, Messiam advenisse, eumque fuisse D. N. J. C., magis, magisque est perspicuum.

CAPUT XI.

De Messiae adventu, eoque in J. C. D. N. ex miraculis ab eo, ejusque discipulis patratis, ac maxime ex gloriosa ejus a mortuis Resurrectione.

Ex iis, quae Isaias de Messia praedixerat, unum fuerat, quod mira patraturus esset: *Tunc* (inquiens c. 35.) *aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet, sicut cervus, claudus, ex aperta erit lingua mutorum.* Et c. 61. *Spiritus Domini super me . . . ut consolarer omnes lugentes.* Hinc, ut legitur Math. 11., cum Joannes misisset ad Christum duos de discipulis suis, ut interrogarent eum, an ipse esset, qui venturus erat? *Euntes* (respondit Christus) *renuntiate Ioanni quae audistis, et vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Quasi diceret, quod si ab id genus mirabilibus erat Messias dignoscendus ex relatis Isaiae verbis, ab

iis quoque, ipsum esse Messiam tamdiu expectatum, luculentissimum reddebatur testimonium. Mira vero, quae ab eo leguntur patrata, citra omnem dubitationis aleam esse, fuse ostendimus *l.* 1. *tract.* 1. *art.* 2. §.§ 2., *et* 3.: quamobrem a proposito argumento nos quoque paucis expedientes, iisdem, dicimus, rationibus, quibus Christianae Religionis veritatem ex miraculis Christi, ejusque discipulorum, ac deinde ex gloriosa ejus Resurrectione a mortuis ostendimus, ipsumque vere a Deo fuisse missum, comprobavimus; iisdem, inquam, luculentissime ex eodem capite conficitur, et Messiam advenisse, et ipsum esse Christum, qui a nobis adoratur.

Duo tantum hic addere existimamus; 1.° scilicet, quod adversus Christi Resurrectionem, quam, tamquam potissimum Missionis suae argumentum, Christus proposuerat *Matth.* 12., aliud Judaei reponere nescierunt, quam quod ejus discipuli e sepulchro rapuerant illius Corpus, dum Custodes dormirent; ita enim testatur D. Matthaeus, et quidem iis, et contra eos scribens brevi post tempore, itemque subjungens: *Et divulgatum est verbum istud apud Judaeos usque in hodiernum diem.* Nisi autem id revera inter eos divulgatum esset, nonne id scribendo et risui, et contemptui omnium se exposuisset? Quod et confirmat D. Justinus *in Dial. cum Tryphone n.* 108, addens quoque, Judaeos misisse e Jerusalem nuntios, qui ejusmodi vocem ubique spargerent; nec non Celsus apud Origenem, et Julianus apud D. Cyrill. Alex., infensissimus uterque Christiani nominis hostis, qui aliud quoque reponere nescierunt adversus Christi resurrectionem, nisi juxta Judaeorum traditionem ejus corporis e sepulchro raptum. Ex eo autem, quod adversus ejus veritatem aliud Judaei reponere nescierunt, manifeste sequitur, quod neque modo aliud reponi potest; quodque quidquid aliud adversus eam repositum subinde fuerit, vel imaginari quis velit, hoc ipso, tamquam satis refutatum, habendum est, quod ab iis, qui de facti successu testari dumtaxat potuere, non fuit in medium prolatum. Ostendimus porro *loco cit.*, quanti facienda sit praefata Judaeorum evasio, dormientes testes adversus Christi Resurrectionem proferre ausa; ubi etiam ipsa meridiei luce clariorem ejus veritatem reddidimus.

2.° quod si caetera facta mirabilia, quorum Scriptores Novi Testamenti meminere, in dubitationis aleam vocari potuissent, adeo profecto imbecilles non fuissent Christianae

Religionis hostes, ut peremptoriam responsionem relinquerent, qua ipsa negarent, illamque aliam miseram adoptarent, quod Magicae artis opera Christus, ejusque discipuli operati ipsa essent. Ita nempe Judaei in libro, cui titulus, *Toldot Jesu.* Ita quoque Celsus *apud Orig. l. 1. n. 16.*, Svetonius *in Nerone*, Lucianus *De morte Peregrini*, aliique apud Arnobium *l. 1. contra Gentes*, apud Lactantium *l. 4 Divin. Instit. c. 13.*, etc... Nonne autem inde patet, quod adeo extra omnem dubitationis aleam vertebantur, ut prorsus impossibile ipsis esset aliter ab iis se expedire? Quae proinde cum fuerint extra omnem dubitationis aleam posita, ita ex iis argumentatur Abbas Du Clot in Opere, cui titulus La S. Bibbia vendicata tom. 6. art. 3.): *Uomini sapienti, Filosofi illuminati furono talmente colpiti dalla verità de' fatti Evangelici, che non esitarono a fare un' aperta professione del Cristianesimo, quantunque la sua dottrina li ponesse nella necessità di rinunziare ai piaceri di questa vita, e gli esponesse all' odio, al disprezio, ai tormenti, e alla morte. Noi ci contenteremo d' indicare i più celebri, e i più distinti per i loro talenti, e pe' loro lumi, che convertironsi ne' primi secoli, e avanti il Regno degl' Imperatori Cristiani, e che non è possibile per conseguenza sospettare, di aver abbracciata la fede per alcun umano motivo. Essi vivevano d' altronde in un secolo, in cui le arti, e le scienze erano nel loro più alto periodo: perchè non si vide giammai un secolo più illuminato, nè più colto di quello, in cui G. C. comparve sulla Terra, come se la Provvidenza avesse voluto procurare al Vangelo de' più gloriosi trionfi.* Dionisio *l' Areopagita era del numero dei giudici dell' Areopago, Sovrano Tribunale di Atene. Egli fu convertito da S. Paolo l' anno 30. della nostra Redenzione.* Quadrato *è il primo Pagano convertito, che abbia composta un' Apologia della Religione Cristiana, che presentò egli stesso ad Adriano verso l' anno 131. Quest' opera piena di forti, e solidi ragionamenti arrestò il fuoco della persecuzione.* Aristide *presentò parimente ad Adriano l' anno 125. un' Apologia del Cristianesimo piena di erudizione, ed eloquenza. Egli era un Filosofo Platonico, e ne conservò l' abito anche dopo che ebbe abbracciato il Cristianesimo.* Flavio Clemente *Console con Domiziano l' anno di Roma 847., e prossimo Parente di questo Imperatore, fu Cristiano, e Martire, egual-*

mente che Domitilla *sua moglie*, *e un altra* Domitilla *sua nipote. Furon anche personaggi distinti*, *che rinunziarono al Paganesimo*, *per seguire la Religione di G. C.* Sergio Paolo *proconsolo a Pafo*, Erasto *tesoriere della Città di Corinto*, Acilio Glabrione *antico Consolo*, *martire sotto Domiziano. Tertulliano sulla fine del secondo secolo diceva ai governatori di Roma* (Apol. l. 2.), *che tutti i capi*, *tutte le Assemblee*, *le armate*, *le Tribù*, *le compagnie*, *i palazzi*, *il Senato*, *le Corti della giustizia eruno ripiene di Cristiani. Arnobio assicurava sotto Diocleziano* (adv. gent. l. 2.), *che gli uomini del miglior gusto*, *e i più dotti Oratori*, *grammatici*, *rettorici*, *giureconsulti*, *medici*, *e filosofi*, *dispregiando i sentimenti*, *ai quali erano stati attaccati*, *ponevano in avvenire nella Cristiana Religione la lor confidenza. Finalmente oltr' al numero infinito di autori*, *i di cui scritti si son perduti*, *abbiamo fra i diversi Filosofi Pagani divenuti Cristiani*, *e che dimostrano altrettanto genio*, *ed erudizione*, *che alcun altro autor pagano non convertito del secolo*, *in cui essi vivevano*, Dionisio *di Corinto*, *che godea della più gran riputazione sotto Antonino*: Atenagora *Filosofo di Atene*, *autore di un trattato sulla risurrezione de' morti*, *e di un' apologia del Cristianesimo indirizzata a M. Aurelio*, *e a Commodo suo figlio associato all' Impero*: Dionisio *di Alessandria*, *Patriarca di questa famosa Città*, *altrettanto distinto pe 'l suo zelo*, *e per la sua eloquenza*, *che per la sua moderazione*, *e per la sua prudenza*: Clemente *di Alessandria*, *discepolo del celebre* Panteno, *a cui egli successe nella Cattedra*, *e nella presidenza delle scuole Cristiane di Alessandria*: Origene, *che ha superato i Greci*, *e i Romani per la moltitudine*, *e per la bellezza delle sue opere*: Ammonio, *che insegnò la Filosofia ad Alessandria circa l' anno* 132. *con tanta riputazione*, *che non solo* Plotino, *ed altri pagani illustri vennero a gara a ricevere le sue istituzioni*, *ma dippiù la differenza della religione non impedì*, *che ei non ne ricevesse i più grandi elogj*; *tali furono* Plotino, Longino, Porfirio, e Jerocle, *che lo chiamava* istruito da Dio, e Divino Dottore: Arnobio *celebre retore Affricano*, *che compose sette libri contro i Pagani*, *in cui trovansi dotte ricerche*, *argomenti senza replica*, *molta veemenza*, *e sovente quel sale della facezia*, *che presenta talvolta ai*

lettori il piacere , e la verità : Anatolio , *uno de' più bravi uomini del terzo secolo , che tenne una scuola di Filosofia ad Alessandria , e fu in diverse scienze eccellente* , *etc.* . *Tutti questi uomini dotti avevano avuto tutti i mezzi , e tutte le occasioni d' informarsi da se stessi della verità de' fatti Evangelici ; de' quali furono per altro sì pienamente convinti , che abbracciarono la Religione di G. C. , e dopo esserne divenuti proseliti, morirono quasi tutti Martiri.*

CAPUT XII.

De Messiae adventu , eoque in J. C. D. N. ex miserrimo Judaeorum a tot saeculis statu.

Quo in statu a tot saeculis , quot lapsi sunt ab Jerosolymitano excidio , versentur Judaei , nemo nescit. Cum scilicet paullo post Christi mortem a Romanis sub Tito excisi , eorumque Civitas , et Sanctuarium solo aequata , et flammis tradita fuerint cum adeo ingenti eorum clade , ut nulla illi similis in cunctis historiis legatur juxta id , quod Christus praedixerat Matth. 24.: *Erit tunc* (inquiens) *tribulatio magna , qualis non fuit ab initio Mundi , neque fiet* ; per omnes postmodum Nationes disjecti , omnibusque contemptibiles , et abominabiles redditi ; ubique terrarum sunt , ut Oseas vaticinatus fuerat c. 3. , *sine Rege , et sine Principe , et sine Sacrificio , et sine Altari , et sine ephod , et sine teraphim* ; quin nullibi solum al quod vel parvum possideant , ubi libertate fruantur , nec sint sub tributo , ac durae servitutis statu.

Ex hoc autem miserrimo eorum statu evidens quoque argumentum conficitur , et Messiam advenisse , et ipsum fuisse D. N. J. C. , quem iidem respuere , ac etiamnum nolunt obfirmato animo agnoscere; ita namque disserimus: Praesens populi Judaici desolatio , et captivitas tribui profecto debet 1.° alicui sceleri , quod fuerit ipsa Idololatria gravius , captivitas enim Babylonica , qua olim Deus in populum animadvertit propter effusam ejus in ritus Idololatricos libidinem , vix annis septuaginta perstitit ; quibus item decurrentibus , specialis Dei erga eumdem benignitas solamen illi afferre non defuit tum per Prophetas , qui tunc vixere , tum suis per ipsos promissionibus , in patriam illum post septuaginta annos revocandi : dum e con-

trario praesens desolatio, et captivitas a decem, et octo saeculis etiamnum perstat, nec ulla spes illius finis affulget. 2.° sceleri, quod fuerit totius Nationis, seu in quod consenserit, et etiamnum consentiat integer Judaeorum populus; justum namque non esset, quod tota Natio lueret alicujus privati facinus, a quo caeteri abhorruerint, ac etiamnum abhorreant. Scelus autem ipsa Idololatria gravius, quod Judaeis imputari potest, aliud profecto cogitari nequit fuisse, quam Messiae occisionem; neque alium, qui Messiam se praedicaverit, ipsi occiderunt paullo ante initium praesentis eorum desolationis, et captivitatis, nisi J. C. D. N.; quem item cum tota eorumdem Natio ad mortem postulasset, semper postmodum obfirmato animo execrata est, ac etiamnum execratur: Praesens igitur eorum desolatio, et captivitas huic tribuenda est, quod Messiam tamdiu expectatum in Christo Domino nostro occiderint, ac etiam execrari sequantur; quem proinde advenisse, eumque fuisse Christum Dominum nostrum, consequens est.

Accedit, quod nisi propter Messiae occisionem, et rejectionem in Christo Domino nostro desolatione, et captivitate tam lugenda plecterentur, ipsi soli in Orbe universo dicendi essent verae Religionis cultores, et nihilominus a Deo tam graviter afflicti. Estne autem verisimile, quod si ipsi soli veram Religionem colerent, nullo a tot saeculis flecteretur tamen Deus erga illos Misericordiae motu? Estne verisimile, quod cum legi a Deo per Moysen latae tam constanter adhaeserint, ac etiamnum adhaereant, nullam tamen indulgentiam promeriti umquam fuerint; nec adeo constans legi adhaesio propitium illis Deum umquam reddiderit? Dicendum igitur, quod ideo desolatione, et captivitate tam lugenda plectuntur, quia in Christo Domino nostro Messiam tamdiu expectatum occiderunt, eumque etiamnum obfirmato animo abjiciendo, illius occisionis participes se etiamnum reddunt: *Che hai tu fatto, popolo ingrato* (ita apposite Bossuetius)? *Schiavo di tutti i paesi, e di tutti i Principi, tu non servi gli Dei stranieri. Come dunque Iddio, che ti aveva prescelto, ti ha egli obliato? E che mai divenute sono le sue antiche Misericordie? Qual delitto, quale attentato più grande dell' Idolatria ti fa sentire un gastigo maggiore? Tu non sai, tu non vuoi comprendere quel, che ti rende cotanto inesorabile Iddio. Ricordati di quella parola de' Padri*

tuoi: Il suo sangue sia sopra di noi, e sopra de' nostri figli. *E ancora*: Noi non abbiamo altro Re, che Cesare. *Il Messia non sarà il tuo Re; custodisci bene quel, che ti hai scelto. Resta Schiavo di* Cesare, *e de' Re, finchè sia entrata la pienezza de' Genti'i, e finalmente si sia salvato tutto Israello* (*Disc. sulla Storia univ. p.* 2. *n.* 10.). Tandem, et Messiam occidendum a Judaeis, et ejus occisionem consequendam fore dissipationem, et desolationem Civitatis, et Sanctuarii usque ad consummationem; et finem perseveraturam, Daniel c. 9. praedixerat. Haec autem jamdiu contigit Romanorum armis sub Tito; quam aliquando desituram quamnam sibi Judaei post decem, et octo saecula, nisi inanem prorsus spem, dare possunt? Messiam ergo fuisse ab iis paullo ante occisum, dicendum est: cumque alius proferri nequeat ab iis occisus ob Messiae decus sibi adjudicatum, quam Christus Dominus noster, ex praesenti idcirco Judaeorum dissipatione, et desolatione, Messiam advenisse, eumque fuisse J. C. D. N., manifeste sequitur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.°, quod, ut legitur Deut. 30., Moyses populum Israeliticum alloquens: *Cum venerint* (ait) *super te omnes sermones isti, et ductus poenitudine cordis tui in universis gentibus, in quas disperserit te Dominus Deus tuus, reversus fueris ad eum, reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, et rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit. Si ad cardines Coeli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, et assumet, et introducet in terram, quam possederunt patres tui.* Captivitas autem, de qua illic loquitur Moyses, dici nequit Babylonica; his enim characteribus c. 28. designata fuerat, 1.° quod Israel dispersus fuisset *in omnes populos a summitate terrae usque ad terminos ejus*; utque additur cap. 30., *ad cardines Coeli*. In captivitate autem Babylonica Israel nec dispersus fuit in omnes populos a summitate terrae usque ad terminos ejus, nec ad cardines Coeli dissipatus, utique vero in praesenti captivitate id illi contigit. 2.° quod Israel serviisset *Diis alienis, quos ipse, et Patres ejus ignoraverant, lignis; et lapidibus*. In captivitate autem Babylonica *numquam Israel* (ait Orobio) *idololatriae crimen*

commisisse legitur, maxime postea plurimi in Christianismum ingressi pristina idololatria infecti fuere, adorationem, ut subdit, deferentes Eucharistiae, Sanctorumque imaginibus: Cum ergo captivitas, de qua loco citato loquitur Moyses, dici nequeat Babylonica, ideoque praesens dicenda sit, falsum proinde, quod hujus captivitatis finis firmam Judaei spem non habeant Dei promissis innixam, sed usque ad consummationem, et finem ea sit perseveratura.

Resp. neg. min.; captivitatem namque, de qua illic loquitur Moyses, fuisse Babylonicam, procul dubio est; 1.º quia Nehemias l. 2. Esd. c. 1. allatum Moysis testimonium de reditu ab illa interpretatur: *Domine*, inquiens, *memento verbi, quod mandasti Moysi servo tuo, dicens: Cum transgressi fueritis, ego dispergam vos in populis: et si revertamini ad me, et custodiatis praecepta mea, et faciatis ea, etiamsi adducti fueritis ad extrema Coeli, inde congregabo vos, et reducam vos in locum, quem elegi, etc.* 2.º quia captivitas, de qua loco cit. loquitur Moyses, eadem cum illa est, de qua loquitur c. 28.; quam fuisse Babylonicam, manifeste ex illis verbis patet: *Ducet te Dominus, et regem tuum, quem constitueris super te, in gentem, quam ignoras tu, et patres tui; et servies ibi Diis alienis, ligno, et lapidi*; quae verba de praesenti captivitate intelligi non posse, ex eo patet, quod initium habuit, quum jamdudum Judaeis nullus erat Rex, quem ipsi super se constituerant; Babilonicae vero captivitati omnino congruunt, in quam Joakim, ac deinde Sedecias cum principibus, et optimatibus, et maxima populi parte translati fuere.

Nec momenta ex adverso allata quidquam probant; respondetur enim ad 1.m, revera Judaeos post captam a Chaldaeis Jerosolymam fuisse per multas gentes, et magnam Orbis partem dispersos; nam toto Oriente, in Babylone, in Perside, in Media, etc. eos tunc dispersos fuisse, ex l. 4. Reg. c. 25., l. 2. Paral. c. 36., nec non ex libris Esd., Esth., etc. satis constat; utque colligitur ex iisdem Regum, et Paralip. locis, complures quoque ob metum Nabuchodonoris post Godoliae mortem Ægyptum petiere. Ex qua demum captivitate profectum fuisse, ut in Graeciam, Italiam, et Germaniam diu ante Christum natum Judaei pervenerint, Judaei ipsimet testantur. Quod vero additur de eorum dispersione *ad car-*

dines Coeli, nemo non videt, quod dicitur hyperbolice: immo nec dicitur ad cardines Coeli disperdendos esse, sed quod licet ad cardines Coeli dispersi essent, si tamen delictorum suorum poenitentes ad Deum rediissent, inde etiam Deus eos congregasset, et reduxisset in terram patrum suorum.

Ad 2:m vero respondetur, utique in captivitate Babylonica plurimos ex Judaeis ad idololatriam deflexisse, adorando statuam a Nabuchodonosore erectam; cui solus Daniel cum tribus sociis suis legitur adorationem abnegasse. Quod autem Judaei Christianismum ingressi idololatria se polluerint Eucharistiam adorando, est mera petitio principii, cum supponat id, quod inter Christianos, et Judaeos est in quaestione, Christum scilicet non esse Messiam a Deo promissum; hoc enim posito, quod tot, tantisque argumentis luculenter ostendimus, consequens inde est, quod cum Eucharistiam adoramus, ipsum adoramus Christum sub illa latentem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Ubinam ergo idololatriae crimen, quin ipsum principium petatur, seu id, quod in quaestione est? Quo etiam caret cultus, qui Sacris Imaginibus defertur, tum quia non defertur ipsis Imaginibus, sed ad prototypum refertur per ipsas repraesentatum; tum quia nonnisi unus Deus a Christianis adoratur, nec aliud, nisi in ordine ad ipsum, et propter ipsum colitur.

Objic. 2° magnifica Templi descriptio cum suis porticis, et mensuris, quae habetur apud Ezechielem cap. 40., 41., et 42.; quod proinde realiter aliquando construetur. Nec non relatum Oseae vaticinium c. 3., ubi cum dixerit: *Dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, et sine Principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine teraphim*, subdit: *Et post haec revertentur filii Israel, et quaerent* Dominum *Deum suum, et David Regem suum*; *et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus in novissimo dierum*: Rursum ergo falsum, quod Judaei firmam non habeant spem Dei promissionibus innixam, quod captivitas, in qua versantur, non sit aliquando desitura, sed usque ad consummationem, et finem perseveratura ea sit.

Resp. neg. cons.; quoad Templum namque juxta Ezechielem aliquando construendum, quin cum D. Hieronymo dicamus, mystice, et spiritaliter intelligendum

per illud esse Ecclesiam, cujus typus Templum Salomonis fuit, dicimus, litteraliter intelligendum per illud esse ipsum secundum Templum sub Zorobabele, et Iesu filio Iosedech constructum post captivitatem Babylonicam, in qua Ezechiel vaticinabatur, non vero prorsus aliud tertium Templum: 1.° quia cum non semel Ezechiel locutus fuerit de populi liberatione, ac reditu in terram patrum suorum, verisimile prorsus non est, quod siluerit de Templo ab ipsis reaedificando, ut Religionis officia juxta Legis praescriptum ibi peragerent. 2.° quia alterius Templi constructio manifeste adversatur Danielis vaticinio, quod secundum Templum populus cum Duce venturo simul cum Civitate in poenam occisionis Christi dissipasset, ejusque dissipationis finis futura esset vastitas, et statuta desolatio usque ad consummationem, et finem perseveratura.

Quoad relata vero Oseae verba, ea ad captivitatem decem Tribuum, ab Assyriorum Rege Salmanasare longe extra fines Iudaeae deportandarum, pertinere, ex eo manifestum est, quod Sacer Vates filios Israel a filiis Iudae distinguit, atque hos adhortatur, ne filios Israel imitentur. Quaesierunt autem decem illae Tribus Dominum, ac Davidem, seu Messiam, quum simul cum Gentibus, quibus jamdudum permiscebantur, Christi fidem per Apostolorum praedicationem amplexatae fuere. Quod si etiam Oseae verba ad praesentem Judaeorum captivitatem referri velint, sensus erit, futurum aliquando, ut Apostolus docet c. 11. ad Rom., quod Iudaei in novissimis temporibus Christi amplectentur fidem, ejusque Ecclesiae demum coadunabuntur.

Objic. 3.° quod etsi decem Israelis Tribus a Salmanasare, ut diximus, abductae nullatenus in Christi necem consenserint, adhuc tamen a saeculis fere septem supra viginti procul sunt a solo Patrum suorum. Æque igitur Iudaei procul esse possunt a Patrum suorum solo, quin hujus causa sit eorum in Christi necem consensio.

R. neg. cons., et paritatem; sunt namque decem Tribus a Salmanasare abductae e patrio solo extorres a saeculis fere septem supra viginti, at non simul sub captivitate, quemadmodum Iudaei: cum enim Israelitarum in captivitatem tunc abductorum nullum jamdudum supersit vestigium, nec ulla eorum apud veteres deprehendatur mentio, consequens est, quod paullatim ad

ritus Gentium, inter quas deportati fuerant, se adjunxerint, ac omni distinctionis ratione sublata, in unum corpus cum iis coaluerint, eademque libertate frui coeperint. Hinc tantum abest, quod allatum argumentum ullatenus Iudaeis faveat, quin potius contra eos retorqueri possit hoc modo: Etsi nempe decem Israelis Tribus a Salmanasare in captivitatem abductae execrando Idolorum cultui se addixerint, ideoque in Assyriorum potestatem traditae a Deo fuerint; etsi item ad meliorem frugem non redierint, Idolorum cultum relinquendo ante Apostolorum praedicationem, illis tamen Deus tandem misertus fuit, ac primaevum libertatis statum restituit. Cum ergo e contrario misertus nunquam sit Iudaeis, eosque in tam lugenda desolatione, et captivitate detineat absque ulla spe ejus aliquando finiendae, scelus profecto Idololatria gravius eos commisisse, est dicendum, Messiam nempe necando, quum J. C. D. N. occiderunt; ex quo proinde magis, magisque perspicuum est, Messiam advenisse, eumque J. C. D. N. fuisse.

TRACTATUS III.

De Incarnationis Mysterio adversus haereticos.

CAPUT I.

De humana in Christo Natura adversus plura haeresum monstra.

Quoniam per Mysterium Incarnationis intelligitur, ut diximus in ipso hujus libri initio, *unio Naturae duplicis, Divinae scilicet, et humanae, in unica Verbi Divini Persona, ex qua unus Christus*, idque, ut hoc loco addimus, *ad hominum redemptionem, condigna pro eorum noxis satisfactione exhibita*; haec proinde adorandum istud Mysterium proponit credenda: 1.° duplicem in Christo Naturam, Divinam, et humanam, ac utramque integram. 2.° unionem veram, et realem unius cum altera, eamque personalem, idest hypostaticam, in unica Verbi Dei Persona. 3.° impermixtio-

nem, et distinctionem utriusque, earumque proprietatum, post ipsam etiam unionem. 4.° ejusmodi unionis hypostaticae in unica Verbi Dei Persona, et absque ulla Naturarum, earumque proprietatum confusione consectaria. 5.° eximiam humanitatis Christi perfectionem. 6.° satisfactionem, quam Christus loco hominum aeternis poenis addictorum Deo Patri pro eorum peccatis solvit.

Et quoad 1.m, cum satis *l.* 3. *tract.* 1. *cap.* 5, *prop.* 2. *pag.* 57., *et sequ.* de Divina Christi Natura contra haereticos, qui ei adversati sunt, disseruerimus, agendum proinde hic tantum superest de humana ejus Natura, cujus perfectionem plures quoque ex haereticis ab ipso Ecclesiae exordio impetiere. Et 1.° praeter Simonem Magum, qui se se Dei Filium non vera carne, sed carnis specie indutum venditavit, ut testatur D. Jrenaeus *l.* 1. *c.* 20., umbratile, seu phantasticum corpus Christo tribuerunt Saturninus Antiochenus, Basilides Alexandrinus, Cerdon, Marcion, Manes, seu Manichaens, et sequiori aetate Heracleonitae, Ophitae, Priscillianistae: cumque dicerent, eum humanam suscepisse Naturam non reipsa, sed specie tenus, hinc quoque ajebant, nec vere passum, nec vere mortuum fuisse, nec vere surrexisse a mortuis, sed haec etiam omnia specie tenus, et oeconomiae causa praestitisse. Qua super re addebat quoque Basilides, quod cum Judaei Crucem Christo imposuissent, in suam Jesus commutavit figuram Simonem Cyrenaeum, atque ejus vicissim induit effigiem, in qua deinde pati, et mori visus fuit. Ita constat ex D. Jrenaeo *l.* 1. *c.* 21., Eusebio *l.* 4. *hist. c.* 6., *et* 7., D. Epiphanio *haer.* 23., 24., *et sequ.*, D. Aug. *l. de haer. c.* 46., D. Leone ep. 93., etc., ex quibus placeat D Aug. audire, qui de Manete, docuisse, scribit, *Christum non fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus praebuisse, ubi non solum mortem, verum etiam resurrectionem similiter mentiretur.* Ita vero D. Leo de Priscillianistis: *Christum Dominum in vera hominis natura natum esse non credunt, sed per quamdam illusionem ostentata videri volunt, quae vera non fuerint, sequentes dogma Cerdonis, atque Marcionis, et cognatis suis Manichaeis per omnia concordantes.*

Non quidem umbratile, ac phantasticum, sed spiritale quoddam corpus Christo tribuit Valentinus, ac

post eum Apelles, quod cum e Coelo descenderet, ipse sibi ex siderea, et aerea substantia contexuit, et quasi aquam per fistulam, sic per Mariam Virginem, nihil inde vel accipiens, vel mutuans, transvexit. Hinc addebat quoque Apelles, in ejus ascensu ad Coelos reddidisse singulis quibusque elementis, quod ab iis acceperat, *et sic dispersis quibusque corporis sui partibus, in Coelo spiritum tantum reddidisse*. Ita de iis Tertull. l. adversus Valetinianos, et l. de Praescript. c. 51.

Corpus denique nobis consubstantiale Verbum assumpsisse, asseruit Apollinaris Episcopus Laodicaenus, anima tamen carens, ut scribit D. Athan. *l. cont. Apollin.*. Cujus postea errorem discipuli temperantes, animam, ut refert Socrates *l. 2. hist. c. 46.*, dixerunt quidem assumpsisse, *sed quae mentem non haberet: Deum autem Verbum loco mentis esse in homine assumpto*. Ita etiam constat ex D. Epiph. *haer. 77.*, ex D. Aug. *de haeresib. c. 44.*, et Theodoreto *haeret. fabul. l. 4. c. 8.*

Neque hic demum praetermittendum duplex aliud super veritate passionum Christi haereticorum genus; 1.° Apollinaristarum nempe, qui cum in Christo Verbum Divinum dixerint fuisse loco animae, ipsam proinde Divinitatem vere passam, subjectamque doloribus affirmarunt, ut testatur D. Athan. *l. de salutari Christi adventu*, D. Greg Nazianz. *or. 46.*, *et 51.*, D. Leo M. *ep. 98. c. 2.*, *etc.*: 2.° Arianorum, cum enim inferiorem quamdam, et participatam Divinitatem Christo tribuerent, solum Patrem Deum summum, et impassibilem asserebant, non tamen Verbum, quod minime ajebant Patri consubstantiale, ideoque dicebant passibile, ut patet ex Concilio Syrmiensi an. 351. can. 11., et 12.: 3.° demum quorumdam ex Eutychianis, qui, duce Petro Fullone Sedis Antiochenae invasore, ajebant, Naturam Divinam, a qua docebant, humanitatem Christi fuisse absorptam, et consumptam, passionis dolores sustinuisse, appellatique fuerunt *Theopaschitae*.

Ex adverso autem fuerunt nedum supra praefati haeretici, qui cum Christum umbratile, ac phantasticum corpus habuisse, dicerent, apparenter quoque passum fuisse, asserebant, verum etiam haeretici appellati *Incorrupticolae*, inter quos praecipue Julianus Halicarnensis, atque ex Eutychianis et ipsi exorti; cum enim as-

sumptam a Verbo carnem cum Divina ejus Natura confusam dicerent, naturalium quoque, humanarumque affectionum eam expertem dixere, ideoque etiam omnino incorruptibilem, nedum scilicet putredini non obnoxiam, quemadmodum ex fide omnes profitemur, verum etiam cujusvis alterationis, ex qua fames, sitis, lassitudo, ac caetera id genus exoriuntur, insusceptibilem. Hinc utique Christum Cruci affixum, passum, ac vere mortuum profitebantur; sed hoc nedum per miraculum effectum fuisse, contendebant, verum etiam has ejus passiones denegabant fuisse humanas Hoc autem errore, ut refert Nicephorus Callistus *l.* 17. *hist. Eccl. c.* 28., mirum, quot correpti fuere Viri illustres, primarii Hierarchae, Monachi vita praeclari, ac ipse Imperator Justinianus, qui eo progressus fuit, ut voluerit, irrito caeterum conatu, per vim cogere omnes ubique Episcopos, ut ei assentirentur, corruptionis *significationi* (ut scribit Callistus loc. cit.) *acrius insistens*; quem et in haeresi obiisse, testatur Evagrius l. 4. c. 40.; utque addit Nat. Alex. in hist. Eccl. saec. 6. c. 7., *unus Richardus Crakanthorpius ex Protestantium grege in suo Vigilio dormitante c.* 20., *fictitium esse censet Justiniani lapsum in haeresim Aphthardocetarum*; hoc enim nomine praefata haeresis appellata fuit.

Qua super re, priusquam fidei dogmata adversus praefatos haereticos statuamus, duplex distinguendum est corruptionis genus; alia scilicet, per quam corpus in sua elementa resolvitur, et humani corporis conditionem, et formam amittit; atque haec longe a Christo abfuit, tum quia Redemptionis nostrae operi necessaria non erat, vel utilis, tum quia Verbum non decebat, ut corpus hypostatice ab ipso assumptum putrefieret, et corrumperetur. Alia vero, per quam corpus communibus illis alterationibus est obnoxium, ex qua fames, sitis, lassitudo, angor, et aliae id genus passiones proficiscuntur, atque juxta hanc significationem, cum Christus et esuriisse, et sitivisse, et fatigatum esse legatur, utique etiam corruptibile, seu communibus hisce alterationibus obnoxium fuisse, consequens est.

Duplex quoque distinguendum est passionum genus; earum nempe, quae cujusvis vitii sunt expertes; atque earum, quae aliquid vitii, seu imperfectionis praeseferunt: dum enim dicitur, vere Christum passiones sen-

sisse, de passionibus tantum primi generis id intelligitur, non vero de passionibus alterius generis; quas longe ab eo abfuisse, utpote cum ejus impeccantia, et sanctitate pugnantes, habendum procul dubio est. Hinc nedum ab eo removeri debent concupiscentia, desperatio, aliaeque id genus passiones inordinatae, verum etiam imperfectiones omnes, quae passiones nostras comitantur; cujusmodi sunt, quod earum motus in nobis sine nobis excitantur, nobisque invitis non raro perseverant; quod saepe nos perturbant, et commovent; quodque saepe ad peccatum nos inclinant: at utique sentiendum de Christo est, passiones ordinatas in eo fuisse, sunt enim hae motus appetitus sensitivi, idest voluntatis humanae, prout versatur circa bonum sensibile appetendum, vel malum sensibile fugiendum, suntque ejusmodi motus actus, et perfectiones animae connaturales, prout versatur circa bonum sensibile: cumque nihil inordinati habeant, nec unioni hypostaticae, vel perfectissimae sanctitati repugnant, nec Incarnationis finibus adversabantur, immo erant his necessarii, et utiles, *tum ut Christus humano modo in terris conversari videretur* (ut disserit Cont. Tourn.), *tum ut ejusmodi affectus in se aliquando ipse excitans, et sese majoribus doloribus, et angustiis nostri causa traderet, et suum amorem vehementius exprimeret, et doctrinam suam amplius inculcaret, et variarum virtutum nobis daret exempla.* Dum tamen nihil obstat, quin passiones ordinatas in eo agnoscamus, illas simul agnoscere in eo debemus, demptis quibusvis imperfectionibus, ideoque nullum in eo fuisse motum, seu affectum sensibilem, nisi voluntarium, et a ratione imperatum; item numquam passiones illum caeco impetu commovisse; ac demum illum numquam vel minime ad peccatum inclinasse.

Quoad modum tandem, quo Christus ejusmodi humanae naturae infirmitatibus fuit obnoxius, in duas abeunt Theologi sententias: sunt enim qui docent post Clem. Alex. *l.* 6. *Strom.*, D. Leon. M. *in Dom.* 1. *Quadr.*, Hugonem Victorinum *l.* 2. *De Sacr. p.* 1, *c.* 7., Philippum Abbatem Bonae spei ex Ordine Praemonstratensi, etc.; iis omnino voluntarie obnoxium fuisse, 1.° quia cum humanam naturam cujusvis peccati expertem assumpserit, eam quoque videtur impassibilem, et immortalem, qualis in primo homine fuit, assumpsisse. 2.° ratione hyposta-

ticae cum Verbo unionis, ob quam cum ejus anima intuitiva Dei visione frueretur, non poterat, nisi omnino voluntarie, quibusvis passionibus subesse, voluntate scilicet cohibens, ne fruitio Divinitatis in inferiorem, seu sensitivam partem difflueret, et quamlibet doloris sensationem impediret. In hoc autem distat horum Theologorum sententia ab haeresi *Incorrupticolarum*, quod, seposito Eutychis errore utramque Christi naturam confundente, non negat, humanam ejus naturam humanis infirmitatibus, et passionibus fuisse, tametsi per miraculum, subjectam. Sive, ut idem diversimode dicamus, ex confusione naturae humanae cum Divina in Christo petebant haeretici *Incorrupticolae*, quod Christus citra miraculum pati, ac dolere non potuit; ex allatis vero rationibus Theologi, quorum meminimus. Primum autem est haereticum; alterum nihil habet in fide periculi. Alii vero post D. Aug. *l.* 2. *De pecc. merit. c.* 24., Boethium *de duab. nat.*, D. Bernardum *serm.* 1, *De Epiph.*, Joannem Praepositum contra Philippum Bonae spei, docent, voluntarie quidem illis obnoxium fuisse ob supra allatas rationes, etiamque ratione omnipotentiae, qua poterat omnes carnis passiones repellere, sed simul naturaliter; cum enim humanam naturam in omnibus nostrae similem, peccato excepto, assumpserit, eam quoque dicendum est, naturaliter passibilem assumpsisse, ita ut sinendo quidem, eamque sui ipsius conditioni relinquendo, non autem supernaturaliter operando, molestiis, doloribusque afflictabatur. His praemissis, sit

Prop. I. Christus verum, ac solidum corpus habuit, non umbratile, ac phantasticum. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Scripturis, ubi dicitur *Verbum caro factum* (*Jo.* 1.). Corpus autem umbratile non est caro, sed carnis umbra. Item *semen mulieris* (Gen. 3.); *semen Abrahae* (Gen. 12.); *semen Virginis, et fructus ventris ejus* (Luc. 1.); *filius Davidis, et fructus lumborum ejus* (Act. 3.); *factus ex semine David secundum carnem* (ad Rom. 1.). Haec autem verba corpus nobis consubstantiale eum habuisse, arguunt. Ejus quoque in Scripturis et genealogia texitur, et in Mariae utero conceptus dicitur, et ex ea natus (Matth. 1., et Lucae 3.), ejusque corpus morti tradendum, et sanguis effundendus in remissionem peccatorum (Matth. 27., Marci 15., Luc. 23). Quibus addit D. Petrus ep. 1. c. 2., quod

Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; et D. Paulus ad Coloss. c. 1., quod *Reconciliavit nos in corpore carnis ejus per mortem*. Haec autem omnia umbratile, et phantasticum corpus excludunt. Accedit ex iisdem, quod et mortuus, et in sepulchro conditus dicitur; quodque ibi caro ejus corruptionem non vidit, et exinde a mortuis surrexit, amplius non moriturus (Act. 2., ad Rom. 6., etc.). Nonnisi autem corpus verum potest et mori, et divinitus a corruptione servari, et a mortuis resurgere. Item ep. ad Heb. c. 5. dies ejus dicuntur *dies carnis*; et c. 10. dicitur corpus ejus substitutum veris, ac realibus hostiis Legis veteris. Verum ergo etiam, ac reale ipsius Corpus. Veritatem quoque carnis suae ipse Christus post suam Resurrectionem Apostolis testatus fuit, dum illis apparens, et putantibus phantasma esse, *palpate* (inquit), *et videte*, *quia spiritus carnem, et ossa non habet*, *sicut me videtis habere* (*Luc.* 24.). Demum D. Joannes ep. 1. c. 4. oppositum errorem perstringens, *omnis spiritus* (ait), *qui confitetur*, *Jesum Christum in carne venisse*, *ex Deo est*; *et omnis spiritus*, *qui solvit Jesum* (sive ut habet Textus graecus, *qui non confitetur*, *Jesum in carne venisse*), *ex Deo non est*, *et hic est Antichristus*. Quid ergo clarius ex Sacris Litteris, quam quod Christus verum, ac solidum Corpus habuit, non umbratile, ac phantasticum?

Iis vero concinunt Patres, quorum testimonia essent innumera; acceditque multiplex ratio; 1.° enim, ut disserit D. Aug. l. 83. quaestionum qu. 14., *si phantasma fuit Corpus Christi*, *fefellit Christus* (fallit namque qui alium se exhibet credendum ab eo, quod est), *et si fefellit*, *veritas non est*. *Est autem veritas Christus*: *Non igitur phantasma fuit corpus ejus*. 2.° mentiti essent Evangelistae, quum cum dixerunt hominem factum, circumcisum, flagellatum, mortuum, et suscitatum, cum nonnisi larvam, et phantasma corporis haberet. Nefas autem dictu, quod Evangelistae mentiti fuerint. 3.° nisi verum corpus habuisset, neque etiam potuisset pro salute nostra vere pati, et veram mortem subire. Salvos autem factos esse per passionem, et mortem ejus, caput est fidei nostrae. 4.° demum nonnisi illusoria ejus exempla fuissent, quibus ad cruces, aerumnas, aliasque hujus vitae aegritudines patienter sustinendas nos monuit, si ficte dumtaxat, et specie tenus ipse passus esset. Porro nonnisi ita

esset passus, si verum, ac solidum corpus non habuisset, sed umbratile, ac phantasticum: Christum ergo verum, ac solidum assumpsisse corpus, non umbratile, ac phantasticum, magis, magisque perspicuum est.

SOLVURTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° illud Ap. ad Philipp. 2., ubi Christus dicitur *in similitudinem hominum factus, et habitu inventus, ut homo*; et ad Rom. 8., quod missus fuit *in similitudinem carnis peccati*. Non ergo verus homo, nec aliud in eo, nisi carnis similitudo.

Resp. neg. cons.; quoad 1.m, enim utique etiam similitudo non raro in Scripturis significat identitatem naturae; ut quum Gen. 5. Adam dicitur genuisse Seth *in similitudinem suam*; et Jac. 5. Elias *homo similis nobis passibilis*. Hoc autem sensu similitudinem usurpasse Apostolum l. cit., ex contextu patet, ubi ait de Christo, et formam servi, idest naturam humanam, accepisse, utpote quam non accepisset, corporis tantum umbram suscipiens; et semetipsum in hoc Mysterio exinanivisse, quod fuisset falsum, specie tantum, et larva hominis suscepta. Maluit autem Apostolus eum dicere *in similitudinem hominum*, tum quia, dum non apparenter, et in speciem tantum, sed vere ac realiter erat homo, perinde ac caeteri, numericam tamen cum iis identitatem non habebat; tum quia, licet communis ei esset natura, ejusque infirmitas, et communes sibi fecisset peccati poenas, assumens pro illis satisfacere, erat simul caeteris dissimilis, quia non homo purus, sed homo Deus, non necessitate, sed voluntate humanis infirmitatibus obnoxius, non reatu, sed charitate moriturus. Nec verba subsequentia *Et habitu inventus, ut homo* magis roboris habent, quippe quae non ad carnis substantiam, sed ad vitae consuetudinem, et vulgarem de Christo existimationem esse referenda, ipse Apostoli sermo ostendit, quo hortatur, ut Christi exemplo non superbiamus, sed humilitatem sectemur.

Quoad 2.m, aitne Apostolus simpliciter, missum Christum fuisse *in similitudinem carnis*, an potius *in similitudinem carnis peccati*? Alius ergo ejus verborum sensus non est, quam quod Christus, ut explicat D. Aug. l. cont. Adim. c. 21., *habuit carnem non peccatricem, sed similitudinem gerentem peccati*. Quo sensu idem Ap.

ait 2. ad Cor. c. 5: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis* (Deus) *peccatum fecit*, idest hostiam pro peccato.

Objic. 2.° ex loco cit. ep. 2. ad Cor. quod idem ait: *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Priusquam ergo haec scriberet, existimaverat Apostolus, Christum veram carnem habuisse, hanc tamen postea non amplius in eo agnovit.

Resp. quoque neg. cons.; ejus namque verborum sensus est, quod nihil illi proderat agnoscere Christum ex Jacob semine prognatum, cumque eo speciali ratione esse conjunctum ob identitatem generis, nisi eum simul agnosceret per fidem, et dilectionem. Hunc autem esse Apostoli sensum, ex versiculo immediate praecedenti manifestum est: *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem*; quibus certe significare non poterat, neminem se novisse veram, solidamque carnem habentem, sed secundum affectus carnis; quo sensu eum non raro accipere vocem carnis, passim in ejus epistolis perspicere est.

Objic. 3.° Licet Verbum in humana specie, ut diximus *l. 2. tract. 10. cap. 1. pag.* 86, priscis Patriarchis apparuerit, in qua etiam non raro Angeli modo huic, modo alteri apparuerunt, cumque iis ore ad os locuti fuere, attamen nec vera fuit ab iis assumpta caro, nec propterea censentur illos fefellisse. Æque igitur, tametsi caro Christi non fuerit vera, sed tantum apparens, atque hominibus ejus aevi ore ad os locutus fuerit, non ideo eum homines fefellisse, est dicendum.

Resp. neg. cons., et paritatem; non fuerunt namque illae apparitiones, nisi transeuntes, utque disserit Tertullianus l. cit., *carnis nondum natae*; dum Christus e contrario, tamquam ex Maria conceptus, et natus, deinde adolescens, adultamque aetatem per gradus, perinde ac caeteri homines, attingens, ac demum passus, mortuus, sepulchro conditus, et a mortuis resurgens in Scripturis exhibetur: quae omnia ad ludificationem, et fascinationem referre, et absonum omnino est, et manifesta deceptio fuisset.

Prop. II. Corpus Christus sumpsit non ex Coelestibus, vel aliunde, sed ex purissimo Mariae Virginis sanguine. Est de fide.

Probatur ex Scripturis, ubi Christus dicitur 1.°, ut scripsimus prop. ant., *semen mulieris* (Gen. 3.), *semen*

Abrahae (Gen. 12), *semen Virginis*, *et fructus ventris ejus* (Luc. 3.), *filius Davidis*, *et fructus lumborum ejus* (Act. 3.), *factus ex semine David secundum carnem* (ad Rom. 1.). Haec autem cum errore opposito conciliari nequeunt.

Cum quo item conciliari prorsus nequeunt illa Isaiae verba : *Ecce Virgo concipiet*, *et pariet filium*, *et vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Et quod dicitur Matth. 1. *Jacob autem genuit Joseph*, *virum Mariae*, *de qua natus est Jesus*. Et quod ad eam ait Gabriel apud Luc. 1. *Ecce concipies in utero*, *et paries Filium* . . . *Et quod nascetur ex te Sanctum*, *vocabitur Filius Dei*. De ea, atque ex ea igitur, non ex coelestibus, vel aliunde carnem sumpsit, non enim conceptus ab ea diceretur, nisi ex ea carnem sumpsisset.

Praeclare etiam hac super re Apostolus ad Gal. c. 4., ubi ait : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*; quare et Christus passim se nuncupabat *filium hominis*. Non diceretur autem factus ex muliere, ut scite Ven. Beda argumentatur, nisi conceptus ex utero Virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna ex carne traxisset; nec vere filius hominis diceretur, si originem non haberet ex homine.

Idem denique probatur ex iis locis, ubi B. Virgo Mater Christi appellatur; ut Matth. 1. *Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph*. Et c. 2. *Invenerunt puerum cum Maria Matre ejus*. Et paullo post : *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph*, *dicens* : *Surge*, *et accipe puerum*, *et Matrem ejus* . . . *Qui consurgens*, *accepit puerum*, *et Matrem ejus*. Item Luc. 1. *Exclamavit voce magna* (Elisabeth), *et dixit* : *Et unde hoc mihi*, *ut veniat Mater Domini mei ad me*? Item Jo. 2. *Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae*, *et erat Mater Jesu ibi*. Et c. 19. *Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus*, *et soror Matris ejus* . . . *Cum vidisset ergo Jesus Matrem* . . *dicit Matri suae*, *etc*. . Nisi autem Christus ex ea carnem sumpsisset, neque etiam ejus Mater esset. Definiit proinde Nicaenum I., ac subsequens deinde Constantinopolitanum, quod Filius Dei Unigenitus *incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine*. Quibus omnibus addere Patrum testimonia, quae praesto esset congerere, superfluum ducimus.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.°, quod Christus non semel de se ait, descendisse de Coelo; ut Jo. 3. *Nemo ascendit in Coelum, nisi qui descendit de Coelo, Filius hominis, qui est in Coelo*. Et c. 6. *Ego sum panis vivus, qui de Coelo descendi*. Cui concinit Ap. 1. ad Cor. c. 15. illis verbis, *Primus homo de terra terrenus; secundus homo de Coelo coelestis*. Non igitur ex Maria, sed tantum per eam, quasi per canalem, transmeavit.

Resp. neg. cons.; dicitur enim Christus descendisse de Coelo, ac homo Coelestis, non quia ejus caro e Coelis descenderit, sed tum ratione Divinae Verbi personae, quae unica in eo est; tum ratione modi, quo corpus ejus absque ullo viri consortio, ac sola Altissimi virtute conceptum fuit a B. V.; tum denique ratione vitae, quae numquam terrena sapiens, sed tota Divina, ac Coelestis fuit. Quo sensu ait in allato loco Apostolus, quod *primus homo de terra terrenus*; *secundus homo* (idest Christus) *de Coelo Coelestis*; opponens scilicet hominem terrena sapientem, et cupientem homini Coelestia tantum sapienti, et expetenti: unde subdit: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem Coelestis*.

Objic. 2.°, quod Angelus ad Joseph non ait, Christum ex Maria natum, sed in ea natum fuisse: *Quod in ea* (inquiens) *natum est*; quae loquendi ratio aliunde allatam in ea Christi carnem, non ex ea sumptam innuunt. Quod et Christus confirmare visus fuit Matth. 12., quum ait, se nec Matrem, nec fratres habere, nisi eos, qui voluntatem Dei Patris facerent: *Quae est* (inquiens) *mater mea, et qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce Mater mea, et fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in Coelis est, ipse meus frater, et soror, et Mater est*. Hinc etiam numquam legitur, nisi Mulieris nomine, B. V. nuncupasse, tum scilicet in nuptiis Canae Galilaeae, quum illi ait: *Quid mihi, et tibi est, mulier* (*Jo.* 2.); tum proxime moriturus: *Mulier* (illi inquiens), *ecce filius tuus* (*Jo.* 19.). Rursum ergo aliunde, quam ex B. V., dicendum est, corpus sumpsisse.

Resp. neg. cons.: quoad 1.m enim, Christum in ea natum ait Angelus, ut advertit Tertull.. *l. de carne Chr. c.* 20, quia *ex ea erat*, fuit namque et in ejus

utero conceptus, et ex ea conceptus; quod postremum exprimere etiam non defuit, *quod nascetur* (inquiens ad B. V.) *ex te, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* 1.). Quoad 2.m, *negavit Christus parentes* (ait Tertull. l. cit c. 7.), *quomodo docuit negandos pro Dei opere*; quod nempe tunc temporis explebat, docens turbas viam salutis. Sicut etiam monuit, quod cognatio cum eo spiritualis, quae consistit in gratia sanctificante, et Dei voluntate adimplenda, praecellentior, et anteponenda est ipsi cognationi secundum carnem, quam Mater cum eo habebat; quodque eadem ipsius Genitrix, ut scribit Ven. Beda, *et inde quidem beata, quia Verbi incarnandi Ministra facta est temporalis, sed inde multo beatior, quia ejusdem semper amandi custos manebat aeterna.* Dum vero illi ait: *Quid mihi, et tibi est, Mulier*, ad petitionem Matris, ut aquam in vinum transmutaret, respondit; ideoque ait, se communem cum ea non habere Divinitatem, quam necesse erat miraculo ostendere, non vero humanam naturam, seu cognationem, de qua tunc non agebatur: *Nec nos* (ita apposite D. Aug. l. de Fide, et Symb. c. 4.) *ad negandam Christi Matrem cogit, quod ab eo dictum est: Quid mihi, et tibi est, mulier? Sed admonet potius, ut intelligamus, secundum Deum non eam habere matrem, cujus Majestatis Personam parabat ostendere, aquam in vinum vertendo.* Nec refert, illam Mulieris nomine appellasse; immo numquam legi, quod eam Matris nomine appellaverit; id namque ex eo repetit D. Epiphanius *haer.* 79., ut altiorem ejus originem audientibus ingereret, eorumque animos ad Divinam ejus nativitatem agnoscendam erigeret. Alii docent, ita eum dixisse, ut ostenderet, Matrem esse *Mulierem* Adae promissam, ac proinde se esse ejusdem *semen.* Caeterum, toties quoque Mariae filium se professus fuit, et nuncupavit, quoties *filium hominis* se dixit, quippe quod filius hominis non erat, nisi quatenus ex Maria conceptus, et natus; qualem item se esse, jam supra diximus, Evangelistas identidem scripsisse, quum B. Virginem conceptis verbis ejus Matrem appellant.

Prop. III. Christus et animam, et mentem humanam habuit. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; ut ex illo Ps. 15. versiculo: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*; quae Regium

Psaltem in persona Christi dixisse; testes sunt D. Petrus, et D. Paulus Act. c. 2., et 13. Nec non ex illis Christi verbis Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Haec autem cum de Divinitate intelligi nequeant, quia haec nec derelinqui poterat, nec tristis esse, necesse est, ut de anima ejus corpus informante intelligantur: Haec ergo in Christo agnoscenda: *Quomodo tristis* (ita apposite D. Athan. l. 1. cont. Apollinarium), *et animo turbatus, si humanam non habuit animam? Tribuere enim talem sensum materiae insensibili absurdum, Deo immutabili adscribere blasphemum.*

Item ex eo, quod ait apud Jo. 10. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso*; et *potestatem habeo ponendi eam, et iterum sumendi eam.* Porro dici nequit, vel quod anima, quam posuit, ut iterum eam sumeret, fuerit Divinitas, quippe quam numquam dimisit; vel quod anima accipi hoc loco debeat pro vita tantum temporali, ita ut sensus sit, potuisse pro libito mortem subire, et iterum vivere, cum enim vita temporalis sit animae in corpore officium, mors autem ejusdem a corpore separatio, idem proinde dictu est, posse vitam ponere, ac posse, quod anima a corpore avellatur: Anima igitur, quam ait posituram, ut iterum eam sumeret, non erat, nisi anima humana; quam proinde habuit.

Item ex affectionibus, quas Christo Scripturae tribuunt; ut enim legitur Matt. 8. *Audiens Iesus, miratus est.* Et Marci 14., *Coepit pavere, et taedere, et moestus esse.* Et Luc. 22. dixisse legitur in ultima cum Discipulis coena; *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Affectiones autem hujusmodi in Divinitatem cadere non poterant, nec carni inanimi convenire: Earum ergo subjectum creatam ejus animam fuisse, consequens est; *caro enim* (ait D. Leo ser. 8. de jejun.) *sine anima nihil desiderat, et inde accipit sensus, unde sumit et motus.*

Demum si anima caruisset, vel nihil esset passus, caro enim inanimis nullum, ut diximus, potest doloris sensum suscipere; vel ipsa ejus Divinitas esset passa. Utrumque autem manifeste adversatur fidei, nam primum opus nostrae Redemptionis destruit, alterum Divinam impetit immutabilitatem: Animam ergo creatam ipsum habuisse, magis, magisque perspicuum est.

Hanc vero habuisse rationalem, nemo, nisi ipse mentis inops, vocare in dubium potest; quod et Scripturae multipliciter confirmant. Et 1.º Isajas, quum de Christo vaticinatus fuit: *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiae, et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (11.). In Divinitatem autem, vel in animam irrationalem requievisse spiritum sapientiae, intelligentiae, scientiae, immo et timoris Domini, nemo, nisi mentis inops, potest asserere.

Inquiens quoque Apostolus ad Coloss. c. 2. de eodem Christo: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae absconditi*; nec de ejus Divinitate, nec de irrationali anima loqui potuit. Non primum, quid namque magnum pronuntiasset, thesauros omnes sapientiae, et scientiae in Deo reponens, cum nemo id nesciat? Non alterum, cum de irrationali anima nequeat vel ipsa sapientia, aut scientia praedicari: Id ergo de ejus anima creata, et quidem rationali, ajebat.

Nemo item nescit, quam frequenter et in Novo, et in Veteri Testamento dicitur Christus *homo*, et *filius hominis*. Nihil autem homini essentialius, quam mens, seu ratio, per quam a brutis animantibus distinguitur: *Profecto* (ita apposite D. Aug. ep. 187.) *quum dicis hominem perfectum, totam illic naturam humanam vis intelligi. Non est autem homo perfectus, si vel anima carni, vel animae ipsi mens humana defuerit.* Et tract. 47. in Jo. *Videte absurditatem, et insaniam non ferendam. Animam irrationalem eum habere voluerunt; rationalem negaverunt. Dederunt ei animam pecoris, subtraxerunt animam hominis.*

Duplicem quoque in Christo voluntatem non semel praedicant Scripturae; ajente scilicet Christo Luc. 22. ad Patrem: *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Et Jo. 6. *Descendi de Coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me.* De quo et fusius infra. Porro, quod voluntas, quam Christus appellabat suam, non fuerit Divina, ex eo patet, quod hanc unam, communemque cum Patre habebat; quod vero fuerit rationalis, probatione non eget, nec voluntas rationalis inest, nisi animae rationali: Haec ergo in Christo agnoscenda.

Orans demum, et *in oratione pernoctans* legitur Luc. 6. Nequit autem oratio actus esse, nisi naturae

creatae, et rationalis: Haec ergo rursus in Christo agnoscenda; quem proinde et animam, et mentem habuisse, concludendum est.

Nec refert, quod loquens D. Jo. de hoc pietatis Mysterio, solius carnis meminit a Verbo assumptae; inquiens: *Verbum caro factum est.* Id enim egit, ut in ipso hujus libri initio diximus, vel per figuram *synecdochen*, vi cujus, ut advertit D. Aug. *l.* 14. *De Civ. Dei c.* 2., non raro in Scripturis per carnem tota intelligitur humanitas, ut quum dicitur Gen. 6. *Omnis caro corruperat viam suam*; et Ps. 68. *Ad te omnis caro veniet*; et Luc. 3. *Videbit omnis caro salutare Dei*: vel quemadmodum addit laud. S. D. ep. 120., *ut Christi humilitatem magis ostenderet*; nec non dilectionem, *ut appareret, quid Deus dignatus sit esse pro nobis*; vel demum, ut iis se opponeret, qui negabant tunc temporis, Christum in carne venisse.

Sed quomodonam, instant Apollinaristae, poterant duae naturae perfectae in unum coire? Ac nonne mentis vices nobilius, quam anima humana, potuit Verbum supplere? Sicut scilicet fulgente Sole, inutiliter prorsus aliud lumen adhiberetur, ita inutiliter prorsus constasset Christus anima rationali, cujus operationes longe praestantius poterat Verbum peragere. Sed resp. ad 1.m, equidem non posse duas naturas perfectas in unam naturam coire, utique tamen in unam hypostasim, seu personam. Ad alterum vero, quod cum absque anima rationali non potuisset Verbum humanas operationes per se elicere, nec vere pati, neque etiam absque ea Munus Mediatoris, et Redemptoris implere potuisset; quae ambo idcirco per animam rationalem implere debuit: immo, ut opportunius suo loco dicetur, nonnisi per eam ipsam potuit humanam carnem assumere.

Prop. IV. Christus secundum humanitatem vere passus est quotquot passus legitur; idque citra miraculum, sed accedente dumtaxat ejus libera voluntate, ex ipsa assumptae carnis conditione. Prima pars, quodque passus non est, nisi ex libera ejus voluntate, est de fide: altera communior.

Prob. 1. pars. Et 1.º ex Scripturis; ut ex c. 53. Isaiae, ubi: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit*; in quae ita D. Hieron. *Vere languores nostros, et peccata portavit, et pro nobis doluit,*

non putative, ut nova, et vetus haeresis suspicatur, sed vere crucifixus est, vere doluit. Item ex ipsius Christi verbis Matth. c. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem*; in quae etiam ita D. Aug. in Ps. 93. *Tristitiam assumpsit, quomodo carnem; fuit enim tristis, sicut Evangelium dicit. Nolite putare, non fuisse tristem Dominum; si enim hoc dixerimus, quoniam non erat tristis, cum Evangelium dicat: Tristis est anima mea usque ad mortem, ergo quando dicit Evangelium, dormivit Jesus, non dormivit Jesus; et quando Evangelium dicit, manducavit Jesus, non manducavit Jesus. Subrepit vermiculus putredinis, et nihil sanum relinquet, ut dicatur: Et jam corpus non erat verum, et carnem veram non habuit.* Item ex verbis D. Petri ep. 1. c. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Frustra autem Christi exemplo ad passiones nos hortaretur Apostolorum Princeps, si Christus non vere, sed sola specie passus esset: *Quonam pacto* (ita apposite Origenes l. 2. cont. Celsum) *qui postea secuti sunt Jesum adhibere potuerunt in exemplum patiendi laboriosa quaelibet, ac molesta propter pietatem, si humana non est revera, sed sola specie perpessus?* Item ex verbis D. Pauli ad Heb. c. 2. *Debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, et fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse, et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari.* Quidquid autem nos patimur, vere patimur: Et Christus ergo vere passus est, quotquot passus legitur.

Prob. 2.º ratione, quam Tertullianus affert *l. 3. cont. Marcion c. 8.*, quod, sublatis veris Christi passionibus, *eversum est totum Dei opus, ac totum Christiani nominis et pondus, et fructus; nihil enim passus esset, qui non vere passus est*, nec mortuus, qui mori non potuit, nec mortis victor per resurrectionem e mortuis, qui mortuus non fuit. Redemptionis autem nostrae opus passione, morte, ac resurrectione Christi peractum est: *Inanis est ergo praedicatio nostra* (ajebat Apost. 1. ad Cor. c. 15.), *inanis est fides vestra.*

Diximus vero, quod *secundum humanitatem* intelligendum est, Christum passum esse quotquot passus legitur, Natura enim Divina, utpote immutabilis, nullis passionibus subjecta esse potest: quare Conc. Rom. sub Damaso inquit anathema *ci, qui dixerit, in Crucis*

passione dolorem sustinuisse Dei Filium Divinitate ipsa, et non carne, animaque rationali, quam assumpsit in forma servi, ut Scriptura Sacra loquitur.

Prob. 2. pars, quod nempe quotquot passus legitur, passus non fuit, nisi accedente ejus libera voluntate. Et 1.° etiam ex Scripturis; ut ex illis Isaiae verbis l. cit. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Nec non ex ipsius Christi verbis Jo. 10. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso: et potestatem habeo ponendi eam, et iterum sumendi eam.* Ex quibus sequitur, quod, sicut dolores mortis, ita alios quoque dolores, et infirmitates nonnisi sponte sustinuit, quemadmodum enim mors, ita et alii dolores, et humanae naturae infirmitates nonnisi per peccatum in Mundum introiere. Hinc D. Aug. tract. 49. in Jo. n. 18. *Esurivit Iesus, verum est, sed quia voluit. Dormivit Iesus, verum est, sed quia voluit. Contristatus est Iesus, verum est, sed quia voluit. . . In illius potestate erat sic, vel sic affici, vel non affi i.* De quo etiam paullo infra S. D rationem reddens, *anima, et caro Christi* (pergit) *cum Verbo Dei una persona est, unus Christus est; ac per hoc, ubi summa potestas est, secundum voluntatis nutum tractatur infirmitas.* Hinc et subdit: *Turbaris tu nolens; turbatus est Christus, quia voluit.* Quod et D. Joannes c. 11. expresse docet, inquiens de Christo, quod *turbavit semetipsum.* Et Innocentius XII. inter propositiones excerptas ex libro, cui titulus: *Placita Sanctorum*, hanc num. 23. diris tradidit: *Inferior Christi pars in Cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.* Et sane quomodo invitus turbari umquam poterat, dum omnes ejus passiones ad ipsius nutum et excitabantur, et perseverabant? Quisnam turbatur, immo turbari potest ab eo, quod libere, et spontanee et pati incipit, et pati pergit?

Sed et alia duplex ratio accedit; 1.° enim quidquid homo patitur in praesenti rerum ordine non est, nisi a peccato. Fuit autem Christus cuiusvis peccati expers: Neque ergo invitus, sed nonnisi accedente ejus libera voluntate pati potuit. 2.° quia ipsi, ut homini, omnis tribuenda est perfectio, quae Incarnationis fini non adversabatur. Hujusmodi autem est impassibilitas, et

indolentia, quin ipse consensisset pati, et dolere: Haec igitur ipsi, ut homini, tribuenda est.

Prob. 3. pars. Et 1.° etiam ex Scripturis; ut ex illis Scripturae locis, ubi nedum dicitur fatigatus, sed et fatigatus ex itinere; ut Jo. 4. ubi: *Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat*: nedum dicitur tristatus, sed et tristatus ob carnis infirmitatem, e qua proinde sudor sanguinis exiliit; nedum dicitur crucifixus, sed *crucifixus ex infirmitate*, ut loquitur Apost. 2. ad Cor. c. 13. Haec autem loquendi ratio, ex ipsa carnis conditione ipsum talia passum esse, ostendit, quatenus nempe sinens, humanitatem actus suos exercere, eamque sui ipsius conditioni relinquens, ex conditione ipsius naturae esurivit, sitivit, aliasque sustinuit passiones: *Naturam pati sinebat, quae carni erant propria*, inquit D. Jo. Damascenus l. 3. de fide Orthodoxa c. 20.

Idem probatur ex relatis Apostoli verbis ad heb. c. 2. *Debuit per omnia fratribus assimilari etc.* Quidquid autem nos patimur, ex ipsa carnis conditione patimur: Et Christus igitur quidquid passus legitur, ex ipsa carnis conditione passus fuit. Itemque ex c. 4. ejusdem ep. ad heb., ubi Christus dicitur *tentatus per omnia pro similitudine absque peccato*; omnes scilicet humanae naturae infirmitates suscepisse, peccato excepto. Quod autem homo ex ipsa sui conditione passionibus, et doloribus sit obnoxius, est quidem in praesenti rerum ordine ex peccato, non tamen peccatum; seu est quidem cum caeteris ejus infirmitatibus peccati poena, non tamen peccatum, sed sensibilis ejus naturae appendix; Christus vero peccatum quidem in se non suscepit, immo nec suscipere potuit, utique tamen in se suscepit peccati poenas, ut eas pro nobis perferret *in corpore suo*, ut ait D. Petrus ep. 1. c. 2. Ex ipsa igitur corporis sui conditione passionibus, et doloribus obnoxium fuisse, est dicendum.

Prob. 2.° ex PP. supra laudatis; quos ex ipsa carnis conditione Christum passum esse quotquot passus legitur, docuisse, cuivis consideranti fit perspicuum.

Demum etiam ratione, carnem namque Christus assumpsit, quae et ipsum decebat, et simul operi nostrae Redemptionis peragendo, et perficiendo esset accommodata. Quod cum ita sit, carnem assumpsisse, dicendum est quarumvis infirmitatum expertem, quae non erant ad

id opus necessariae, quare abjudicandi sunt Christo morbi, aliique id genus defectus ex certa causarum secundarum dispositione, ex organorum imperfectione, et ex mala constitutione prodeuntes; at simul infirmitatibus communibus subjectam, ob quas, dum ipse consentiret, dolores nostrae Redemptioni peragendae, et perficiendae necessarios ex ipsa sui conditione pateretur: Talem ergo eam assumpsisse, consequens est.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Quod nos patiamur, immo pati possimus, ex peccato est. Christus autem cujusvis peccati expers, immo incapax fuit: Neque ergo aliquid vere passus fuit, neque etiam aliquid pati potuit.

Resp. neg. cons.; ex eo enim, quod Christus cujusvis peccati expers, immo incapax fuit, sequitur tantum, quod nihil passus fuit, immo pati potuit invitus; non autem, quod sponte non potuerit naturam passibilem suscipere, ac in ea pati. Utique autem, ut supra ostendimus, nihil passus fuit invitus; ipsamque naturam passibilem nonnisi sponte suscepit. Accedit, quod cujusvis peccati, quod proprium esset, expers fuit, et incapax; at simul, quemadmodum Jsaias ait c. 53., *posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum*, ut nempe pro illis satisfaceret, iisque satisfaciendis *oblatus est*, *quia ipse voluit*. Hinc idem Jsaias pergit: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*. Sed fuse de hoc argumento, ubi de Christi satisfactione loquemur.

Objic. 2.° Fuit Christi anima ob hypostaticam ejus unionem cum Verbo a primo ipsius ortu intuitiva Dei visione ditata. Cum hac autem quomodonam cujusvis generis passiones consistere poterant? Quomodonam passionibus, et doloribus obnoxius qui intuitiva Dei visione, et suprema beatitudine fruitur? Non ergo, nisi specie tenus, pati, ac dolere potuit.

Resp. neg. cons.; cum enim super omnes animi sui facultates plenissimam potestatem haberet, potuit proinde efficere, ut ejus mens intuitiva Dei visione a primo ipsius ortu frueretur, et simul pars animae inferior carnis infirmitatem persentiret: ob quam plenissimam ejus

potestatem etiam dicitur, quod oblatus est, quia voluit, passus est, quia voluit, mortuus est, quia voluit.

Objic. 3.° D. Hilarius, qui l. 10. de Trinitate n. 23. luculenter, Christum impatibilem, et indolentem fuisse, nec, nisi specie tenus, passum esse, ac doluisse, docet: Cruciatus omnes, inquiens, ejus corpori *impetum passionis attulisse, non tamen dolorem passionis intulisse, quia virtus corporis sine sensu poenae vim poenae in se desaevientis excepit.* Quod et similitudinibus explicans, *ut telum* (pergit) *aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans, omnes quidem has passiones naturae suae infert, ut foret, ut vulneret, ut compungat, sed naturam suam in haec passio illata non retinet, dum in natura non est vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aerem vulnerari, quamvis naturae teli sit et vulnerare, et compungere, et forare.* Quemadmodum ergo ex Hilario nihil patitur vel aqua, vel ignis, vel aer, dum telo perforetur, quia impatibilis, et indolentis naturae, ita nec Christus in sua passione: *Habuerit namque* (addit) *illud Domini corpus doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturae habet, ut calcet undas, et super fluctus eat.; penetret etiam solida, nec clausae domus obstaculis arceatur*; quibus verbis Christi corpus dolendi naturam non habuisse, confirmat magis, magisque. Nihil ergo luculentius ex Hilario, quam quod Christus nonnisi specie tenus passus fuit quotquot passus legitur.

Resp. Adeo quidem difficile est objecta Hilarii verba benigne explicare, ut Claudianus Mamertus *l.* 2. *De de statu animae c.* 9, Guillelmus Parisiensis ap. D. Bonav. *in* 3. *Dist.* 16. *qu.* 1., Bellarminus *l.* 4. *De Christi anima c.* 4., Petavius *l.* 10. *De Incarn. c.* 5., aliique scripserint, Hilarium aestu disputationis contra Arianos abreptum in errorem, quem impugnamus, impegisse, quem postea, subdit Petavius in suo Commentario in Psalmos revocavit; ita enim S. D. in Ps. 53. n. 7. *Ut absolutissimum nobis humanae humilitatis esset exemplum, omnia, quae hominum sunt, et oravit, et passus est.* Et in Ps. 68. n. 1. *Dolet ipse quidem, extra necessitatem et timoris positus, et doloris.* Et num. 23. *Percussus est Dominus peccata nostra suscipiens, et pro nobis dolens.*

Absit tamen, ut Hilario, cujus scripta *inoffenso*

pede decurri posse, ait D. Hieronymus in ep. ad Laetam, errorem hac in re adscribamus in ipso l. 10. de Trin., ubi etiam non negat n. 47., quod *passus Unigenitus Deus est omnes incurrentes in se passionum nostrarum infirmitates*. Et paullo infra. *Ex infirmitate corporis nostri passus in corpore est*. Et n. 67. *Passus quidem est Unigenitus Dei quae homines pati possunt*. Ejus proinde mens n. 23. ex scopo ejus disputationis contra Arianos, qui Christum non esse Deum, contendebant ex eo, quod passionibus, et doloribus fuerit obnoxius, assequenda est; dicendumque, aliam ejus mentem non esse, quam omnem doloris sensum a Christo, ut Deo, removere; atque a Christo, ut homine, omnem quoque doloris sensum nostris doloribus similem, nempe indeliberatum, necessarium, ac menti dominantem, non vero quemcumque doloris sensum, qui fuerit deliberatus, liber, nec menti dominans, ejus scilicet operationes impediens, eam perturbans, et a sua sede dejiciens. Hinc ait, quod *doluit quidem*, sed *extra necessitatem et timoris positus, et doloris*; ita ut dum nos miseri quidquid patimur, et nobis insciis occurrit, et fugientes sequitur, ideoque improbantes, et aegre ferentes nos afficit, Christus e contrario quidquid passus fuit, sciens, volens, et lubens, ut supra ostendimus, excepit, attendit, retinuit, mente probavit. Hinc etiam ait, ejus corporis cruciatus *impetum* quidem *passionis illi attulisse*, *non tamen dolorem passionis intulisse*, ejusque corporis virtutem *vim poenae sine sensu poenae excepisse*; hoc sensu scilicet, quia cum dolentis sit aegre pati, Christus sensum doloris ultro volens excepit, tenuit, fovit, nec, ipso invito, aliud fuissent omnes ejus passiones, nisi tamquam telum aquam, ignem, aut aerem vulnerans, virtus namque ejus corporis, idest Divinitas ejus corpori conjuncta, illudque sustentans, et roborans, impatibile illud reddidisset, et indolens, si voluisset. Hinc quoque addidit: *Habuerit illud Domini corpus etc.*, quia scilicet Christo abjudicabat quidem doloris nostri naturam, non vero quemvis dolorem, qui fuerit verus, et realis, et simul a vitiis, et defectibus dolorum nostrorum alienus.

CAPUT II.

De unione vera, et reali in Christo inter utramque Naturam, Divinam, et humanam; eaque personali, seu hypostatica adversus Nestorium.

Refellenda hic est Nestorii haeresis, quae nonnisi moralem inter Divinam, humanamque Naturam in Christo unionem tradidit. Pessimus namque ille haeresiarcha ex Monacho, quo in statu socios habuerat Joannem, postea Episcopum Antiochenum, et Theodoretum, postea Cyrensem Episcopum, et pro Magistro Theodorum Mopsuestenum, Sacerdos primum Antiochenae Ecclesiae, ac deinde Episcopus Constantinopolitanus creatus, sub finem anni 427., statim ac Cathedram illam ascendit, orthodoxam fidem subvertere orsus fuit opera Anastasii Presbyteri sui familiarissimi, qui coram eo populum docuit, ne Beatam Virginem Deiparam, seu *Theotocon*, sed Christiparam, seu *Christotocon* nuncuparet; cujus deinde blasphemiam Dorotheus Episcopus Marcianopolitanus, familiarissimus et ipse Nestorii confirmans: *Si quis* (in publica Concione addidit) *Mariam Deiparam dixerit, anathema sit.* Cum ad eorum blasphemiam tota infremuisset Civitas Constantinopolitana, ac publice haeresim inclamasset, re ad Nestorium delata, nedum Nestorius non improbavit, verum etiam probans quod uterque evomuerat, oppositum, ait, in Apollinario, et Ario proscriptum fuisse, propterea quod Verbum non alia ratione in Christo fuerat, quam, velut in Templo, per solam inhabitationem, sibique perfectum tum natura, tum persona hominem copulaverat, non vero humanitatem in unitatem Personae assumpserat. Hinc non unam in Christo esse personam, sed duas; nec Christum esse verum, et substantialiter Deum, sed tantum excellentiori quodam modo per gratiam, adoptionem, et assistentem, seu inhabitantem in eo, tamquam in Templo, Divinitatem: quem proinde Deiferum magis, quam Deum, ejusque Matrem Christiparam potius, quam Deiparam appellandam esse, contendit: quod et deinde sermonibus in Ecclesia plurimis, atque huc, et illuc sparsis confirmavit; exagitatis, ejectis, mulctatis, Clericis, Monachis, Laicis avitam fidem objicientibus.

Succrescente in dies malo ad Cyrillum Alexandriae Episcopum perlato, totis incubuit viribus S. Antistes, ut

Nestorium ad bonam frugem vocaret tum humanissimis, atque eruditissimis litteris ad eum datis, tum indicta ad hoc Alexandriae Synodo, editisque illic 12. Anathematismis, quibus totidem blasphemias Nestorio ejurandas proposuit. Sed frustra; Nestorius namque, aliis 12. Anathematismis Cyrillo oppositis, blasphemias suas iterum, atque iterum confirmavit. Hinc D. Coelestinus I. Rom. Pontifex, eventuum omnium particeps a Cyrillo factus, postquam coacta Romae Synodo Nestorii haeresim damnaverat, suas, et totius Occidentis vices Cyrillo commisit, ut Generalem Synodum Ephesi cogeret: qua coacta, cum Nestorius praescriptis monitionibus canonicis restitisset, ac ter vocatus ad Synodum venire recusasset, ejus demum accusatoribus, scriptis, et testibus a Cyrillo Concilii Praeside coram se, et Episcopis numero fere ducentis adductis, Scripturarum; et Patrum testimoniis jam antea collectis rursum perpensis, praecedentium quoque Conciliorum symbolis prolatis, tum ejus haeresis, tum ipsemet, tamquam pervicax, Episcoporum omnium suffragiis ipsa Act. 1. excommunicatus, atque exauctoratus fuit his verbis: *Dominus noster Jesus Christus, quem suis Nestorius blasphemis vocibus impetivit, per Sanctissimam hanc Synodum eumdem Nestorium Episcopali dignitate privatum, et ab universo Sacerdotum consortio, et coetu alienum esse definit*; hac postmodum depositionis, et excommunicationis sententia ad eum cum hac epigraphe transmissa: *Sancta Synodus . . . Nestorio novo Judae. Agnosce te, propter impias praedicationes tuas, et adversum Canones contumaciam vigesimo secundo die mensis Junii praesentis, juxta Ecclesiasticarum Sanctionum Decreta, a Sancta Synodo depositum; atque ab omni Ecclesiastico gradu alienum esse.*

Non defuerunt quidem, qui Nestorii patrocinium pro aris, et focis susciperent, atque in primis Joannes Patriarcha Antiochenus, non quia Nestorii erroribus irretitus, sed quia ejus fraudibus captus, cumque eo antiqua, ut supra innuimus, amicitia conjunctus; cum enim prius, ut illi faveret, de industria moratus esset Ephesum advenire, huc demum post 21. dies a praefixo termino, ut Synodo initium daretur, et quinque a depositione Nestorii appulit, adductis secum Episcopis, quorum *alii* (ut habetur ex Relatione Synodi ad Coelestinum) *erant extorres, otiosi, Ecclesiisque carentes*; *alii ante multos annos*

ob graves culpas a suis Metropolitanis depositi, *cum ipsi etiam Pelagiani*, *et Coelestiani*, *etc.* : cumque his, aliisque in Nestorii favorem tractis, numero juxta quosdam 30., juxta alios 43., Pseudosynodo inita, eo progressus fuit, ut Cyrillum, et Memnonem Episcopum Ephesinum, ne citatos quidem, deponeret, celebratae prius Synodi Actus rescinderet, Cyrilli Anathematismos, tamquam haereticos, proscriberet, et Comitis Candidiani opera Imperatorem ipsum Theodosium juniorem falsis rerum gestarum narrationibus, aliisque artibus contra Synodum, ejusque Patres, ac praesertim Cyrillum, et Memnonem, accenderet. Rei tamen veritate ab Imperatore demum comperta, nedum Synodi, quam prius repulerat, patrocinium suscepit, sed et Auctor fuit, ut Joannes Antiochenus concordiam cum Cyrillo, etiamque foedus contra Nestorium iniret. Ipsius quippe Joannis opera, quoniam in vetus suum Monasterium amandatus errores suos et colloquiis, et epistolis spargere pergebat, Oasi Aegypti oppido relegatus fuit: ubi cum sanguinis aestus efferbuisset, pus e lingua erumpere, et vermiculi ex ulcere exilire, ut refert Evagrius, coepere; quibus blasphemam, ejus linguam depascentibus, miserrime tandem inter maledicta, et blasphemias diem obiit extremum.

Quamvis autem sententiae in Nestorium latae Act. 1. non interfuerint Arcadius, et Projectus Episcopi, et Philippus Presbyter Summi Pontificis Coelestini Legati, qui paullo post Ephesum advenerunt, id tamen non obstat, quin dicatur canonice a Generali Synodo lata; 1.° enim jam suas vices, ut diximus, Cyrillo Coelestinus commiserat; quem proinde et Coelestini Legatum fuisse, tradunt Mennas Constantinopolit. *in Professione Fidei*, quae inserta est Vigilii Papae Constituto, Liberatus *Breviarii* c. 5., Evagrius *hist. Eccl. l.* 1. *c.* 4., Nicolaus I. *ep.* 9. *ad Michaelem Imp.*, Photius *l. de Synodis*. nec non alii ap. Nat. Alex. *Diss.* 7. *in hist. Eccl. V. saec.*; et post ipsum aliorum Legatorum adventum Concilii Praesidem semper fuisse ex ejus Actis conspicitur. 2.° quia iis, quae in 1. Act. gesta fuerant, ipsi quoque Arcadius, Projectus, et Philippus Coelestini nomine subscripserunt Act. 3.

His praemissis, Nestorii doctrinam eam esse, quam supra diximus, operae pretium est primum omnium demonstrare adversus nonnullos ex Calvinistis, qui ad au-

ctoritatem Patrum, et Conciliorum carpendam ausi sunt asserere, orthodoxum, et ab omni errore immunem fuisse Nestorium, ideoque injuste damnatum; Cyrillum vero, et Patres Ephesinos Eutychetis antecessores: quibus, ut diximus, Nestorius ipse praeiverat, accusans Cyrillum tum de Arii, tum de Apollinarii haeresi. Ita autem ex praefatis Calvinianis praecipue Ægidius Gaillard, et David a Rodone: quibus deinde accessit vir nullius fidei Baylius, scribens in suo Dictionario *V. Nestorius*, aliam non fuisse eum inter, et Cyrillum controversiam, quam meri nominis. Ex Catholicis quoque Richardus Simonius non erubuit scribere, quod abstrahendo a consectariis, quae Cyrillus ex doctrina Nestorii ducebat, simplicior erat ejus sententia, minoribusque difficultatibus obnoxia: Ita *in l. de fide Ecclesiarum Orientalium c. 7.* . Qua super re cum imprudenter quoque scripsisset Dupinius in sua *Biblioth. Auct. Eccles.*, se postmodum emendans, palinodiam cecinit. Sit proinde

Prop. I. Duplicem in Christo Personam distinxit Nestorius.

Prob. Et 1.° ex ejus 1.° Anathematismo adversus D. Cyrillum: *Si quis eum, qui est Emmanuel, Deum verum esse dixerit, et non potius Nobiscum Deum, hoc est inhabitasse eam, quae secundum nos est naturam . . . Mariam etiam Matrem Dei Verbi, et non potius ejus, qui Emmanuel est, nuncupaverit . . . anathema sit.* Et Anathematismo 7. adversus eumdem: *Si quis hominem, qui de Virgine creatus est, hunc esse dixerit Unigenitum, qui ex utero Patris ante luciferum natus est, et non magis propter unitionem ad eum, qui est Unigenitus naturaliter Patris, Unigeniti eum appellationis confiteatur participem factum, anathema sit.* Quod et confirmans serm. 1. num. 10., *non per seipsum* (inquit) *Deus est, qui in utero figuratus est, sed quoniam in assumpto Deus est, ex illo, qui assumpsit, qui assumptus est, appellatus est, et appellatur Deus.* Et serm. 3. *Verbum ergo Deus non est natus ex Maria, sed in illo, qui ex ea natus est, mansit.* Quod et aliis in locis passim ait. Negans autem, Christum esse verum Deum, ipsumque Unigenitum, qui ex utero Patris ante luciferum natus est, eumque, inquiens, nonnisi appellative esse Deum; quare nec Verbum Dei ex Maria natum esse, nec ipsam dicendam esse Matrem Dei Verbi, hoc

ipso distinguit inter Christum, et Deum Verbum, ideoque negat, Deum Verbum assumpsisse in unitatem personae humanam naturam, ex quo duplex Persona in Christo sequitur: Patet ergo propositum.

2.° ex relatione Cleri, et populi Constantinopolitani de Nestorii fide in Actis Concilii Ephesini Act. 1. *Hominem illum in matris utero fuisse fatetur plenum Deo Verbo, quomodo Joannes Baptista plenus Spiritu Sancto*; ex quo inferebat, non plus B. Virginem dicendam esse Dei Verbi Matrem, quam Elisabetham Matrem Spiritus Sancti. Et sane ita expressis verbis serm. 5. *De B. Joanne Baptista praedicatur a Sanctis Angelis, implendum esse infantem Spiritu Sancto adhuc ex utero Matris suae; atque ita B. Joannes Spiritum Sanctum habens editus est. Quid igitur? Appellabisne ipsam Elisabeth Spiritus Sancti genitricem?* Persona autem Spiritus Sancti non erat persona Joannis Baptisfae; neque hic hypostatice, sed moraliter tantum cum Spiritu Sancto conjungebatur: Neque igitur Persona Verbi Dei erat juxta Nestorium persona Christi, cujus proinde humanitatem, moraliter quidem, non vero in unitatem personae Verbum sibi copulasse, asseruit.

3.° ex eo, quod ajebat, Christum appellari Deum, et Dei Filium, quemadmodum Moyses appellatus quoque fuerat Deus Pharaonis, et Saul, ac Cyrus appellati fuerant Christus. Ita nempe serm. 7., nec non quaternione 27. *Quemadmodum dicimus Deum omnium opificem, et Deum Mosem, et Israel filium Dei . . . et quemadmodum dicimus Christum Saul . . . similiter et Cyrum . : . ita dicimus Dominum, et Christum, et Deum, et filium; sed communio quidem nominum similis est, dignitas vero non eadem est.* Non igitur unionem substantialem, seu personalem inter utramque Naturam, Divinam, et humanam, in Christo agnovit, sed tantum moralem, ideoque Personam Verbi utique a Christi persona distinguendam esse.

4.° ex eo, quod urgebat, non posse naturam propria hypostasi expoliari, siquidem ajebat, ut scribit D. Cyrillus in ep. ad Successum: *Si Christus perfectus Deus, idemque perfectus homo intelligitur, ubi naturae est perfectio, si hominis natura non subsistit?* Prout ergo duplicem naturam, ita duplicem personam, Dei nempe, et hominis, in Christo, contendit, fatendam esse.

5.° demum ex negata communicatione idiomatum, quae nonnisi, negata personae unitate, potest negari; posito

enim, ut fides docet, quod Verbum assumpserit humanam Naturam in unitatem suppositi, seu personae, quodque Christus, ut inde sequitur, est ipsum Verbum tum Divinam, tum humanam Naturam habens, consequens quoque est, 1.° quod cum nomina, et attributa praedicentur in concreto de suppositis, seu personis, nomina quoque omnia, et attributa tam Naturae Divinae, quam Naturae humanae praedicari et possunt, et debent in concreto de Christo, quod nempe est Deus, et homo, Creator, et creatura, impassibilis, et passibilis etc., non enim aliud id significat, quam quod in Christo eadem Persona, quae habet Naturam Divinam, habet simul Naturam humanam, de qua proinde utriusque Naturae nomina, et attributa in concreto praedicantur: nec non 2.°, quod cum actiones, et passiones suppositis quoque, seu personis communiter tribuantur, praedicari consequenter potest, ac debet de Christo, quod natus sit ante saecula, et natus in tempore; cumque ejus persona sit eadem Dei Verbi Persona, praedicari etiam potest, ac debet, quod Deus sit natus in tempore, passus, crucifixus, sepultus, quod B. Virgo vere dicenda sit Dei Mater, quod Deus vere dicendus sit ejus Filius, etc. Hanc porro idiomatum communicationem constanter rejecit Nestorius; ita enim serm. 1. n. 5. *Habet Matrem Deus? Ergo excusabilis gentilitas Matres Diis subintroducens . . . Non, vir optime, Maria peperit Deum . . . Non peperit Creatura eum, qui est increabilis . . . Non peperit Creatura Creatorem.* Et serm. 7. n. 22., allatis Christi verbis Jo. 11. *Solvite Templum hoc, etc.*, ita pergit: *Si Deus erat, qui solvebatur, dixisset Dominus: Solvite Deum istum, et in triduo suscitabitur. Si Deus mortificatus est in sepulchro, mentitur Christus, qui dixit: Quid me quaeritis occidere hominem, qui vera locutus sum vobis*: Non ergo Nestorius unitatem personae Verbi in Christo agnovit, sed aliam Verbi Personam, aliam Christi Personam censuit.

Omnium quidem haereticorum more phrases adhibuit Nestorius, ut Catholicos deciperet, quibus videbatur, unionem personalem inter utramque Naturam, Divinam, et humanam, in Christo profiteri; quare D. Coelestinus ad eum scripsit: *In libris tuis a nobis investigatus deprehensus es, quod multiloquio labebaris, dum vera involvis obscuris; ac rursus utraque confundens, vel con-*

fiteris negata, vel niteris negare confessa. Revera tamen nunquam aliam unionem inter utramque admisit, ut Patrum testimoniis ostendit Petavius *l. 3 de Incarn. c. 3.*, nisi affectionis, et dilectionis, prout didicerat ab ejus Magistro Theodoro Mopsuesteno, quem etiam Constantinopolim petens inviserat; ajebat enim Theodorus, ut habetur ex V. Synodo can. 12.: *Talem factam esse unitionem Dei Verbi ad Christum, qualem dixit Apostolus de viro, et muliere: Erunt duo in carne una.* Ratione autem hujus dilectionis unitum quoque ajebat Verbum cum humanitate per operationes mirabiles, quas Verbum per humanitatem Christi elicuit, tamquam per *Deitatis instrumentum*, ut loquitur *serm.* 1. *n.* 6., nec non per participationem nominis, et dignitatis, nomen scilicet, et dignitatem suam illi impertiendo, ut Deus, et Dei Filius vocaretur, et ab omnibus creaturis adoraretur, tamquam *Divinitatis vere inseparabilis simulacrum, et imago absconditi Judicis*, ut ibidem loquitur. Cum igitur illam tantum unionem Nestorius agnoverit inter Divinam, humanamque naturam in Christo, per quam haec fuerit Deitatis instrumentum, et simulacrum, ac imago Divinitatis Verbi, nemo non videt, aliam eum non agnovisse inter utramque unionem, quam quae inter instrumentum, et artificem, imaginem, et prototypum transit. Estne autem haec unitas suppositi, seu personalis? Minime profecto.

Demum, ut magis incautos deciperet, inquit quoque Nestorius *serm.* 7. *n.* 32., quod *non nudus homo Christus, sed homo simul, et Deus.* Item ep. 2. ad Cyrill. n. 1. *Nomen hoc Christus utramque naturam, patibilem, et impatibilem, in unica persona denotare.* Et ep. 2. ad Coelestinum Rom. Pont.: *Utramque naturam per conjunctionem summam, et inconfusam in una persona Unigeniti adorari.* Ut tamen advertit V. Gen. Synodus Collat. 8. Anath. 4., *per solam nominationem, et honorem, et dignitatem, et adorationem, unam personam, unum Filium, unum Christum* ajebat. Hinc anath. 5. ait eadem Synodus: *Si quis unam subsistentiam Domini nostri J. C. sic intelligit, tamquam suscipientem plurimarum subsistentiarum significationem, et . . . unam personam dicit secundum dignitatem, et honorem, et adorationem, sicut Theodorus, et Nestorius insanientes conscripserunt . . . sed non confitetur Dei Verbum carni secundum subsisten-*

tiam unitum esse, et propter hoc unam ejus subsistentiam, seu unam personam . . . anathema sit.

Prop. II. Alienissimus fuit D. Cyrillus tam ab Apollinarii, quam ab Arii haeresi; nec nisi ex odio in eum insimulatus de utraque fuit a Nestorio, ejusque gregalibus.

Prob. Et 1.° quoad haeresim Apollinarii, in hoc erravit Apollinarius, quod Verbum dixerit, fuisse in Christo loco animae, ac postmodum mentis; cui et insaniens addidit, ut scribit D. Athanasius, et D. Epiph. *haer.* 77., humanitatem Christi Divinitati consubstantialem esse. Nullibi autem D. Cyrillus aliquid ex his umquam docuit; hoc unum semper insinuans, quod, salva utriusque naturae differentia, in veram unitatem, credendum esset, Divinam, humanamque Naturam in Christo coaluisse; ita enim in ep. 2. ad Nestorium, cui omnes PP. Ephesini subscripsere, immo, tamquam fidei expositionem, probarunt: *Asserimus, Verbum, secundum hypostasim carne animata rationali anima, inexplicabili, incomprehensibilique modo hominem factum . . . Et quamvis naturae sint diversae, in veram tamen unionem coeuntes, unum nobis Christum, et Filium effecerunt; non quod naturarum differentia propter unionem sublata sit, verum quod Divinitas, et humanitas secreta quadam, ineffabilique conjunctione in una persona unum nobis Jesum Christum, et Filium constituerint . . . Suum ergo fecit corpus nostrum, prodiditque homo ex muliere, Deitate interim, aut ex Patre nativitate non abjecta, mansit enim in ipsa quoque carnis assumptione quod erat. Ita non dubitarunt (SS. Patres) Sacram Virginem Deiparam appellare; non quod Verbi natura, ipsiusve Divinitas ortus sui principium ex S. Virgine sumpserit, sed quod Sacrum illud Corpus Anima intelligente perfectum ex ea traxerit, cui et Dei Verbum secundum hypostasim unitum secundum carnem natum dicitur.* Nihil profecto alienius ab Apollinarii deliramentis. Et homilia Ephesi recitata post depositionem Nestorii: *Non enim (inquit) cum homo esset, fecit seipsum Deum; sed Deus suapte natura cum sit, sine ulla mutatione, ac sine ulla confusione factus est homo: et qui ineffabili modo ex Deo Patre generatus est, secundum carnem ex muliere nasci sustinuit, ac filius hominis appellatus est, ut nos salvaret. Factus est tibi similis propter te, et mansit propter seipsum hoc*

ipsum, quod erat. Quibus et aliâ praefatis similia addi possent.

Quoad haeresim vero Arii, alienissimus quoque ab ea fuit Cyrillus; ideo enim de ea accusabatur a Nestorianis, quia Dei Verbo tribuebat, quae in Sacris Litteris de Christo enuntiantur. Alio tamen sensu haec Verbo tribuebat, quo id factum fuerat ab Ario, qui ut Verbi Divinitatem carperet, ac tantum participatam assereret, ipsum et esuriisse, et sitiisse, et passum, et crucifixum esse, blasphemabat. Cyrillus vero ratione tantum unitatis personae, utque Nestorii haeresim caveret, quae Personas dividens, Filio Dei tribuebat Divina, et Filio Virginis humana, tamquam *duabus personis*, *separatisque hypostasibus*, ut S. D. loquitur in 4. Anathematismo; addens proinde in hujus Anathematismi declaratione: *Omnes itaque Evangelii voces, sive illae humanum quid sonent, sive Divinum, uni Personae tribuimus.* Sive, ut idem diversimode dicamus, dicebatur Verbum ab Ario *inhaesionis* subjectum omnium eorum, quae de Christo secundum humanitatem enuntiantur; a Cyrillo autem subjectum dumtaxat *denominationis*, ac per communicationem idiomatum, cujus supra meminimus, quamque infra uberius explicabimus, quin umquam diceret, Divinae Christi naturae tribuenda esse, quae humanae tantum conveniunt.

Prob. 2.° ex V. Gen. Synodo in damnatione trium Capitulorum, quorum primum, ut diximus *l. 1. tract. 4. cap. 2. pag.* 225., erat Theodori Mopsuesteni, secundum Theodoreti Episcopi Cyrensis opus, tertium Ibae Episcopi Edesseni epistola ad Marim Persam. Ideo autem can. 13. dictum fuit anathema adversus *impia Theodoreti conscripta*, etiamque eos, qui ipsa defenderent, quia *contra rectam fidem, et contra primam Ephesinam Sanctam Synodum, et Sanctum Cyrillum, et duodecim ejus Capitula*, seu Anathematismos. Hic tamen advertendum, quod licet Theodoretus fuerit prius Nestorio addictus, ejusque etiam errores docuerit: negans nempe in confutatione I. Anathematismi D. Cyrilli, B. Virginem revera Deum genuisse, ajensque, genuisse tantum *hominem unitum Deo, qui eum complasmavit*: et in confutatione Anathematismi X. reprehendens, quod unionem naturarum in Christo dixerat Cyrillus *secundum hypostasim*; eamque explicans in Pentalogio c. 5. exemplo viri, et uxoris, de quibus ait Apostolus: *Itaque jam non sunt duo, sed una*

caro : quo loco et addit, quod *sine sua persona nefas est asseverare substantiam;* ex quibus patet, eum et Nestorio prius fuisse addictum, et ejus etiam errores docuisse: quare cum de ejus ingressu in Chalcedonensem Synodum ageretur, Ægyptii omnes, nec non Illyrici, et Palaestinae Episcopi dixerunt : *Magistrum Nestorii foras ;* resipuit tamen postea ; subscripsit namque D. Leonis epistolae, in qua recta Incarnationis fides tum contra Nestorium, tum contra Eutychen disertissime tradebatur, a quo proinde in communionem receptus fuit, declaratus Orthodoxus, et ad Chalcedonensem Synodum admissus : suscepit quoque in Synodo Chalcedonensi tum Ephesinam Synodum, tum D. Cyrilli epistolas ad Nestorium, et ad Orientales : cumque, absoluta Synodo Chalcedonensi, nollent Episcopi Apologiam audire, quam paraverat, plena voce exclamavit: *Anathema Nestorio , et eis , qui non dicunt Dei Genitricem Virginem Mariam , etc.* : ac demum Catholicam veritatem adversus Nestorii blasphemias in epistola ad Dioscorum, aliisque in locis deinde defendit.

Prob. 3.° auctoritate tum Summorum Pontificum, tum Conciliorum ; Summus namque Pontifex Coelestinus tum ad Nestorium, tum ad Joannem Antiochenum, tum ad ipsum Cyrillum ejus doctrinam, ac fidem probant, ac celebrant : quod et deinde egit Gregorius II. in professione fidei ad D. Germanum Constantinopolitanum Antistitem. Praecise vero ejus Anathematismos probarunt tum Episcopi Ægyptii in Synodo Alexandriae habita, tum Concilium Ephesinum act. 1., et 9. . Quod et egit Concilium Chalcedonense, declarans act. 2., eamdem se profiteri fidem, quam Cyrillus ; et act. 5. in definitione fidei ejusdem Cyrilli epistolas suscipere. Quibus positis, nihil prorsus erratum in iis, quae D. Cyrillus scripsit in causa Nestorii, suspicari fas est.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod ait ep. 2. ad Successum, *unam esse Verbi Dei naturam incarnatam.* Quis autem in his verbis Apollinarii haeresim non deprehendit? Non ergo ab ea alienus.

Resp. neg. min.; quo enim sensu id dixerit, in Declaratione 3. Anathematismi exposuit ; ut nempe se opponeret Nestorianis, qui *subsistentias post unionem divi-*

dentes, et singulas, idest Deum, et hominem, separatim ponentes, talem illarum copulam confingebant, quae secundum solam dignitatem contingit. Ajebat proinde Cyrillus, quod sicut, etsi duabus substantiis homo constet, carnis, et spiritus, toto Coelo differentibus, una tamen dicitur hominis natura, quia una est in ambabus substantiis persona, ita, etsi Christus duplici natura, iisque infinite differentibus, constet, Divina, et humana, una tamen est Christi Persona, eaque Verbi. Hinc non ait, unam esse in Christo naturam, sed *unam esse Verbi Dei Naturam incarnatam*, quia nefas est, ut ait in ep. ad Acacium, *dividere unum Filium, et Christum e Patre, ut Deum, et ex muliere natum in carne, ut hominem*; sed fatendum est, ut addit in eadem ep: ad Successum, quod *Christus est unus ex duabus naturis.* Accedit, adeo innoxiam esse praefatam D. Cyrilli sententiam, ut eam usurpaverit post ipsam Eutychis haeresim D. Flavianus in professione fidei ab omnibus Orientalibus probata, et relata a Photio Cod. 311. *Etenim* (inquiens) *e duabus Naturis Christum post Incarnationem in una hypostasi confitentes, unam Naturam Verbi incarnatam, et carne indutam dicere non negamus.* Item Martinus I. in Lateranensi Synodo adversus Monothelitas coacta: *Quisquis* (inquiens) *secundum SS. Patres non confitetur proprie, et secundum veritatem unam naturam Dei Verbi incarnatam, anathema sit.* Itemque alii apud Petavium *l. 4. De Incarn. c. 5., et 6.*

Objic. 2.° Dicendo Apollinarius, humanitatem Christi esse consubstantialem Divinitati, sustulit in Christo distinctionem unius naturae ab altera; quam postea conceptis verbis negavit Eutyches, de quo sermo erit cap. sequenti. Et Cyrillus autem eam in Christo sustulit, ut patet ex ejus verbis in cit. epistola ad Successum: *Duas quidem naturas unitas asserimus; post unionem vero, tamquam sublata jam illa in duo divisione, unam esse credimus Filii naturam, tamquam unius, sed hominis facti, et incarnati*: Merito ergo insimulatus fuit de Apollinarii haeresi.

Resp. neg. pariter min.; quod enim ait in laud. ep. ad Successum, non aliter ait, quam ut se Nestorianis opponeret; ejusque verborum sensus est, quod post unionem utriusque Naturae per Incarnationem Natura Verbi Dei est

primario in Christo praedicanda ad cavendam Nestorii haeresim. Hinc non ait, *post unionem, sublata jam illa in duo divisione, etc.*, sed *tamquam sublata*, ut nempe post unionem oblique tantum, et indirecte praedicaretur humanitas, quam propria hypostasi subsistere, ajebat Nestorius; utque simul agnosceretur duplex post ipsam unionem in Christo natura, Divina, et humana, quas sine ulla mutatione, et sine ulla confusione coaluisse in unam Verbi Dei Personam, non semel fassus fuerat, ut patet ex aliis ipsius locis supra relatis.

Inst., quod dicendo Cyrillus, unam post unionem credendam esse Filii, idest Christi Naturam, non quidem praefato sensu id dixit, sed ad tollendam in Christo omnem realem distinctionem unius Naturae ab altera, ait enim ibidem, et in *Dialogo de uno Christo*, ita in unum Christum Divinam, humanamque Naturam coaluisse, ut sola cogitatione, et contemplatione secerni, et distingui possint: Haeresi igitur Apollinarii infectum fuisse, procul dubio dicendum.

Resp. neg. cons., ex ipso enim contextu patet, id quoque tantum dixisse, ut duplici personae, quam in Christo invehebat Nestorius, contrairet; atque intelligeretur, ut ipse loquitur, quia *non seorsim ponimus naturas, neque illis in totum per divisionem virtutem immittimus, sed unius hominis esse intelligimus, ita ut illae duae non jam sint duo.*

Prop. III. Unica tantum credenda est in Christo Persona, nec nisi Persona Dei Verbi. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; primumque locum obtineat D. Joannis Evangelii exordium: *In principio erat Verbum, etc. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis;* ex quibus verbis multiplex argumentum ducitur; 1.° enim quum duo secundum personam distinguuntur, numquam dicitur, vel dici potest, quod unus factus sit alter; quare numquam de Viro quantumvis Sanctissimo dictum fuit, vel dici potuit, quod Deus factus fuerit. Dicitur autem Verbum caro, idest homo, factum; Verbum ergo, et homo non distinguuntur in Christo secundum personam; sed ipsa immutabilis, ideoque inconvertibilis in aliud Verbi Dei Persona manens, quod erat, Deus, ac esse incipiens, quod non erat, homo, ac per id Divinitatem simul, et humanitatem assumptam habens, ipse est Christus. Deinde dum dici-

tur Verbum caro, idest homo, factum, vel id intelligitur per sui conversionem in humanitatem, vel per moralem cum ea unionem, vel demum per unionem cum eadem substantialem, seu personalem. At non primum, non enim Deus, utpote immutabilis, converti in hominem poterat, vel ullam prorsus mutationem in se suscipere. Non alterum, quum enim duo moraliter uniuntur, unum non fit alterum: Superest ergo, quod caro, idest homo, factum fuerit per substantialem, seu personalem cum humanitate unionem; ex quo sequitur, unam esse in Christo personam, atque hanc ob Dei Verbi immutabilitatem nonnisi Dei Verbi. Item quum Adam Gen. 2. dicitur *factus in animam viventem*, physica, seu personalis ipsius carnis, et animae conjunctio intelligitur; quodque, salva carnis, et spiritus differentia, in unam ambo personam coaluere. Quod cum ita sit, aeque etiam quum dicitur Deus Verbum caro, idest homo, factus, physica, seu personalis utriusque Naturae, Divinae scilicet, et humanae, conjunctio intelligenda est; quodque, salva utriusque Naturae differentia, in unam ambo immutabilem Dei Verbi Personam coaluere: Rursum ergo unica Dei Verbi Persona, Divinitatem simul, et humanitatem assumptam, habens, ipse est Christus. Aperte demum distinguit D. Joannes, et quod *Verbum caro factum est*, et quod *habitavit nobis*. Per habitationem autem in nobis moralem nobiscum unionem iniit: Per Incarnationem ergo plusquam moralem, qualis est unio per inhabitationem, sed physicam, seu personalem cum carne, idest humanitate, unionem iniisse, est dicendum.

2.° ex eo, quod ibidem legitur apud Joannem de Christo: *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Et c. 3., ubi Christus dixisse legitur: *Nemo ascendit in Coelum, nisi qui descendit de Coelo, Filius hominis, qui est in Coelo.* Et c. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Et c. 20., ubi Thomas ejus vulnera post Resurrectionem palpans exclamasse subditur: *Dominus meus, et Deus meus.* Non esset autem nec Unigenitus in sinu Patris; nec descendisset de Coelo, manens simul in Coelo, ubi certe non erat ratione naturae humanae nondum tunc glorificatae; nec Abrahamo fuisset antiquior; nec demum Dominus, ac Deus, nisi unica in eo esset Persona, eaque Dei Verbi: Ita igitur.

3.° ex eo, quod ait Apostolus 1. ad Cor. c. 8. *Unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia.* Verbum autem illud est ex Jo. 1:, per quod *omnia facta sunt*: Idem ergo Christus, ac Deus Verbum. Et ad Philipp. c. 2., ubi ad mutuam humilitatem, et charitatem eos adhortans, *hoc enim* (ait) *sentite in vobis, quod et in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, etc.*; ex quibus Apostoli verbis duplex argumentum ducitur; 1.° enim dicitur Christus Iesus in forma Dei, et Deo aequalis. Neutrum porro esset, nisi unica in eo esset Persona, eaque Dei Verbi: Ita igitur. Item dicitur, quod *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, etc.*. Ejusmodi autem exinanitio nulla esset, nisi idem Deus Verbum suam ratione personae Naturam humanam fecisset, et quoad eam incarnatus, passus, et crucifixus esset; nec ullatenus exinanitio ejuscemodi intelligitur, dum in Christo, ut ait Nestorius, fuisset tantum per inhabitationem, quo sensu exinaniti etiam dicendi essent Pater, et Spiritus Sanctus, qui in justis inhabitant: Ipse ergo Deus Verbum dicendus est, qui ob assumptam in unitatem personae humanam naturam, quoad eam incarnatus, passus, et crucifixus est; ex quo sequitur, quod unica in Christo est Persona, nec nisi Persona Dei Verbi. Scribens quoque ad Hebraeos, ait c. 7. de Christo: *Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae ejus.* Quomodo autem splendor gloriae, et figura substantiae Patris, nisi unum, idemque quoad Personam Christus, et Deus Verbum?

4.° omnibus illis Sacrarum litterarum testimoniis, et argumentis, quibus *l.* 3. *tract.* 1. *cap.* 5., Christum esse verum Deum, ac Patri consubstantialem ostendimus; si enim duplex in eo esset Persona, Dei Verbi scilicet, et hominis, non esset Christus verus Deus, et Patri consubstantialis, sed Persona Dei Verbi esset Patri consubstantialis, ac unus cum Patre Deus, hominis vero Persona caeteris justis assimilaretur. Est autem Christus Deus, et Patri consubstantialis, quemadmodum citato loco tum Sacrarum litterarum testimoniis, tum aliis argumentis luculentissime ostendimus: Non ergo duplex in Christo Persona, Dei Verbi scilicet, et hominis, sed

unica in eo credenda est Persona, nec nisi Persona Dei Verbi.

Prob. 2.º ex Symbolis Nicaeno, et Constantinopolitano, quo profitemur, credere *in unum Deum*; scilicet *Patrem . . . Et in Iesum Christum . . . Et in Spiritum Sanctum.* Nisi autem Persona Christi eadem esset, ac Persona Dei Verbi, dici non possent Pater, Jesus Christus, et Spiritus Sanctus unus Deus. 2.º quod Iesus Christus est *Filius Dei Unigenitus.* Nisi autem esset Filius Dei naturalis, ideoque idem quoad Personam, ac Dei Verbum, dici non posset Filius Dei Unigenitus, filii enim Dei adoptivi tam late patent, quam justi. 3.º quod idem Iesus Christus *ex Patre natus ante omnia saecula, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero . . . incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, homo factus, crucifixus, passus, et sepultus est.* Idem autem non esset, nisi unica in eo esset Persona, eaque Dei Verbi.

Prob. 3.º ex Conciliis; nam praeter Nicaenum, et Constantinopolitanum I. condendo Symbolum, de quo supra, Ephesinum quoque probans D. Cyrilli Anathematismos, idem definivit: *Si quis* (inquiens) *non confitetur, Dei Patris Verbum carni secundum hypostasim unitum, unumque esse Christum, eumdem nimirum Deum simul, et hominem, anathema sit.* Itemque: *Si quis in uno Christo post unionem dividit hypostases, eaque dumtaxat conjunctione easdem inter se nectit, quae est secundum dignitatem . . . et non ea potius, quae est secundum naturalem unionem, anathema sit.* Concilium deinde Chalcedonense in professione fidei, *Confitemur* (ait), *unum, eumdemque Christum Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus Naturis inseparabiliter, inconfuse, indivise, immutabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam, atque subsistentiam concurrente.* Quod et Constantipolitanum II. collat. 8. declaravit.

Prob. 4.º ex Patribus relatis l. 3., ubi de Christi Divinitate disseruimus. Quibus hic addimus D. Irenaeum l. 3. c. 16., ubi ex Scripturis ostendit, *unum, et eumdem esse Verbum Dei, et hunc esse Unigenitum, et hunc incarnatum pro salute nostra, Iesum Christum Dominum nostrum:* Item D. Gregor. Nazianz. or. 31.,

ubi de Verbo inquit : *Id, quod erat, exinanivit; id, quod non erat, assumpsit, non duplex factus, sed unum ex duplici natura fieri sustinens. Ambo enim Deus, nimirum quod assumpsit, et quod assumptum est; duae naturae in unum occurrentes, non duo filii.* Et or. 51. *Si quis duos filios, alterum ex Deo, et Patre, alterum ex Matre, non autem unum, atque eumdem intellexerit, is ab ea quoque filiorum adoptione excidat, quae recte credentibus promissa est . . . Si quis Divinitatem in eo per gratiam operatam fuisse, non autem secundum essentiam copulatam fuisse, atque copulari dixerit, a praestantiori afflatu vacuus sit, immo contrario impleatur.* Item D. Ambrosium l. De Incarn. c. 5. n. 35. *Non alter ex Patre, alter ex Virgine, sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine.* Demum D. Augustinum in Enchiridio c. 35. *Iesus Christus Dei Filius Deus, et homo : Deus ante omnia saecula; homo in nostro saeculo; Deus, quia Dei Verbum, Deus enim erat Verbum, homo autem, quia in unitatem personae accessit Verbo anima rationalis, et caro . . . Unus Dei Filius, idemque hominis filius; unus hominis filius, idemque Dei Filius : non duo filii, Deus, et homo, sed unus Dei Filius; Deus sine initio, homo a certo initio, Dominus noster Iesus Christus.* Et c. 36. *Ex quo homo esse coepit, non aliud coepit esse homo, quam Dei Filius.*

Prob. 5.° multiplici ratione; 1.° enim, quia Petrus, et Paulus sunt duae personae, hinc, quamtumvis animo, ac alio quovis modo conjungantur, numquam tamen unus de altero praedicatur, vel praedicari potest; ut ex. gr., quod Petrus sit Paulus, et vicissim. De Christo autem passim in Scripturis praedicatur, quod sit et Deus, et homo : In Christo igitur Deus, et homo non sunt duae personae, sed unica Dei Verbi Persona, utpote quae immutabilis, nec ullius prorsus mutationis susceptibilis, Divinitatem simul, et humanitatem assumptam habens, dicenda in eo est.

2.° Si Christi persona alia esset a Persona Dei Verbi, opus nostrae Redemptionis vel peractum esset a persona hominis, vel a persona ipsius Verbi, vel ab utraque simul. Nihil porro horum dici potest. Non 1.^m, ad nos namque redimendos actus requirebantur valoris infiniti, quos persona humana elicere nullatenus poterat.

Non alterum, cum enim persona Dei Verbi nec pati; nec mori posset, liberare nos quidem poterat, non tamen pro nobis satisfacere; suisque satisfactionibus nos redimere. Neque etiam ultimum, actus enim redemptionis elici debuissent a Natura humana, cumque haec ponatur etiam subsistens subsistentia humana, eu quod illi actus fuissent quoque valoris finiti, ideoque ad opus nostrae Redemptionis impares: Cum igitur, unica in Christo persona sublata, eaque Dei Verbi, Redemptionis nostrae Mysterium, cumque eo ipsa Christiana Religio evertatur, unicam in eo esse personam, eamque Dei Verbi, consequens est.

3.° Si Christi persona alia esset a persona Dei Verbi, eatenus Verbum diceretur homo factum, quatenus in humana Christi natura, velut in Templo, inhabitasset, eique hac ejus inhabitatione gratiarum copiam contulisset. At si eatenus Verbum dicatur homo factum, simul cum eo factus quoque esset homo Pater, et Spiritus Sanctus; ubi enim Verbum inhabitat, Pater quoque, et Spiritus Sanctus ob unitatem naturae inhabitat; nec Verbum largiri potuisset uberem illam gratiarum copiam humanae Christi naturae, quin ejusmodi largitionis Pater quoque, et Spiritus Sanctus particeps esset, cum omnia opera ad extra sint toti Trinitati communia: Non igitur Christi persona alia est a persona Dei Verbi; quam proinde eamdem, ac Verbi Dei Personam esse, consequens est.

4.° demum eamdem Christo adorationem, ac Deo deferendam esse, late ostendimus *l.* 3. *c.* 5. *pag*: 78.. Eadem autem illi adoratio deferenda non esset, nisi ejus persona eadem esset, ac Persona Dei Verbi; nec minus, quam Idololatriae esset crimen, Personae humanae supremum latriae cultum soli Deo debitum exhibere, quemadmodum D. Cyrillus l. 4. c. 16. contra Nestorium disserebat: *Si veteri errore* (inquiens) *liberati sumus in eo quod servire creaturae, tamquam rem impiam, recusavimus, cur nos in vetera crimina conjicis, et efficis hominicolas?* Persona igitur Christi eadem dicenda est, ac Verbi Dei Persona; quam proinde unicam in eo esse, eamque Dei Verbi, rursus consequens est.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod Christus de corpore suo ait Jo. 9. *Solvite Templum hoc.* Quod et Apostolus ad heb. c. 9. comparat Tabernaculo illis verbis: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, et perfectius tabernaculum non manufactum, etc.*; nec non habitui ep. ad Philipp. c. 2., ubi dicitur *habitu inventus, ut homo.* Porro nec Templum, nec Tabernaculum eamdem habent cum eo, qui in Templo, vel Tabernaculo inhabitat, personam; sicut nec indumentum cum eo, qui illo induitur: Neque ergo humanitatem Christi eamdem cum Verbo habere personam, sequitur.

Resp. neg. cons.; et nostrum siquidem corpus, quod unam efficit cum anima, quae illud informat, personam, passim in Scripturis dicitur, quod ejus et domus, et tabernaculum, et indumentum est; ut 2. ad Cor. c. 5., ubi Apostolus: *Si terrestris* (ait) *domus nostra hujus habitationis dissolvatur, etc.* Et paullo infra: *Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati.* Et in Judae epistola de corpore vitiis polluto dicitur: *Odientes et eam, quae carnalis est, maculatam tunicam.* Quid mirum ergo, quod et Christi humanitas relatis in locis et Templum, et Tabernaculum, et indumentum appelletur? Quod tamen intelligendum esse, quin duplex in Christo persona invehatur, ex aliis supra relatis locis manifestum est; immo ex ipsis primo loco objectis verbis D. Cyrillus colligit, cum enim Christus dixerit: *Solvite Templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud; Itaque* (infert S. Pater) *quod vivificabatur, non erat alienum, neque alicujus ex hominibus nobis similibus, sed proprium ipsius Verbi corpus.*

Objic. 2.° Apostolus de Christo inquiens ad Rom. 1., quod *praedestinatus est Filius Dei.* Non ergo natura Dei Filius, sed praedestinatione, seu adoptione, ideoque persona distinctus a Dei Verbo

Resp neg. etiam cons.; per praedestinationem namque intelligit eo loci Apostolus manifestationem, seu declarationem, ut patet ex verbis immediate sequentibus: *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi*; quia nempe ex ejus miraculis, ac praecipue ex

ejus resurrectione ex mortuis neminem latere potuit, ipsum esse Dei Filium, qui venturus erat in carne, ac tamdiu expectatus fuerat.

Objic. 3.° Quum in Scripturis Christo tribuuntur, quae humanitatis sunt, numquam talia de Deo praedicantur, sed vel de Christo, vel de Jesu, vel de Domino, vel de filio hominis; ut Matth. 1., ubi. *Liber generationis Jesu Christi filii David. . . Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus.* Et c. 28. *Venite, et videte locum, ubi positus erat Dominus.* Et Jo. 8. *Quid me quaeritis occidere hominem, qui vera locutus sum vobis.* Et c. 28. *Tulerunt Dominum meum.* Et passim alibi. Non ergo idem in Christo, qui et Deus; et homo.

Resp. neg. ant.; dum enim Jo. 1. Verbum dicitur *caro factum*; et ab eodem Joanne ep. 1. c. 3. dicitur: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit*: dumque Act. 20. ait Apostolus: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*; et ad Rom. 8. *Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum*; quibus similia alia etiam innumera in Sacris Litteris occurrunt, ut videre est *l.* 3. *c.* 5., omnibus hisce in locis ipse Deus dicitur et homo factus, et passus, et mortuus, ideoque ea, quae humanitatis sunt, de Deo praedicantur. Ideo autem in objectis locis illa loquendi ratio usurpatur, quia et nasci, et pati, et mori, et resurgere, licet fuerit Dei Verbi, qui humanam Naturam in unitatem personae sibi assumpserat, illius tamen non fuit, nisi secundum humanitatem; ex quibus proinde aliud non colligitur, quam quod in Christo duplex credenda est Natura, Divina, et humana.

Objic. 4.° D. Basilius, qui *in Serm. de Spiritu Sancto ad Amphilochinm*, nec non *in explic. Ps.* 59. appellat Christum hominem *Deiferum*. Non igitur Deus, sed tantum Deifer. Item D. Aug., qui *l.* 11. *De Civ. Dei c.* 2. ait, Filium Dei *hominem* assumpsisse. Homo autem est persona. Duplex ergo in Christo persona, scilicet Filii Dei, et hominis. Itemque D. Chrysostomus, qui *hom.* 3. *in epist. ad Heb.* diserte scripserat, Deum, et hominem *duas esse personas*.

Resp. quoad 1.m, Christum appellari hominem Deife-

rum contra Apollinarium, qui solam carnem Verbum assumpsisse, ajebat; ideoque sensu, quod Verbum et carnem assumpsit, et animam rationalem, quae praecipue naturam humanam constituit. Quoad 2.m, dixisse Augustinum, aliosque etiam Patres, Dei Filium *hominem* assumpsisse, humanitatem pro homine intelligendo; cum enim nondum exorta esset Nestoriana haeresis, necesse non erat ita praecise loqui, ut postea oportuit. Quoad 3.m, duas esse Personas, Deum, et hominem, Chrysostomum scribere adversus Iudaeos, nec non Paulum Samosatenum, et Marcellum Photinianum, Divinarum Personarum Trinitatem, ac simul Christi Divinitatem negantes; ac utrumque adversus eos probare ex illo Psalmi versiculo: *Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi, virga directionis; virga Regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te, Deus, Deus tuus;* ex quo sequitur, Christum, qui unctus est, distinguendum quoad personam esse a Patre, a quo unctus dicitur; nec non et Patrem, et Christum esse Deum, prout dicitur uterque. Ita sane in multorum sententia objectis Chrysostomi verbis satisfit. Satius tamen nobis respondendum videtur, quod cum Chrysostomi tempore fixa adhuc non fuerat significatio *hypostasis*, pro qua, ut diximus *l. 3. tract. 1. cap. 1. pag. 3.*, alii intelligebant personam, alii substantiam, seu naturam, dixerit proinde S. Doctor, Deum, et hominem in Christo duas esse hypostases, seu personas, intelligendo hypostasim pro natura; quam duplicem in Christo esse, Divinam scilicet, et humanam, in unitate personae, fides Catholica profitetur contra Eutychen, ac sequenti cap. ex proposito demonstrabimus. Ita prae caeteris ad Chrysostomi verba Flaminius Nobilius, qui jussu Gregorii XIII. Summi Pont. recognoscendis SS. Patrum, ac praesertim Chrysostomi operibus sedulo incubuit, in notis ad Chrysostomi opera.

Objic. 5.° Homo perfectus est persona humana. Christus autem est homo perfectus: Ergo et Persona humana.

Resp. dist. maj.; quod nempe homo perfectus est persona humana, si seorsim existat; at non secus. Christus autem est quidem homo perfectus, humanitatem nempe integram, et perfectam habens, quin huic desit aliqua ex perfectionibus humanitati essentialibus; quam

tamen cum Dei Verbum assumpserit, non existit seorsum, sed a Verbo completur. Falsum proinde consequens, quod sit Persona humana, verum quia a Verbo, qui illam assumpsit, mirabiliter perficitur, quin Verbum, utpote perfectissimum, et immutabile, ab illa ullatenus perficiatur, unica in Christo dicenda est Persona, eaque Verbi. Qua super re consulatur quoque quod scripsimus *tract.* 1. *cap.* 1. *pag.* 3.

Objic. 6.° Dum Verbum humanam assumpsit Naturam, illam profecto in concreto assumpsit, quidnam enim quaecumque abstracta, nisi merus foetus mentis? Humana autem Natura in concreto est persona humana: Humanam ergo personam assumpsit, quae idcirco in Christo agnoscenda est.

Resp. dist. maj.; quod nempe humanam naturam in concreto assumpsit hoc sensu, quod determinatam, ac particularem humanitatem assumpsit: non vero hoc sensu, quod humanitatem simul, et personam humanam assumpserit. Humanitas autem determinata, et particularis non est quid abstractum, ejusmodi enim dumtaxat sunt universalia, non vero determinata, et particularia.

Objic. 7.° personae definitio, quam tradit Boethius, *naturae rationalis individua substantia.* Duplex autem in Christo est individua substantia, Divina, et humana: Ergo et duplex persona.

Resp. dist. maj.; quod nempe persona est naturae rationalis individua substantia, idest ultimo completa, non autem si habeat ab altera complementum; secus enim anima rationalis a corpore separata esset persona. Sed et consulatur, quod de personae notione diximus *l.* 3. *c.* 1, *pag.* 3., *et sequ.*

Objic. 8.°, quod Felix Papa III. *ep.* 3. *ad Petrum Fullonem* proscripsit additionem Trisagio *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, *Sanctus immortalis* a Fullone factam, *qui crucifixus es pro nobis*; nec non propositionem: *Unus de Trinitate passus est*, quod et egit Hormisdas in Monachis Scythiae propositionem illam propugnantibus. Si autem Christus idem esset ac Verbum caro factum, verum utrumque esset, est enim Verbum Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, ac una ex Trinitatis Personis: Non ergo idem.

Resp. neg. cons.; quoad 1.m enim, Felix in crimen vertit Fulloni Antiochensis Sedis invasori additionem Tri-

sagio factam ob animum Theopaschitarum haeresim, qua imbutus erat, promovendi, ac sensu, quo adscriberetur passio vel toti Trinitati, vel saltem Spiritui Sancto, qui illis verbis *Sanctus immortalis* in Trisagio ad totam Trinitatem relato designatur. Ubi tamen Trisagium non ad totam Trinitatem, sed ad solum Christum referatur, nihil prorsus erroneum praefata additio continet, cum recte, et catholice enuntietur de Christo, qui crucifixus est pro nobis, quod et ter Sanctus, et Deus, et fortis, et immortalis est. Hinc cum Fulloni in exilium amandato canonice suffectus esset Calendio zelo catholicae fidei conspicuus, ad amovendum a praefata additione Fullonis errorem, et Catholicum illius sensum animis invehendum, superaddidit illis verbis, *qui crucifixus es pro nobis*, haec alia, *Rex Christe*; quibus superadditis, nonnisi ad Christum referri potest totum Trisagium, estque apprime Catholicae fidei consentaneum.

Quoad 2.m vero, catholicam quoque esse propositionem *Unus de Trinitate passus est*, nec vel Felicem, vel Hormisdam illam proscripsisse, nisi in sensu, quo usurpabatur a Theopaschitis qui, duce Fullone, ideo unum de Trinitate passum praedicabant, ut ipsam Naturam Divinam passionis dolores sustinuisse, significarent; sumentes proinde unum de Trinitate passum non *personaliter*, sed *essentialiter*: nec tantum ratione humanitatis assumptae, et communicationis idiomatum, tamquam subjectum denominationis, sed *reduplicative*, idest quatenus unum de Trinitate, etiamque tamquam subjectum inhaesionis. Hinc ajebat Felix ad Fullonem, quod Trinitatem consubstantialem in tres Deos divideret, ajendo enim Verbi naturam passiones sustinuisse, Divinam Verbi Naturam ab impassibili Divinitate Patris, et Spiritus Sancti distingui, sequebatur. Hormisdas vero, ne Theopaschitarum haeresi fomentum daretur, jussit tantum, praefatam propositionem silentio supprimi, utque illi suggesserat Dioscorus Diaconus, Monachis Scythiae propositionis illius professionem nimio studio urgentibus responsum dari: *Sufficit Sanctum Chalcedonense Concilium, in quo et aliae Synodi continentur. Sufficiunt epistolae Papae Leonis, quas Synodus confirmavit. Novitatem in Ecclesia introducere nec volumus, nec debemus.*

Utrumque autem, tam scilicet Trisagium cum praefata additione, quam propositionem *Unus de Trinitate*

passus est, fidei consentaneum esse, ex dictis sequitur. Hinc dum ob temporum circumstantias reprobatum utrumque fuerat a Felice III., et ab Hormisda, in sensu scilicet Theopaschitarum, mutatis temporum circumstantiis, utrumque approbatum fuit a Joanne II. adversus Nestorianos, quippe quod utrumque evidenter consequens ex eo, quod fides Catholica contra illos docet; *Unum enim* (inquit ep. 3. ad Senatores) *ex Sancta Trinitate Christum esse*, *hoc est unum de tribus Sanctae Trinitatis Personis*, docet fides catholica. Ait proinde Synodus V. Gen. can. 10., *Si quis non confitetur Dominum Jesum Christum, qui crucifixus est carne, Deum esse verum, et unum de Sancta Trinitate, anathema sit.* Item Concilium Lateranense sub Martino I. can. 2., *Si quis* (ait) *non confitetur proprie, et secundum veritatem ipsam, unum Sanctae, et venerandae Trinitatis Deum Verbum e Coelo descendisse, et incarnatum ex Spiritu Sancto ex Maria semper Virgine, et hominem factum, crucifixum carne, etc, etc., condemnatus sit.* Fidem quoque de uno ex Trinitate passo probavit Joannis II. successor Agapetus ep. ad Justin. his verbis: *Huic quisquis contradicere praesumpserit, a Catholica communione se noverit alienum*, quia enim fides catholica docet contra Nestorium, Dominum nostrum Jesum Christum unam cum Deo Verbo esse Personam, quemadmodum proinde est de fide catholica, Christum passum, et crucifixum esse, ita unum de Trinitate passum, et crucifixum esse, de fide etiam catholica est dicendum; cavendumque solum, ne subjectum propositionis *unus de Trinitate* sumatur vel reduplicative, idest quatenus unus de Trinitate, sumendum enim est simpliciter; vel essentialiter, et substantialiter, sumendum enim est notionaliter, et personaliter; vel ita demum, ut significet simul subjectum denominationis, seu attributionis, et subjectum inhaesionis, seu susceptionis, sumendum enim est, ut significet tantum subjectum denominationis, seu attributionis. Quia tamen propositio in obvio, ac nativo sensu accepta priores omnes significationes excludit, ideo etiam in obvio, ac nativo sensu accepta verissima est, et catholica. Excludit nempe 1.m, nulla enim in ea exprimitur reduplicatio, insique dumtaxat adderetur. Excludit 2.m, sicut enim illud Dei dictum Geneseos 3. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est* juxta genuinam, omnibusque probatam interpretationem idem sonat,

ac unam ex tribus Sanctae Trinitatis Personis, ideoque non essentialiter, et substantialiter, sed notionaliter, et personaliter in ipsis Sacris Litteris accipitur, ita *unus de Trinitate passus, et crucifixus est*, neque etiam essentialiter, et substantialiter, sed notionaliter, et personaliter debet accipi, ejusdem quippe vis est vox *unus* in hac locutione *unus de Trinitate*, ac in ista Dei de se loquentis sententia *Ecce Adam, quasi unus ex nobis*. Cui accedit, quod Natura Divina est quid unum juxta illud Christi *Ego, et Pater unum sumus*, nec *unus* dici potest, quin addatur Deus, vel aliud aequivalens, absque eo quod praestetur favor haeresi Sabellianae, juxta quam diceretur quoque unus subsistens, seu una Persona; ex quo sequitur, quod ubi de Trinitate agatur vox *unus* sine adjuncto *Deus*, aut alio aequivalenti, nec exprimit, nec exprimere potest Naturam Divinam, sed tantum unam ex Personis Divinis. Excludit 3.m; quod enim *unus de Trinitate* subjectum tantum denominationis, seu attributionis significet, cuivis consideranti patet, innumerisque exemplis confirmari posset; ut quum dicitur: *Petrus passus est*, etc.

Prop. IV. Beata Virgo verissima Jesu Christi Mater verissime etiam appellatur, et appellanda est Deipara. Est de fide.

Prob. Et 1.º ex Scripturis; ut ex illis Apostoli verbis ad Rom. 1., ubi de Filio Dei ait: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*, Est autem ex semine David, quatenus B. Virginis Filius: Idem ergo Dei Filius est simul B. Virginis filius, quae proinde dicenda est Dei Mater. Item ex ep. ad Gal. c. 4., ubi, Filium Dei *factum ex muliere*, inquit. Idem autem dictu est, Filium Dei factum esse ex muliere, atque hanc concepisse et genuisse Dei Filium; idemque dictu est, B. Virginem concepisse, et genuisse Dei Filium, ac esse Filii Dei Matrem. Rursum ergo dicendam eam esse Deiparam, manifestum est. Non semel demum B. Virgo Mater Christi appellatur; ut Matth. 1. *Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph.* Et c. 2. *Invenerunt puerum cum Maria Matre ejus.* Et paullo post: *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens. Surge, et accipe puerum, et Matrem ejus. 5. Qui consurgens, accepit puerum, et Matrem ejus.* Item Lucae 1. *Exclamavit voce magna* (Elisabeth), *et dixit. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me.* Item Jo. 2. *Nuptiae factae*

sunt in Cana Galilaeae, et erat Mater Jesu ibi. Et c. 19. *Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus . . . Cum vidisset ergo Jesus Matrem . . dicit Matri suae.* Itemque alibi. Christus autem verus, ac summus est Deus: Et B. Virgo igitur Deipara. Hinc Joannes Antiochenus ajebat ad Nestorium in epistola illi exarata ante Ephesinum Concilium, ut Deiparae nomen profiteretur: *Nomine hoc* (Deiparae) *sublato, vel hujus potius nominis notione repudiata, sequitur mox, illum non esse Deum, qui admirabilem illam dispensationem nostrae salutis causa suscepit; tum Dei Verbum neque se exinanivisse.* Sive, ut idem diversimode dicamus: Filius, et Mater, ideoque etiam Deus Filius, et Deipara sunt correlata; ex quo sequitur, quod si alterutrum neges, alterum quoque neges, necesse est; quodque, ut B. Virgo non diceretur Deipara, vel dicendum esset, non esse veram Christi Matrem, vel Christum non esse verum Deum. Utrumque autem manifeste Scripturis adversatur, quae et B. Virginem veram Christi Matrem, et Christum verum Deum praedicant: Ut Christus ergo vere Deus, ita et B. Virgo vere Deipara dicenda est. Aliter quoque: Vel is, quem B. Virgo genuit, est vere Deus, vel non. Hoc dictu nefas, si enim vere Deus non est, neque etiam Incarnationis Mysterium amplius subsistit, et falso Joannes scripsit, quod *Verbum caro factum est,* quod dictu nefas: Vere ergo Deus is, quem B. Virgo genuit, ideoque et haec vere Deipara.

Prob. 2.° ex Conciliis; ita enim Nicaenum, et Constantinopolitanum I. in Symbolo fidei, juxta quod Jesus Christus, Filius Dei Unigenitus, consubstantialis Patri, ac Deus verus de Deo vero, ex Maria Virgine incarnatus, et homo factus est. Ita quoque Ephesinum D. Cyrilli anathematismos probans, quorum primus, *Si quis* (ait) *non confitetur, Emmanuelem vere Deum esse, et ob id Sanctam Virginem Deiparam (genuit enim illa incarnatum Dei Patris Verbum secundum carnem), anathema sit.* Ac ita quoque Chalcedonense, et Costantinopolitanum II., in quibus Patres praecedentium Conciliorum fidem se profiteri, declaraverunt.

Prob. 3.° ex Patribus, qui essent innumeri, *etenim nomen hoc Theotocos* (ut ajebat Joannes Antiochenus in laudata ad Nestorium epistola) *nullus umquam Ecclesiasticorum Doctorum repudiavit.* Satis proinde sint D. Igna-

tius M. in ep. ad Ephesios: *Deus noster Jesus Christus* (inquiens) *ex Maria genitus* est. Item Mart. Justinus in Apologetico: *Verbum* (inquiens) *formatus est, et homo factus ex Virgine.* Item D. Dionysius Alexandr. ita scribens in ep. ad Paulum Samos. *Quomodo ais tu hominem esse eximium Christum, et non revera Deum, et ab omni creatura cum Patre, et Spiritu Sancto adoratum, incarnatum ex S. Virgine, et Deipara Maria?* Item D. Athanasius orat. 3. cont. Arianos: *Hunc scopum* (inquiens), *et characterem S. Scripturae esse, ut duo de Salvatore demonstret; illum scilicet Deum semper fuisse, et filium esse . . . ipsumque postea propter nos carne ex Virgine Deipara Maria assumpta hominem factum esse.* Item D. Gregorius Nazianz. orat. 51. *Si quis* (inquiens) *S. Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem est.* Quibus non contentus, qui plura cupit, adeat Petavium l. 3. De Incarnat. c. 14., et 15.

Prob. demum duplici ratione; 1.° enim ex ostensis tum prop. ant., tum *l.* 3. *c.* 5. *pag.* 72., ubi Christum, non adoptione, sed natura Dei Filium esse, late ostendimus, nefas est in Christo filium hominis a Dei Filio dividere, sed unus, idemque Christus et Dei, et hominis est filius; Dei Filius scilicet a diebus aeternitatis, ac deinde in tempore hominis Filius ob humanitatem vere, et personaliter sibi assumptam. Est autem hominis filius ex B. Virgine, quae proinde ejus Mater est: Et haec ergo Mater Filii Dei, ideoque Deipara. Deinde eodem plane modo dicenda est B. Virgo Dei Mater, etsi non genuerit Divinitatem, quemadmodum aliae Mulieres dicuntur filiorum suorum Matres, etsi eorum animam non genuerint, si prout corpus, et anima in homine personaliter uniuntur, ita etiam duplex Christi Natura, Divina, et humana, uniuntur quoque in eo personaliter. Ex ostensis autem prop. ant., prout corpus, et anima in homine personaliter uniuntur, ita etiam duplex Christi Natura, Divina, et humana, uniuntur quoque in eo personaliter: Æque igitur B. Virgo dicenda est Dei Mater, etsi non genuerit Divinitatem, quemadmodum aliae Mulieres dicuntur filiorum suorum Matres, etsi eorum animam non genuerint: *Etsi Mulieres istae* (ita apposite D. Cyrillus in ep. ad Monachos) *nonnisi terrenorum sint corporum Matres, nihilominus cum totum animal pepererint ex anima, et corpore compositum, non solam ejus partem peperisse dicuntur.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Nullibi Scripturarum vocatur B. Virgo Deipara. Non ergo hoc ei nomen tribuendum. Quare et ab eo abstinuit Concilium Chalcedonense, quamvis nonnulli id postularent.

Resp. dist. ant.; quod nullibi Scripturarum scilicet Deiparae vox conceptis verbis illi tribuitur; utique tamen in iis illi tribuitur quod per ipsam formaliter significatur, ut ex ostensis patet. Concilium vero Chalcedonense ab illa voce Symbolo adjicienda abstinuit, quia necessarium non duxit eam Symbolo inserere, prout postulabatur; dum simul eum ipsum, qui ex Patre natus est ante omnia saecula, expressis verbis definiit, incarnatum, et hominem factum esse ex Maria Virgine; quod satis erat.

Objic. 2.° D. Hilarius l. 10. de Trin. n. 16., ubi ait: *Non enim corpori* (Christi) *Maria originem dedit, licet ad incrementa, partumque corporis omne, quod sexus sui est naturale, contulerit.* Cum autem Christi corpori originem non dederit, neque etiam Dei Mater dicenda est: Non ergo Deipara.

Resp. 1.°, quod argumentum nimis probat; ex eo enim sequeretur, si quid valeret, B. Virginem neque etiam Christi Matrem dicendam esse. Sed et resp. 2.°, nihil aliud Hilarium praefatis verbis voluisse exprimere, quam quod B. Virgo Christum concepit, non vi propria, sed Spiritus Sancti virtute, ut patet ex ipso contextu; subdit enim, utique *ad incrementa, partumque corporis omne, quod sexus sui naturale est, contulisse.* Additque n. 22., Christum *per se sibi assumpsisse ex Virgine corpus.* Id porro sufficit, ut ejus Mater vera dicatur, cumque Christus sit vere Deus, vere dicatur Deipara; neque enim Matres vulgares primariam originem filiorum suorum corporibus suppeditant, et tamen vere eorum Matres appellantur.

Objic. 3.° Nequaquam profecto B. Virgo Divinitatem peperit. Neque ergo, nisi per abusum vocum, Deipara.

Resp. neg. cons.; neque enim Mater in humanis animam rationalem gignit, et tamen vere Mater est ejus, quem genuit, quia corpus, quod genuit, simul cum anima rationali, qua fuit a Deo informatum, unus est homo, seu una hominis persona; nec umquam aliquis

ait, quod sint tantum Matres corporum, sed personarum, in quibus corpora ab ipsis edita unita sunt animabus. Æque ergo, quoniam humanitas, et Divinitas Christi unus est Christus, seu una Verbi Dei Persona, quae simul est et verus Deus, et verus homo, licet quoque B. Virgo ejus Divinitatem non genuerit, vere tamen est Dei Mater, quia genuit carnem in unitatem personae a Dei Verbo assumptam.

Objic. 4.° Est de Matris ratione, quod Filio sit consubstantialis; ex quo sequitur, idem dictu esse, B. Virginem esse Deiparam, ac Deo esse consubstantialem, seu Deum. Hoc dictu nefas: Et dictu ergo nefas, quod sit Deipara.

Resp. dist. maj.; quod nempe est de Matris ratione, ut sit Filio consubstantialis aliqua ex parte, non vero omni ex parte. Hinc cum B. Virgo Christum genuerit secundum carnem a Verbo in unitatem personae assumptam, eique idcirco utique secundum carnem sit consubstantialis, satis id est, ut vere dicatur Deipara. Quod si exemplo ex creatis petito nequit id perfecte illustrari, mirum esse non debet; ut enim inquit D. Augustinus scribens hac super re ad Volusianum: *Hic si ratio quaeritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse: In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.*

CAPUT III.

De distinctione duarum Naturarum in Christo, absque ulla earum confusione adversus Eutychen.

Diris per Ephesinam Synodum tradita Nestorii haeresi, en decem circiter post annos, circa annum nempe 441., serpere, Ecclesiamque divexare incoepit opposita Eutychetis haeresis; qui eodem principio, quo Nestorius, deceptus, tot nempe esse hypostases, quot naturas, sicut Nestorius proinde ex duplici in Christo natura duplicem in eo personam invexit, ita Eutyches ex unitate personae unitatem quoque naturae in eo intulit; ante unionem, inquiens, duas quidem fuisse tum naturas, tum hypostases, post unionem tamen in unam ambas coaluisse tum naturam, tum hypostasim, nec proinde carnem Christi

fuisse nobis consubstantialem. Hinc tres professus fuit errores totidem fidei dogmata perimentes: 1.° scilicet, quod in Christo prius fuerit homo, quam Deus, quod ipsemet in Nestorio insectatus fuerat, *Arbitror* (ita de eo D. Leo Magnus ep. 25. ad Iulianum Coensem), *eum talia loquentem hoc habere persuasum, quod anima, quam Salvator assumpsit, prius in Coelis sit commorata, quam de Maria Virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero copularet.* 2.° quod Christus non fuerit secundum carnem B. Virgini consubstantialis, ex quo sequebatur, quod neque haec dicenda esset Deipara; quodque et ipse Nestorio in crimen verterat. 3.° quod natura, et hypostasis haberi debeant, tamquam unum idemque; ex quo erroneo principio sicut Nestorius, ut diximus, duplicitatem personae ex duplicitate naturae, ita ipse unitatem naturae ex unitate personae inferebat. Quae ut Theodoreti illius aevi Scriptoris auctoritate confirmemus, ita ab eo in quodam Dialogo Eutychianum inter et Orthodoxum inducitur loquens Eranistes, Eutychiani personam gerens: *Ex duabus naturis dico Christum, duas vero naturas non dico.* Ad quae Orthodoxus: *Nempe tu naturae utriusque propria non fateris?* Respondet Eranistes: *Post unionem nequaquam.* Orthodoxus pergit: *Doce nos, quomodo unam post unionem dicas naturam?* Eranistes: *Dico, mansisse Divinitatem, ab hac vero absorptam esse humanitatem, ut si mare guttam mellis accipiat, statim enim gutta illa evanescit maris aquae permixta . . . Non dicimus, deletam esse naturam, quae assumpta est, sed mutatam esse in substantiam Divinitatis.* Quare et Eutyches fidei suae rationem reddens in Concilio Constantinopolitano sub Flaviano, dum unam profitebatur Domini nostri, peracta adunatione, naturam, nec voluit cum D. Cyrillo addere *incarnatam*, nec voluit anathema dicere negantibus, Christum, carnis habita ratione, et nobis, et B. Virgini esse consubstantialem. Cumque eum sic urgeret Basilius Seleuciensis: *Si non duas naturas post adunationem dixeris, confusionem, et commixtionem dicis*, consectarium istud Eutyches non rejecit. Hinc quoque in mente Eutychetis phantasticum tantum, et umbratile corpus Christus gessit, non reale, ac solidum; cum enim humanitas fuerit juxta eum a Divinitate absorpta, ac sola remanserit Verbi Dei Natura, quid inde consequens,

nisi, quod quidquid in eo humanum videbatur, non reale, ac solidum, sed phantasticum fuerit, et umbratile? *Dei Filium* (ita proinde laudatus D. Leo de Eutychete l. cit.) *sic de utero Virginis praedicat natum, ut humani quidem corporis speciem gesserit, sed humanae carnis veritas Verbo unita non fuerit.*

Caeterum an post unionem Divina in humanam, vel potius humana in Divinam conversa fuerit, Eutyches expresse non definiit. Ex disputatione tamen cum Catholicis adstricti fuerunt ejus gregales id definire; atque in duas sententias abierunt; aliis ex iis ajentibus, duce Iuliano Halicarnassensi Episcopo, quod Divina humanam absorpserit; aliis, quod ex utraque tertia quaedam eruperit; cumque a Petro Moggo, quem illi in Sedem Alexandrinam intruserant, recessissent, eo quod Moggus in Chalcedonensem Synodum anathema intorquere cunctaretur, eamque prius a se rejectam recipere deinde simularet, dicti fuerunt *Acephali*, idest sine Capite. Ex alia item eos inter disputatione, an unica haec in Christo Natura passibilis, vel impassibilis fuerit, ambae etiam aliae Eutychianorum sectae erupere, *Corrupticolarum*; et *Incorrupticolarum*. Nimirum Corrupticolarum, qui, duce Petro Gnaphaeo, seu Fullone, Antiochensi Episcopo, et Severo Monacho, qui et postea Anastasii Imp. tempore in locum Flaviani Episcopi Antiocheni malis artibus suffectus fuit, carnem Christi passibilem fuisse asserebant; ac Deum ipsum Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum passum fuisse, ajendo, dicti etiam fuerunt *Theopaschitae*, quare et Trisagio *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, *Sanctus Immortalis* illa addiderunt verba, *qui passus es pro nobis*: Incorrupticolarum vero, qui impassibilem fuisse Christi carnem cum Juliano Halicarnassensi profitebantur. Quare et Corrupticolae dicti fuerunt *Severiani* a Severo Monacho; Incorrupticolae *Iulianistae* a Iuliano Halicarnassensi. Ex Acephalis demum prodiere *Iacobitae* a Iacobo quodam Syro sic nuncupati; quod hodie nomen commune est omnibus tum Nestorianis, tum Eutychianis, in Ægypto, et per totum Orientem degentibus.

In Eutychianam autem haeresim primi omnium fidei vexillum extulere Eusebius Dorilaeae in Phrygia Episcopus, et Flavianus Patriarcha Constantinopolitanus, qui coacta ad id Synodo anno 448., cum Eutyches ad eam accitus pertinax in suis erroribus mansisset, illum tum

Sacerdotio, tum Monasterii, cujus erat Archimandrita, praefectura exauctoravit; subscribentibus Synodo Episcopis 32., et Archimandritis 22., delatisque subinde Synodi Actibus ad Leonem Magnum, qui Summum tunc temporis Pontificatum gerebat. Quia tamen favebant Eutycheti tum Chrysaphius in Aula Theodosii Junioris Eunuchus, tum ipsa Eudoxia Augusta, obtinuit Eutyches, ut ejus causa rursum ageretur in Generali Synodo, quae Ephesi congregata fuit, ubi 130. Episcopi convenerunt. Ad eam tamen cum Leo Summus Pontifex misisset Julium Episcopum, et Hilarium Diaconum, qui ejus vices gererent; his posthabitis, omnia contra jus, et fas acta fuere; praefuerunt enim Concilio Dioscorus Alexandrinus, tum et Domnus Antiochenus, et Iuvenalis Hierosolymitanus amici Eutychetis; exclusi ab eo fuere tum Theodoretus, tum alii, qui de jure admitti debuerant, quia in Synodo Constantinopoli sub Flaviano habita sententiam contra Entychen dixerant; ex quibus Flavianus, qui omnium maxime Eutycheti restiterat, habitus fuit, non tamquam Judex, sed rei loco: cumque ad Leonem Summum Pontificem provocasset, adeo a Dioscoro, et Barsuma impio Monacho pugnis, et calcibus percussus fuit, ut triduo post, dum in exilium ageretur, Epypae in Lydia Martyr occubuerit. Adeo denium minis, verberibus, clamoribus, militibus quoque medio in Concilio adhibitis omnia completa fuere, ut Latrocinium Ephesinum appellatum fuerit: turpiter namque superatis Episcopis metu depositionis, exilii, etiamque mortis, solis exceptis Apostolicae Sedis Legatis, absolutus in eo fuit Eutyches, Synodus a Flaviano habita diris tradita, ac Orthodoxa fides submota. et convulsa.

Proditionis hujuscemodi certior Leo factus aliam jussit Generalem Synodum congregari, quae, relegato Chrysaphio, et Eudoxia Hierosolymas abire coacta ab ipso Theodosio, atque hoc paullo post vita functo, indicta primum fuit Nicaeae in Bythinia, sed; postea, postulantibus Leonis Legatis, congregata fuit Chalcedone anno 451., adnitentibus Pulcheria Augusta, et Marciano Principe Religiosissimo, quem Pulcheria sibi, salva Virginitate, conjugio junxerat. In hac itaque Synodo, in qua ex Universo Terrarum Orbe Episcopi supra sexcentos interfuere, rescissis Ephesini Latrocinii Actibus, depositoque Dioscoro, Eutychetis haeresis damnata fuit, ac ita contra

eam Synodus definiit act. 5: *Sequentes igitur Sanctos Patres, unum, eumdemque confiteri Filium, et Dominum nostrum Iesum Christum, consonanter omnes docemus; eumdem perfectum in Deitate, et eumdem perfectum in humanitate, Deum verum, et hominem verum, eumdem ex anima rationali, et corpore, consubstantialem Patri secundum Deitatem, consubstantialem nobiscum secundum humanitatem: ante saecula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eumdem propter nos, et propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei Genitrice secundum humanitatem, unum, eumdemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus Naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam, atque subsistentiam concurrente.* Ait autem Synodus, *in duabus naturis*, ut omnino declinaretur ab Eutychianorum haeresi, qui Christum ex duabus naturis praedicabant, sed quae post unionem in aliquam tertiam coaluerint: cum e contrario juxta fidem catholicam praedicandum sit, quod Verbum Divinum humanam naturam assumendo in unitatem personae, nullatenus differentia naturarum sublata fuit, sed utraque suas proprietates, integritatem, seu perfectionem servavit; ex quo sequitur, Christum agnoscendum esse in duabus naturis *inconfuse*, *et immutabiliter* contra Eutychetem, ac simul *indivise*, *et inseparabiliter* contra Nestorium. Ejusmodi Chalcedonensis Synodi definitione fides emicuit; cumque non remansissent amplius latebrae, ubi tum Nestoriani, tum Eutychiani se absconderent, edidit, suadente Acacio Patriarcha Constantinopolitano, Zeno Imperator anno 482. solemne Edictum, quod *Henoticon*, seu unitivum appellatum fuit; quo, laudatis Synodis tum Ephesina, tum Chalcedonensi, damnatisque tum Nestorio, tum Eutychete, vetitum omnibus fuit, unam, vel duplicem Naturam in Christo asserere. Si tamen hoc Imperatoris temperamentum recepit Acacius Constantinopoli, Petrus Moggus Alexandriae, et Petrus Gnaphaeus Antiochiae, rejiciendum illud duxit, rejecitque Felix Papa III., ejusque Auctorem Acacium Sacerdotio, et communione privavit: cui Acacius cum audacter vicem rependerit, Felicis nomen e sacris Dyptichis abradens, desiit per annos fere 35. Romam in-

ter, et Constantinopolim communio, donec sub Hormisda Summo Pontifice restituta fuit. His praemissis, sit

Prop. Duae in Christo agnoscendae sunt Naturae, Divina scilicet, et humaua, ab se invicem distinctae, et impermixtae. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; ac primum omnium ex Jo. 1., ubi; *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum. . . Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Quid autem clarius, ut disserit D. Leo in ep. ad Flavianum lecta in act. 2. Conc. Chalc.; quam quod *Deus per id; quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum; homo per id; quod Verbum caro factum est, et habitavit in nobis?* Duplex ergo in Christo Natura, Divina scilicet, et humana, eaeque ab se invicem distinctae, et impermixtae. Item ex eo, quod Christus de se ait Jo. 3. *Nemo ascendit in Coelum, nisi qui descendit de Coelo, Filius hominis, qui est in Coelo.* Nisi autem duae in eo essent distinctae, et impermixtae naturae, Divina, et humana, neque etiam de se asserere potuisset, ascendere, et descendere, ac simul esse in Coelo, descendit namque, et ascendit ratione humanitatis assumptae, manens simul in Coelo ratione Divinitatis, quae humanitatem assumpsit. Rursum ergo utraque in eo Natura, suasque utraque servans proprietates, ac distinctionem ab altera. Item ex eo etiam, quod de se ait Jo. 10., et 14: *Ego, et Pater unum sumus.* Et: *Pater major me est.* Ut autem laudatus D. Leo disserit in eadem ad Flavianum epispola, *non ejusdem naturae est dicere, Ego, et Pater unum sumus: Et Pater major me est,* non enim unum cum Patre esset; nisi natura Deus; nec Patre minor, nisi natura homo, utramque scilicet naturam Divinam, et humanam revera habens. Utraque ergo in eo est revera agnoscenda, quin unio ullius causa fuerit confusionis unius cum altera.

Accedit quod Joannes ait ep. 1. c. 1. *Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae, etc.* Duplex ergo in Christo natura; scilicet Verbi, quae cum absolute de eo praedicetur, absolute etiam in eo agnoscenda est; et humana, quae cum dicatur et oculis visa, et manibus attrectata, etc., realiter quoque, ac solide in eo est credenda. Item quod scripsit c. 3. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam*

pro nobis posuit. Agnoscenda in eo igitur Natura Divina, quia Deus, ac simul natura humana, ratione cujus animam pro nobis posuit.

Accedunt quoque Apostoli verba ad Philipp. 2.: *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus, ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*. Porro per formam Dei Naturam Divinam intelligendam hoc loco esse, ex eo patet, quod per eam dicitur Christus *esse aequalem Deo*; sicut per formam servi Naturam humanam, ex eo quod per eam dicitur *in similitudinem hominum factus, et habitu inventus, ut homo*, idest caeteris hominibus similis, atque humanitatis statu indutus. Nec infrequens est apud ipsos Sacros Scriptores formae nomen pro natura intelligi, ut patet tum ex Gen. 1., ubi Deus dicitur *formasse* Coelum, et Terram, homines, et animantia, eorum scilicet condidisse naturam; tum Deut. 4., ubi, *formam Dei* (ait Moyses) *penitus non vidistis*, tum Isaiae 44., ubi nemo dicitur *Deum formasse*, etc. En quoque igitur in Christo et forma, idest Natura Dei, et forma servi, idest Natura humana; quae cum distincte de eo praedicentur, distincte etiam in eo agnoscendae sunt.

Ex ostensis demum *l.* 3. *c.* 5., est Christus perfectus Deus; ac simul ex ostensis in hoc tract. c. 1. homo perfectus; Unigenitus nempe in sinu Dei Patris permanens, ipsiusque proprius, et naturalis filius, veramque, ac solidam carnem anima, ac mente humana informatam habens. Idem autem dictu est, quod perfectus Deus, perfectusque homo est, quodque agnoscenda in eo est Natura Divina, ac simul Natura humana, in suis utraque proprietatibus perfecta, et integra; si enim in unitione unica ex ambabus coaluisset, nec Divina haec esset, nec humana, ideoque Christus nec perfectus Deus, nec perfectus homo esset: Patet ergo propositum. Ex ostensis quoque c. ant., vere B. Virgo dicenda est Deipara. Non autem Deipara, nisi quia Christus ab ea genitus et perfectus Deus, et perfectus homo est, duplicem habens Naturam, Divinam, et humanam, ac integram utramque, et perfectam, quin unio eas transmutaverit. Quae cum Sacrarum Litterarum auctoritate in aperto posuerimus,

magis proinde ex iis, magisque duplex in Christo Natura agnoscenda est.

Prob. 2.° ex Conciliis; praeter Nicaenum namque, et Chalcedonense, quorum verba retulimus, accedit Constantinopolitanum II, ubi Anatolius Constantinopolitanus, aliique PP., dicto anathemate Nestorio, et Eutycheti: *Catholica fides* (dixere), *et ante Incarnationem unam tantum Verbi fuisse, et post Incarnationem duas, idest Verbi, et perfecti hominis; fatetur in una persona, inconfusa proprietate sui, manere naturas.* Et can. 8. *Si quis ex duabus naturis Deitatis, et humanitatis confitens unitatem factam esse, vel unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, non sic ea excipit, sicut Patres docuerunt, quod ex Divina Natura, et humana, unione secundum substantiam facta, unus Christus effectus est, sed ex talibus vocibus unam naturam, sive substantiam Deitatis, et carnis Christi introducere conatur; talis anathema sit.* Quod et credendum proposuere in definitione fidei Constantinopolitanum III., et Nicaenum II.

Prob. 3.° ex PP., quorum permulta testimonia consuli possunt l. 3. c. 5.; quibusque hic addimus D. Hilarium l. 9. de Trinit. ubi: *Nescit vitam suam* (inquit), *qui Christum Jesum, ut verum Deum, ita et verum hominem ignorat.* Item D. Greg. Naz. orat. de Nativ., ubi: *Missus est quidem* (ait), *sed ut homo, duplex enim erat in eo natura.* Item D. Ambrosium l. 2. de fide ad Gratian. c. 4., ubi: *Idem Deus* (inquit), *idem homo. Per Divinitatem Deus; per susceptionem carnis homo . . . Servemus distinctionem humanitatis, et carnis.* Item D. Augustinum ep. ad Volusianum: *Inter Deum, et homines Mediator apparuit, in unitate personae copulans utramque naturam.* Aliisque praetermissis, ita demum D. Cyrillus Alex. l. de Incarnat. c. 13. *Unum, eumdemque Jesum Christum dicimus, non ignorantes differentiam naturarum, sed eas inconfuse inter se servantes.*

Prob. 4.° duplici ratione theologica; 1.° enim si ex duabus Naturis, Divina, et humana, una in Christo esset Natura, id profecto esset, vel quia Divina absorpsisset humanam; vel quia Divina in humanam versa esset; vel quia ab utraque Natura, propria integritate amissa, orta esset tertia ab illis duabus diversa; vel tandem, quia utraque Natura suam servante integritatem, ambae in unam quoque compositam coaluissent. At non primum,

*

ex eo enim sequeretur, vel quod Christus vere non esset natus, passus, Cruci affixus, ac mortuus; vel haec omnia ipsi ejus Divinitati tribuenda essent. Utrumque autem dictu nefas, humanaeque Redemptionis Mysterium subvertit, non enim Christus Redemptionis opus complere, nisi per solam humanitatem potuit; quae tamen a Divinitate absorpta non amplius extitisset. Non alterum, utpote aperte cum Divina immutabilitate pugnans. Non tertium, tum quia etiam Divinae immutabilitati aperte adversum; tum quia, propria integritate ab utraque Natura amissa, ubi amplius Christus et verus Deus, et verus homo, ac nonne potius quid tertium essentialiter diversum a Deo, et homine? Nec demum quartum, cum nulla haberi possit vera compositio, quin partes naturalem habitudinem ad se invicem dicant, ac sese mutuo perficiant. Nullam autem naturalem habitudinem ad se dicunt Natura Divina, et Natura humana, nec sese mutuo perficere possunt, sed tantum humana a Divina perfici, non tamen Divina ab humana. Cui accedit, quod si Natura Divina, et Natura humana in quamdam tertiam compositam coaluissent, consequens quoque esset, quod Christus nec simpliciter Deus, nec simpliciter homo dici posset, sicut homo dici nequit aut simpliciter córpus, aut simpliciter anima; sed dicendus esset Divinus, et humanus; sicut homo ob corpus, quod gestat, dicitur corpus, et ob animam, a qua informatur, dicitur rationalis. Quibus perpensis, duplex in Christo Natura, Divina scilicet, et humana, agnoscenda est; ac utraque in suis proprietatibus perfecta, et integra, atque ab altera distincta.

Deinde, ut disserit D. Thomas *l. 4. contra Gentes*, quaecumque uniuntur ad unum quid constituendum, vel aggregatione tantum uniuntur, ideoque morali tantum modo, et per accidens, ut acervus lapidum, arenarum cumulus, etc.; vel uniuntur hypostatice, seu personaliter, ut anima, et corpus: cumque unio in Christo inter Divinam, humanamque Naturam non sit primi generis ex ostensis cap. ant. contra Nestorium, restat, ut secundi generis dicatur, idest unio secundum hypostasim. Unio autem secundum hypostasim necessario postulat naturarum distinctionem, quum una nequeat in alteram converti, nec cum altera misceri, ut ex iis tertia quaedam resultet, quae ambo habentur in unione Naturae Divinae cum humana in Christo; 1.° enim nec Natura Divina converti

potuit in humanam, nec humana in Divinam tum ob immutabilitatem, tum ob infinitatem, quae exulare non poterant a Divina, quasque humana non poterat suscipere. 2.° alteram cum altera misceri neque etiam compossibile erat cum Naturae Divinae immutabilitate, nequit enim mixtio, ex qua tertium quid exurgat, absque partium mutatione evenire: Unio igitur Divinae Verbi Naturae cum humana peracta in Incarnatione fuit, salva Naturarum Divinae, et humanae distinctione; quae proinde in Christo distincte agnoscendae sunt.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Quum in Graecis Codicibus legitur Gen. 19., quod uxor Loth *facta est columna salis*; et Exodi 4., quod virga Moysis *facta est serpens*; et Jo. 2. *aqua vinum facta* in Nuptiis Canae Galilaeae, uxorem Loth in columnam salis, Virgam Moysis in serpentem versam (ut et Codex Latinus utrobique legit), ac demum aquam in vinum transmutatam intelligimus. Quod cum ita sit, aeque etiam quum legimus Jo. 1., quod *Verbum caro factum est*, intelligere id debemus per conversionem, seu transmutationem Divinitatis in carnem, cum verba verbis respondeant: Ita igitur; ideoque una in Christo natura agnoscenda est.

Resp. neg. sequ. min.; quomodo enim aliquid factum dicatur, ex natura rei, quae facta dicitur, intelligendum est, quippe quod vox *fieri* non semper significat conversionem, seu transmutationem, sed saepe etiam accessionem, ut quum Gen. 2. Adam dicitur *factus in animam viventem*, quumque aliquis dicitur Consul factus. Sicut proinde quum dicitur Verbum mentis vox factum, id profecto non accipitur, quasi verbum mentis, quod est spirituale, conversum fuerit in sonum sensibilem, sed, ut ait D. Aug. serm. 187., quod *assumpta carnis voce procedit ad audientem, et non deserit cogitantem*; ita quum dicitur Verbum Divinum caro factum, intelligendum id est per accessionem novae formae, seu Naturae, quam Verbum assumpsit. Hinc ipse D. Joannes subdit: *Et habitavit in nobis*; ad innuendam nempe Naturarum diversitatem post ipsum Incarnationis Mysterium, ut scite advertit D. Joannes Chysostomus hom. 11. in Jo.: *Quid enim subjicit* (ait S. D.): *Et habitavit in no-*

bis? Tamquam sic te alloqueretur : Vide, ne quid absurdi suspiceris ex illa voce. Non enim mutationem ullam immutabilis illius naturae significari, sed habitationem, et commorationem. Porro id, quod habitat, non est idem cum eo, quod habitatur, sed diversum. Quo idcirco Joannis loco et Nestorii, et Eutychetis haeresis profligatur; ex eo nempe, quod ait: *Et Verbum caro factum est*, unitas personae in Christo, eaque Dei Verbi, ostenditur, cum numquam de iis, quae persona distinguuntur, dici possit, quod unus factus est alter. Ex eo vero, quod subditur: *Et habitavit in nobis*, naturarum differentia post ipsum Incarnationis Mysterium, cum numquam id, quod habitat, idem natura dici queat cum eo, quod habitatur.

Nec prorsus aliquid allata exempla adversantur; utique enim per Dei potentiam et uxor Loth in statuam salis, et virga Moysis in colubrum, et aqua in vinum in nuptiis Canae Galilaeae converti potuit; at non item in Incarnatione immutabilis Dei Verbi Natura converti potuit in humanitatem: quo et posito, sicut uxor Loth in statuam salis versa desiit esse mulier, virga Moysis in serpentem versa desiit esse virga, aqua in vinum versa desiit esse aqua, ita et Verbum in Incarnatione Deus esse desiisset: *Si Verbum, inquiunt* (ita apposite D. Cyrillus Alex. in Dialogo de Incarnat.), *factum est caro, jam non amplius mansit Verbum, sed potius desiit esse, quod erat. Atqui hoc merum delirium, et dementia est. Censent enim per hoc* factum est *necessaria quadam ratione mutationem, alterationemque significari. Ergo quum psallunt*: Et factus est mihi Dominus in refugium; *et rursus*: Domine, refugium factus es nobis, *quid respondebunt? Anne Deus, desinens esse Deus mutatus est in refugium, et translatus est naturaliter in aliud, quod ab initio non erat? Cum itaque Dei mentio fit, per illud* factum est *absurdum est mutationem aliquam significari, sed ad id, quod Deo maxime convenit, accommodandum.*

Nec mirum demum, quod pro materiae diversitate usurpatur quandoque in diverso sensu eadem verborum forma; quem enim latet, passim id fieri a Scriptoribus? Sic, ut aliquod proferamus hac super re exemplum, ubi in ep. ad Galatas c. 3. dicitur Christus *factus pro nobis maledictum*, sensus non est, quod conversus fuerit

in maledictionem, sed quod peccata nostra portaverit, eorumque poenas luere dignatus sit.

Objic. 2.° ex PP., et Summis Pontificibus 1.° D. Justinus M. inquiens *in Apol.* 2., quod in Eucharistia panis fit corpus Christi, quemadmodum Verbum in Incarnatione caro factum est. Panis autem fit corpus Christi in Eucharistia per conversionem: Et per conversionem igitur Verbum intelligendum est carnem factum esse in Incarnatione. 2.° Tertullianus *l. de Carne Christi c.* 3., et *Apolog. c.* 21., D. Aug. *ep. ad Volusianum*, D. Greg. Nyssenus *orat.* 4. *contra Eunomium*, D. Maximus Episcopus Taurinensis *hom.* 4. *de Nat. Dom.*, idemque D. Leo M. *serm. De Nat.*, qui omnes de Incarnatione loquentes *mixtionis* nomen usurpant; quos inter laudatus Nyssenus similitudinem quoque affert ab Eutychete usurpatam *aceti guttae vasto mari immixtae, quae per hujusmodi mixtionem maris qualitates induit, quia non amplius secundum naturam hujus liquoris qualitas in immensitate praepotentis immanet.* Mixtio autem denotat confusionem rerum, quae mixtae fuerint: Aiendo igitur, quod in Incarnatione Verbi Dei mixtio facta fuit unius Naturae cum altera, unam quoque cum altera confusam dixere, nec proinde, nisi unam, agnoscendam esse in Christo naturam. 3.° Unam quoque in Christo naturam agnovit tum D. Gregorius Thaumaturgus in Expositione fidei: *Non duae* (inquiens) *personae, neque duae naturae, non enim quatuor nos adorare dicimus*; tum Julius Rom. Pontifex in ep. ad Dionysium Corinthi Episcopum: *Necesse est* (inquiens) *eos, cum duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare; ac in Divinam quidem baptizari, in humanam vero non baptizari.* Demum non adeo a nobis longe Clemens XI. Pontifex Max., ut contendit Avitus Academicus, celeber Jansenianus; concionem enim habens in solemni Dominicae Resurrectionis die: *Hodie* (ait) *forma servi reversa est in formam Dei.* Quibus ab Avito relatis verbis, audax spondet, bovem pinguem, ac frisium illi ex Hollandia se missurum, qui Clementis verba ab Eutychetis haeresi purgasset.

Resp. ad 1,m, sensum Justini esse, quod sicut Verbum vere factum est caro in Incarnatione, ita Corpus Christi vere adest in Eucharistia: qua super re meminisse oportet, et quod ad similitudinis veritatem satis

est convenientia in aliquo, quin sit in omnibus; et quod, nondum exortis peculiaribus haeresibus, necesse non erat, quod Patres ita caute loquerentur, quemadmodum, iis exortis, necesse fuit.

Ad 2.m, laudatos Patres mixtionis nomen usurpasse ad significandam veram humanitatis assumptionem, eamque intimam, intrinsecam, in unitatem personae, omnesque humanitatis partes attingentem, at simul, salva utriusque naturae integritate; ubi enim loco cit. *De carne Christi* eum Tertullianus appellat *hominem Deo mixtum*, id ait, ut eos refelleret, qui Verbum phantasticum, et umbratile corpus assumpsisse, ajebant. In *Apologetico* vero expresse advertit, dum *mixtionis* nomen usurpat, ne talem quis credat utriusque naturae mixtionem, qualis fit ex auro, et argento; quibus profecto verbis confusionem unius cum altera excludit. Idem autem aliorum quoque sensus est, ut l. 1. contra Nestorium D. Cyrillus commonet: *Mixtionis nomen* (inquiens) *posuerunt nonnulli etiam Sancti Patres; sed quod metuere te dicis, ne qua confusio contigisse existimetur ad instar liquidorum, qui inter se mutuo commiscentur, libero te hoc metu. Non sic illi senserunt. Minime; sed ea voce sunt usi, cum summam unionem ostendere studerent.* Quod et D. Aug. de se declaravit in eadem ad Volusianum epistola, mixtionis nempe nomen usurpasse ad significandam dumtaxat utriusque naturae unionem in unitatem personae: *Nam sicut* (inquit) *in unitate personae anima unitur corpori, ut homo sit, ita in unitate personae Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animae, et corporis; in hac persona mixtura est Dei, et hominis, si tamen secedat auditor a consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam.* Utriusque demum naturae confusionem cavisse Nyssenum mixtionis nomen usurpando, ac praefatam similitudinem adhibendo in laudata contra Eunomium oratione, manifestum est ex ipsius scopo; ejus namque scopus illic est ostendere, quod omnes actiones, et passiones humanitatis Christi, ob dignitatem Dei Verbi, qui eam in unitatem personae assumpsit, fuerint valoris infiniti, ac velut elevatae in Divinas: ad quod exprimendum, idoneam attulit aceti guttae similitudinem, quae maris aquae immixta, qualitates etiam

marinae aquae induit ; ait enim l. adversus Apollinarem : *Propter exactam unionem assumptae carnis, et assumentis Divinitatis communicantur, et mutuo dantur nomina, ita ut et humanum ex Divino, et Divinum ex humano denominetur: quapropter et qui crucifixus est, Dominus gloriae a Paulo vocatur.* Caeterum post ipsum Incarnationis Mysterium tum Verbi Naturam, tum humanitatem assumptam propria servasse, peractamque unionem fuisse, salva utriusque naturae discrepantia, in ipsa orat. 4. contra Eunomium Nyssenus docet : *Carnis* (inquiens), *et Divinitatis proprietatum inconfusa permanet contemplatio, quamdiu seipsis horum utrumque spectatur . . . ita tamen, ut per compagem, et nexum naturalem communia fiant utriusque utraque.* Et orat. 5. *Ubique* (Apostolus) *humani cum Divino temperationem praedicans, nihilominus in utroque quod cuique proprium est, intuetur . . . Ac ne quis immortali naturae passionem Crucis affricet, per alia manifestiora talem emendat errorem, Mediatorem ipsum Dei, et hominum, et hominem, et Deum nominans.*

Ad 3.m, verba tum Thaumaturgo, tum Julio tributa falso illis tribui ; sed, ut scribit Leontius in fragmento adversus Apollinaristas Patrum depravatores, utque post eum omnes Eruditi docent, *quidam ex haeresi Apollinarii, vel Eutychis, vel Dioscori, cum vellent suam haeresim confirmare, quasdam orationes Apollinarii Gregorio Thaumaturgo, aut Athanasio, aut Julio inscripserunt, ut simpliciores fallerent.*

Ad ultimum, mirandum non esse, quod Scriptori Janseniano visum fuerit Eutychetis haeresim suspicere in relatis verbis Summi illius Pontificis, qui rimulas omnes Jansenianis sustulit, ubi latitarent. Cujusvis tamen erroris labe ea carere, nec nisi Catholicae fidei veritatem, ac pietatem animis ingerere, ex contextu patet ; ita enim Max. ille Pontifex in eadem homilia : *Hodie novus Adam non in animam viventem, sed in spiritum vivificantem formatus apparuit, novam Mundo daturus progeniem, non terrenam, et sordidam, sed coelestem, et splendidam. Hodie verum Dei Templum, Judaica nuper impietate destructum, Divina post triduum Omnipotentia reparavit. Hodie forma servi reversa est in formam Dei ; et exinanitio humilitatis ad pristinae altitudinis rediit Majestatem. Hodie qui traditus fuerat propter delicta nostra, resur-*

rexit propter justificationem nostram. Reddunt inferna victorem, suscipiunt superna triumphantem; infirmitas quippe in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia transivit in gloriam. Quid ex contextu clarius, quam quod nomen formae ibi usurpatur, non pro natura, sed pro effigie, seu imagine, quae prius per passionem vulneribus sauciata, et talis effecta, ut non esset ei species, neque decor, gloriae postmodum dotibus in Resurrectione ditata clarior Sole effulsit? *Vir dolorum* (ita proinde idem Pontifex concionem habens in eadem Resurrectionis die anno 1704.), *cui non erat species, neque decor, despectus, et novissimus virorum, in quo posuit Dominus iniquitates omnium nostrum, factus est speciosus prae filiis hominum*; *etc.* Quo eodem anno concionem habens in die Nativitatis, duplicem in Christo naturam in unitate personae opportunitatem praedicandi habuit: *Ineffabile* (inquiens) *Divinum Verbum . . . caro factum est, et habitavit in nobis . . . gemina nimirum in unam Personam conveniente Natura, verus Deus, et verus homo natus est Christus.* Formae autem nomen non raro usurpari pro effigie, praesto esset ostendere Scripturarum testimoniis; pro quibus sufficiant illa Psalmistae verba: *Speciosus forma prae filiis hominum*: et praeterea profanorum quoque Scriptorum usu; hoc enim sensu illud usurpat Cicero *l.* 2. *De Officiis*, et 2. *De finibus*, Virgilius *in* 6. *Æneid.*, Terentius *in Andria*, etc. Quod demum Clemens nihil eo loci faveat Eutychianae haeresi, ex eo magis, magisque confirmatur, quod, ut huic faveret, non ad Resurrectionem, sed ad Incarnationem debuisset confusionem utriusque formae referre, siquidem in Incarnatione eam factam docuerat Eutyches. Respicit itaque Pontifex ad illa Apostoli verba, qui de Christi Resurrectione loquens Actuum 13., interpretatus de ea est illum Psalmi locum: *Filius meus es tu, Ego hodie genui te*: qui locus cum pertineat etiam ad aeternam ejus generationem, utrumque sensum Clemens prae oculis habens, reversam inquit formam servi ad formam Dei.

Objic. 3.° Nihil apud Patres frequentius, quam comparatio unionis animae cum corpore in homine ad significandam unionem Naturae Divinae, et humanae in Christo. Ex unione autem animae cum corpore in homine una exurgit Natura humana: Æque igitur ex unione Naturae

Divinae, et humanae una item Natura in Christo agnoscenda est.

Resp. neg. cons.; praefata enim similitudo usurpatur duntaxat ad significandum, quod sicut unio animae cum corpore in homine est intima, et substantialis; atque ex ejusmodi unione animae cum corpore, absque ulla confusione alterutrius substantiae cum altera unus homo exurgit: ita unio Divinitatis, et humanitatis in unica Verbi Dei Persona per Incarnationem facta intima, et substantialis credenda est; atque ex ejusmodi unione utriusque Naturae, Divinae, et humanae, absque ulla confusione alterutrius cum altera unus est Christus. Hinc dum in Symbolo, quod Athanasianum dicitur, ejusmodi similitudo profertur, advertitur simul, quod ex unione utriusque Naturae unus est Christus, *non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino, non confusione substantiae, sed unitate personae.*

CAPUT IV.

De duplici voluntate, et duplici operationum genere in Christo adversus Monothelitas.

Haeresim Monothelitarum, quae velut foetus Eutychianae haeresis considerari potest, profligandam in hoc capite aggredimur; eorum nempe, qui, duabus Naturis in Christo admissis, vel saltem non denegatis, unam tamen voluntatem, et unam operationem Christum habuisse, commenti fuere. Solam profecto voluntatem Divinam in Christo agnoverant Apollinaristae eo ipso, quod docerent, Verbum in eo fuisse loco animae rationalis; solamque humanam Nestoriani eo ipso, quod Christum purum hominem faterentur; unamque etiam Eutychiani eo ipso, quod unam in eo naturam assererent: peculiariter tamen, et conceptis verbis oppositum fidei dogma de duplici in Christo voluntate, duplicique operationum genere impetiit Monothelitarum haeresis; quam etiam diximus foetum haeresis Eutychianae, non enim, nisi nomine tenus duplex in eo natura admitti potest, quin simul duplex in eo voluntas, et duplex operationum genus admittatur.

Erupit autem haec haeresis, ineunte saeculo VII., anno scilicet 629.; auctoribus Athanasio Jacobitarum in Syria Patriarcha, ac Sergio Patriarcha Constantinopoli-

tano; quibus se comites addidere Theodorus Pharanites, seu Pharan in Arabia Episcopus, Cyrus prius Phasidis in Cholchide, deinde Alexandriae Antistes, Macarius Patriarcha Antiochenus, ac successores Sergii in Sede Costantinopolitana Pyrrhus, Paulus, et Petrus: ex quibus Sergius callide, et sub pacis praetextu induxit tum Summum Pontificem Honorium, ut silentium indiceret super quaestione de una, vel duplici voluntate, ac de una, vel duplici operatione in Christo; tum Imperatorem Heraclium, ut *Ecthesim*, seu fidei expositionem ederet, qua et una in Christo, vel duplex voluntas, una, vel duplex operatio dici vetitum fuit: quod et deinde Paulus post Pyrrhum Sergii Successor suasit Constanti, qui post Constantinum, et Heracleonam successit Heraclio; prodiitque *Typus*, quo Constans confirmans Heraclii *Ecthesim*, unam quoque, vel duas voluntates, ac unam, vel duas operationes in Christo confiteri, prohibuit. Heraclius caeterum, auditis universae Ecclesiae querimoniis de sua *Ecthesi*, scripsit ad Joannem IV., qui illam proscripsit, ut refert Pagius anno 641., non suum, sed Sergii opus fuisse, neque enim illam ipse vel dictaverat, vel componi jusserat: at non item Constans, qui pertinax in suo *Typo* tuendo, cum audivisset, quod Martinus I. in Lateranensi Synodo 105. Episcoporum eum proscripserat simul cum *Henotico Zenonis*, et *Ecthesi* Heraclii, Pontificem Costantinopolim accivit, ubi strenuus Catholicae fidei vindex multa, et gravia ab Haereticis perpessus, ac inde exul Chersonam relegatus, illic Martyr occubuit.

Eidem vero haeresi pro viribus obstiterunt Sophronius, prius Monachus, dein Jerosolymorum Antistes, Stephanus Dorensis, D Maximus tum doctrina, tum sanctitate conspicuus, ac postea Martyr sub Constante, nec non Honorii Successores in Rom. Sede Severinus, Joannes IV., Theodorus, Martinus I., et Agatho, qui, haereticorum machinationibus contra Orthodoxam fidem detectis, pro viribus egerunt, ut salva, et incolumis servaretur, coactis ad id a Joanne, Martino, et Agathone peculiaribus Synodis, datisque litteris ad Imperatores pro tempore, ut fidei causam susciperent, haereticosque compescerent: donec Constanti miserrime interempto suffecto Constantinopoli Constantino Pogonato, et Martino I. suffecto Romae Agathone, Generale Concilium per utrumque indictum fuit in Imperiali Urbe anno 680., in quo hae-

resis Monothelitarum anathemate ab universa Ecclesia perculsa fuit.

Quomodo autem, cum assererent, vel saltem non negarent duas in Christo naturas, ajebant simul, unam in eo dicendam esse voluntatem, et operationem? Quia nempe ajebant., humanitatem in Christo considerandam esse, tamquam iners, ac inanime instrumentum, quo utebatur Verbum, ut et Divina, et humana vellet, et operaretur. Quare sicut in instrumento nullum est actionis principium, ac nulla vis agendi, ita ajebant, quod nullum actionis principium, ac nulla vis agendi in ejus humanitate agnoscenda est, sed actionum Christi etiam humanarum unicum principium; unica virtus, unica energia non est, nisi penes Verbi Divinitatem agnoscenda. Hinc negabant Christo voluntatem humanam, nedum quoad actum, sed etiam quoad ipsam facultatem volendi, ut docet D. Th. 3. *p. qu.* 18. *art.* 1., *et qu.* 19. *art.* 1., et post ipsum fere omnes Theologi, exceptis Vasquesio, Lugone, aliisque paucis, ajentibus, incredibile videri, quod Monothelitae eo insaniae pervenerint, ut illi voluntatem humanam denegarent quoad ipsam facultatem, ac simul humanitatem perfectam tribuerent. Ad quod tamen respondet Petavius *l.* 8. *De Incarnat. c.* 4. *n.* 7., quod *qui rationis, et judicii constantiam in haereticorum dogmatibus requirit, hoc ab illis, quod non fert natura rerum, exigit; et nihilo plus agit, quam si det operam, ut cum ratione insaniant.*

Detracta autem Christo voluntate humana, pronum inde erat omnem prorsus operationem humanam ipsi detrahere: cum enim operatio humana ea tantum sit, quae voluntarie, seu ad imperium voluntatis humanae elicitur, humana proinde voluntate a Christo sublata, nulla amplius operatio humana superesse illi poterat. Hinc nedum operationem voluntatis humanae Christo abjudicarunt, verum etiam facultatum omnium actus; operationis enim nomen latius patet, quam nomen voluntatis, quod tantum significat facultatem, aut actus appetitus rationalis. Unicam vero operationem, quam Christo tribuebant, alii ex iis appellabant *Theandricam*, seu *Dei virilem*; non eo sensu, quo Christi actiones ita appellantur a Catholicis, seu ut significent, quod actiones quoque humanae a Christo elicitae sunt Verbo adscribendae; sed ut significarent, quod ejus voluntas Divina facultates humanitatis sola

moveret, ac instar instrumenti passive se habentis ad agendum applicaret: alii, ut congruentius loquerentur, unicam Christi operationem appellabant *Deo decibilem*, seu *convenientem*, aptius hoc modo exprimentes, unicam, seu tantum Divinam agnoscendam in Christo esse operationem, eam enim dicendo *Theandricam*, seu *Dei virilem* hoc ipso duplex in eo exprimitur operatio, idest Divina, et virilis, seu humana. Quibus praemissis, sit

Prop. Duplex in Christo tum voluntas, tum operatio distincta agnoscenda est; Divina, et humana. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; Divinam namque in eo voluntatem agnoscendam esse, quam caeterum in eo fatebantur Monothelitae, manifeste ostendunt 1.° illa ejus verba apud Lucam c. 13. *Jerusalem, Jerusalem, quae occidis Prophetas, et lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, et noluisti?* Prophetarum autem tempore nondum erat homo: Ajendo igitur, quod eorum tempore voluerat congregare Israelis filios, quid clarius, quam quod id ajebat, ut Deus, qui per singulas fere aetates ad eos Prophetas suos miserat? 2.° quod ait Jo. 5. *Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat.* Solius autem Dei est vitam, quibus vult, tribuere; idque Christus sibi aeque ac Patri tribuit: In eo igitur voluntas Divina, eademque cum Deo Patre, tribuenda est.

Quoad humanam vero in eo praeter Divinam agnoscendam multo plura habentur in Scripturis testimonia: 1.° enim Christus, nonnisi ut homo, habuit corpus. Quatenus autem habens corpus, per Davidem dixerat Ps. 39: *Sacrificium, et oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi . . . In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus volui:* Praeter Divinam igitur humana etiam in eo voluntas agnoscenda est.

Huc etiam pertinet et quod de Christo legitur Jo. 1. *In crastinum voluit exire in Galilaeam.* Et quod de eo additur c. 7. *Ambulabat Jesus in Galilaea, non enim volebat in Judaea ambulare, quia quaerebant eum Judaei interficere.* Et quod ait c. 17. *Volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum.* Voluit autem exire in Galilaeam, prout ibi antea non erat, ideoque, ut homo; noluitque in Judaea ambulare, profecto etiam, ut homo, nam, ut Deus, semper in Judaea aderat; aitque demum, velle, ut ubi

ipse esset, ibi ejus quoque discipuli essent, profecto etiam, ut homo, nam, ut Deus, est ubique: Humana igitur voluntate id dixisse, quam proinde agnoscendam in eo esse, manifeste sequitur.

Hanc item illi inesse exprimitur, quum de eo dicitur Matth. 26., quod *coepit contristari, et moestus esse*: ipseque de se expressit, inquiens, ut ibidem legitur: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, cum non sint haec, nisi affectus voluntati humanae, dum aliqnid agere velit, displicentes. Conceptisque verbis eam quoque de se fassus fuit, quum ait Matth. 26. *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste. Verumtamen non sicut Ego volo, sed sicut tu*. Sive, ut legitur Lucae 22. *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*. Quumque ait Jo. 6. *Descendi de Coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*. Voluntas autem, quam ajebat suam, distinguebatque a voluntate Patris, nonnisi ea esse poterat, quam, sicut homo, habebat, nam, sicut Deus, unam cum Patre habebat essentiam, ideoque et voluntatem: Praeter Divinam voluntatem igitur humana illi voluntas inerat. Sive, ut idem diversimode dicamus, si Christo voluntas tribuitur, qua faciebat voluntatem Patris, ei profecto praeter voluntatem Divinam, quam communem cum Patre habebat, tribuenda item est voluntas humana; ideoque duplex voluntas, Divina scilicet, et humana. Ita autem rem se habere, ex laudatis Christi verbis perspicue patet: Duplex ergo voluntas, Divina scilicet, et humana, tribuenda illi est. Expendens proinde D. Athanasius laudata Christi verba, *Duas* (inquit) *voluntates hic ostendit, humanam quidem, quae est carnis, alteram vero Divinam. Humana enim propter carnis imbecillitatem recusat passionem; Divina autem ejus voluntas est prompta* (*l. contra Apollinarem*). In quae etiam scripsit D. Ambr. *l. 2. ad Gratianum*, et *Comment. in Lucam*, quod Christus suscepit *voluntatem* nostram, quemadmodum, ut homo, *suscepit tristitiam*; quodque in ipso fuit *voluntas hominis temporalis, et voluntas Divinitatis aeterna*. Ac demum D. Aug. scribens adversus Maximinum Arianum, ita l. 2. c. 20. ait: *Ubi dixit Filius Dei, Verum non quod Ego volo, sed sicut tu vis, quid te adjuvat, quod tua verba subjungis, et dicis: Ostendit vere voluntatem suam subjectam suo Genitori? Quasi nos negemus, hominis voluntatem voluntati Dei debere esse subjectam*.

Et paullo infra : *In eo , quod ait , non quod Ego volo , aliud se ostendit voluisse, quam Pater, quod nisi humano corde non potest. Numquam enim posset immutabilis illa natura quidquam aliud velle, quam Pater.* Hinc aliam quoque argumentationem possumus instituere : Voluntas profecto a Verbo suscepta , temporalis , Deo subjecta , eique obtemperans , quaenam , nisi voluntas creata , et humana? Ejusmodi autem voluntatem Christus de se fassus fuit supra laudatis verbis : Rursum ergo humana voluntas in eo agnoscenda est.

Similem quoque argumentationem instituit D. Maximus in Disputatione cum Pyrrho ex illis Apostoli verbis ad Philipp. c. 2. *Factus obediens usque ad mortem , mortem autem Crucis* ; aut enim , inquit , volens , aut non volens obedivit. Si non volens , quomodo obediens diceretur? Si ergo volens , fuit profecto in eo voluntas humana, nam , quatenus Deus , neque obediens esse poterat , neque inobediens. Brevius , ac pressius : Fuit in Christo voluntas obediens. Voluntas autem obediens quaenam in eo , nisi voluntas humana? Haec ergo in eo agnoscenda ; ideoque et operatio humana , quod enim voluntate humana fit , quidnam , nisi operatio humana?

Praefata quidem Scripturarum testimonia eludere contendebant Monothelitae , ajendo , quod , acceptis de duplici in Christo voluntate , necesse esset in Christo invehere pugnam quamdam inter voluntatem Divinam , et humanam , qua dicimus , passionis calicem refugisse. Hoc absurdum : Non ergo taliter accipienda.

Sed respondetur , ex Monothelitarum quidem sententia consequens esse , quod Christus una , eademque voluntate voluisset pugnantia , ac simul elegisset , et horruisset passionis calicem , non tamen ex sententia Catholicorum : 1.° ob adjectam conditionem *si possibile est*, sub qua oravit, ut ab eo Passionis calix transferretur. 2.° quia ita oravit , quemadmodum advertit D. Th. 1. p. qu. 21. art. 2. , *ad exprimendum sensualitatis affectum*, motiones scilicet appetitus sensitivi , qui mortem , tamquam rem naturae horribilem , adversamque , horrebat. 3.° quia , etsi voluntas humana passionis calicem naturaliter horreret , et aversaretur , ad obtemperandum tamen voluntati Divinae , illum usque ad foeces libenter bibit. 4.° demum , quia sub alio respectu voluntas Christi humana Passionem aversabatur , nempe ut Naturae

humanae oppositam, et destructivam; sub alio vero illam Deus imperabat, quatenus nempe per illam humanum genus redimi, ac salvari oportuit. Numquam autem sub hoc posteriori respectu voluntas Christi humana illam aversata fuit, immo optavit, ut patet ex illis Christi verbis apud Lucam 12. *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* Et c. 22. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar*: Ubinam ergo inter ejus voluntatem Divinam, ejusque voluntatem humanam pugna?

Prob. 2.° ex VI. Gen. Synodo, quae act. 18. cum recitasset definitionem Chalcedonensis Concilii super duabus Naturis in Christo *inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter* agnoscendis, subdidit: *Duas quoque naturales voluntates in eo, et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum Sanctorum Patrum doctrinam praedicandas.*

Prob. 3.° ex Patribus, eorum enim testimoniis supra relatis addi possent Chrysostomus, Leo Magnus, Hieronymus, aliique apud Petavium *l.* 8. *De Incarnat. c.* 8., *et* 9.; ex quibus Hyppolitus Portuensis, qui floruit tertii saeculi initio, in fragmentis adversus Beronem, et Helicen Valentinianos ex identitate, aut distinctione operationum identitatem quoque, aut distinctionem naturarum, ait, profluere: *Quae sunt* (inquiens) *inter se ejusdem operationis, et efficientiae, nullam naturae differentiam recipiunt* (*fragm.* 5.)

Prob. demum ratione, eaque multiplici: 1.° enim fide tenemur in Christo agnoscere utramque Naturam, Divinam scilicet, et humanam, cum omnibus suis affectionibus, et proprietatibus inconfusis, et impermixtis. Careret autem humana in eo natura suis omnibus affectionibus, et proprietatibus, si voluntate, et operationibus humanis destitueretur: Et voluntatem ergo humanam, et humanas operationes fide tenemur in eo agnoscere. 2.° fide etiam tenemur Christum et perfectum Deum, et perfectum hominem credere. Non esset autem perfectus Deus, et perfectus homo, si dum illi, tamquam Deo, voluntas Divina, et operatio Divina inest, eidem, tamquam homini, voluntas humana, et operatio humana non inesset: Quemadmodum ergo, tamquam Deo, voluntas Divina, et operatio Divina illi inest, ita

et, tamquam homini, voluntas humana, et operatio humana inesse illi debet. 3.° est tam voluntas, quam operatio adeo quid consequens naturam rationalem, ut, quia in tribus Trinitatis Personis una est, singularis, et individua Natura, una etiam est voluntas, et una operatio ad extra; ac nefas dictu esset, ut ait Agatho S. P. in ep., quae extat act. 4. VI. Gen. Synodi, quod quia *tres Personae in SS. Trinitate dicuntur, necesse est, ut tres voluntates personales, et tres personales operationes dicantur*. In Christo autem dum una est persona, scilicet Persona Dei Verbi, duae sunt naturae, scilicet Divina, et humana: Licet igitur una in eo sit Persona, non ideo tamen cum Monothelitis una dicenda in eo est voluntas, et operatio personalis, sed ob duplicem in eo naturam duae etiam dicendae in eo sunt voluntates, et operationes. 4.° demum Christum pro nobis meruisse, ac satisfecisse, ipsi Monothelitae fatebantur, ipsiusque Incarnationis finis manifeste ostendit. Nihil autem meritorium, vel satisfactorium esse potest, nisi voluntarium, et quidem voluntate creata, voluntas enim Divina praemium quidem potest meritis rependere, ac satisfactiones recipere, non tamen vel adipisci meritum, vel satisfacere: Agnoscenda igitur in Christo est praeter voluntatem increatam, seu Divinam, voluntas quoque creata, seu humana.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° ex PP., ac Summis Pontificibus, D. Dionysius Areopagita, qui l. De Div. Nomin., *unam* (ait) *esse in Christo Dei virilem actionem*. Et ep. 4. ad Cajum ait de Christo, quod, *Deo viro facto, novam quamdam theandricam, seu Dei virilem operationem expressit in vita*. Item D. Athan., qui l. de salutari adventu Christi, eum, ait, *fuisse sine carnalibus voluntatibus, et cogitationibus humanis, quia solius Divinitatis voluntas in eo fuit*. Item D. Greg. Nyssenus, qui contra Eunomium ait, ut refertur in Actis VI. Synodi act. 12., *Divinitatem per corpus, quod induit, hominum omnium salutem operari, ut propria sit carnis perpessio, Dei autem operatio*. Item D. Greg. Nazianzenus, inquiens orat. 36. de voluntate Christi, quod *tota deificata fuit*. Item D. Cyrillus Alex., inquiens. l. 4. in Jo.,

Christum *unam quamdam cognatam operationem per ambas naturas ostendisse* Demum ex Summis Pontificibus Julius Rom. Pontifex, Vigilius scribens ad Justinianum Imperatorem, et Honorius ad Sergium Monothelismum professi sunt

Resp. Et 1.° quoad D. Dionysium, l. de Div. Nom. non scripsisse *unam*, sed *novam Dei virilem actionem*; nec nisi fraude Monothelitarum reperiri *unam* in aliquibus Codicibus. Ita nempe advertit Conc. Lateranense sub Martino I. *Secret.* 3., etiamque antea Sophronius: ipseque Pyrrhus Monothelita legendum esse non *unam*, sed *novam*, fatetur in Tomo dogmatico, ut refertur in Actis VI. Synodi act. 13.; auctorem vero substitutionis unius vocis pro altera subdit, fuisse Cyrum, inquiens caeterum *non malitiose*. Novam autem in Christo ait Dionysius ejus operandi rationem, quia ejus operandi modus Divina, et humana ob hypostaticam Naturae Divinae cum humana unionem revera et mirus, et plane novus. Accedit, quod sive uno, sive altero modo legatur, nihil etiam ex utroque Dionysii textu extundi potest contra Catholicam veritatem; sane etenim, et catholice operationes Christi appellari poterant *Dei viriles*, et *theandricae*, tum quia actiones Dei hominis, tum quia actiones omnes, et passiones tribuuntur personis, quae in Christo unica est Verbi Dei Persona. Solum ad loquendum exacte, ac omni servata verborum proprietate, eas solas Theologi theandricas in Christo operationes nuncupant, quae ab utraque natura prodiere, ut miracula patrata per Divinitatis virtutem, ac simul corporis tactu, verbis, etc. . Alias vero, quae naturaliter aut ab una, aut ab altera Natura prodiere, aut Divinas, aut humanas nuncupant; Divinas scilicet peccata dimittere, Spiritum Sanctum tribuere, etc., humanas vero ambulare, somnum capere, etc.

Ad verba vero D. Athanasii facilis est responsio; solius namque Divinitatis voluntatem in Christo agnovit, ut ab eo excluderet, quemadmodum ex contextu patet, volitiones carnales, operationesque perversas, et culpabiles, non item ut ab eo excluderet volitiones, et operationes humanas simpliciter sumptas.

Facilis quoque responsio est ad Nysseni verba, quibus Divinitati adscribit salutis nostrae opus, non quod Christi humanitas nihil operata fuerit, sed quia a Verbi Divini-

tate valorem, ac pretium Christi passiones hausere, quod satis fuit ad hominum Redemptionem.

Nihil quoque difficultatis facessit Nazianzeni verborum solutio; Deificatam namque ait Christi voluntatem, quia numquam Divinae voluntati fuit contraria: quamque Deificatam nuncupans, hoc ipso potius a Divina voluntate distinxit, non enim voluntas Divina, nisi cum maxima absurditate Deificata diceretur.

Operationem quoque duarum Naturarum in Christo *unam quamdam cognatam* ait D. Cyrillus, ut insisteret adversus grassantem Nestorii haeresim super Personae unitate in Christo, ac utriusque in eo Naturae conjunctione, non quidem morali, ut Nestorius blasphemabat, sed intima, et personali.

Quoad Julium denique, et Vigilium, jam VI. Gen. Synodus act. 14 ostendit, quod Scripta ipsis a Monothelitis tributa fuerant ab iisdem supposita. Quoad Honorium vero, rectam ejus fidem *l.* 1. *tract.* 5. *cap.* 5. *pag.* 299. *et sequ.* extra omnem controversiae aleam posuimus. Hic solum addimus, 1.° quod, ut erudite demonstrat Bernardus Desiraut in libro, cui titulus, *Honorius vindicatus*, exacta Epistolarum omnium, Actuumque Synodalium collectione, epistola Sergii ad Honorium alia ab ea fuerat, quae in VI Gen. Synodo fuit exhibita; nam ea, quam Sergius ad Honorium scripserat, eo quidem consilio fuerat conscripta, ut Pontifex silentium indiceret super vocabulo unius, vel geminae voluntatis, uniusque, vel geminae operationis, atque hac ratione haeresis virus facilius diffundi posset; sensu tamen fuisse catholicam, nec aliud specie gessisse, nisi zelum praefocandi sub ipso initio germina rursum erumpentia tum Nestorianae, tum Eutychianae haeresis, ex ipsius lectione patet. At non item quae in VI. Gen. Synodo fuit exhibita, quae cum aperte Monothelismum traderet, causa fuit Synodo, ut errore facti judicaret, Honorium indirecte saltem Monothelismo favisse. 2.° quod, ubi legitur in epistola Honorii ad Sergium, *Unam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi*, quamvis ex verbis immediate sequentibus, *quia a Divinitate assumpta est nostra natura, non culpa, illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata*, aperte appareat, eum tantum exclusisse voluntatem carnis, ac legi mentis repugnantem; verisimile etiam est, Monothelitarum fraude

scriptum fuisse *unam*, cum Honorius scripsisset *novam*: quisnam enim sibi suadere poterit, quod eum Honorius a Sergio deceptus opportunum duxisset silentium indicere super vocabulo unius, vel geminae voluntatis, ipse simul non servasset, quod aliis indixerat? Cui accedit testimonium Anastasii Bibliothecarii, ut scribit D. Maximus in ep. ad Marinum, *eum, qui hanc epistolam per jussionem Honorii latinis dictaverat dictionibus, Dominum videlicet Abbatem Joannem Sanctissimum Symponum, affirmasse, quod nullo modo mentionem in ea fecerit unius voluntatis, licet nunc hoc sit fictum ab iis, qui hanc in graecam vocem interpretati sunt.* 3.° quod qui confitetur ambas in Christo Naturas operantes, et operatrices, et unamquamque ex iis, quae sua sunt, exequentem, atque inconfuse, indivise, et inconvertibiliter propria operantem, disertissimis profecto verbis catholicum dogma asserit, et e diametro Monothelitis adversatur. Id autem totidem verbis expressisse Honorium in 2.ª ad Sergium epistola, scripsimus *l. cit. pag.* 300.

Objic. 2.° Nihil apud Patres frequentius, quam quod Christi humanitas consideranda sit, velut Verbi organum, atque instrumentum, ac sub Verbi ductu, et regimine. Instrumenti autem, et causae principalis una est operatio, instrumentum namque operationem ex se non habet: Ergo etiam Naturae humanae, et Divinae in Christo una tantum operatio dicenda est.

Resp. dist. maj., et min.; quod nempe Christi humanitas consideranda sit, velut Verbi instrumentum, non tamen iners, passivum, atque inanime, sed propria instructum virtute in ordine ad actiones humanas: quodque instrumenti, et causae principalis una est operatio, quum instrumentum est iners, passivum, et inanime, ut calamus in ordine ad scriptionem; quumque propria caret virtute in ordine ad actionem, cui eliciendae par redditur a causa principali; non vero quum instrumentum propria instructum est virtute ad datas operationes, quomodo profecto se habebat humana Christi Natura in ordine ad operationes humanas, pro quibus propriis pollebat facultatibus, ut intelligeret, vellet, aliaque id genus operaretur. Hoc autem posteriori modo loquebantur Patres, quum ajebant, humanam Christi Naturam considerandam esse, velut Verbi organum, atque instrumentum, ac sub Verbi ductu, et regimine.

Objic. 3.° Ubi una est persona volens, et operans, una etiam agnoscenda est voluntas, et operatio. In Christo autem una est Persona volens, et operans: Et una igitur agnoscenda in eo est voluntas, et operatio.

Resp. neg. maj.; nam unitas quidem volentis, et operantis sumitur ab unitate personae, quia persona est, quae vult, et quae operatur, non vero unitas voluntatis, et operationis; cum enim natura sit, cui inest voluntas, et quae per suas facultates operatur, posita idcirco in Christo cum Eutychete unitate naturae, una in eo quoque esset voluntas, et operatio; at posita in eo, ut fides contra Eutychetem docet, duplici Natura, Divina, et humana, duplex quoque in eo agnoscenda est voluntas, et duplex operatio.

Sed instant, quod nonne actiones personarum sunt, juxta illud Scholarum tritum: *Actiones sunt suppositorum*? In Christo autem una est Persona: Et una igitur dicenda in eo est operatio.

Resp. dist. maj.; quod nempe actiones sunt suppositorum denominative, et attributive, quia suppositis, seu personis tribuitur quidquid ab iis fit; non vero elicitive, quasi actiones immediate prodeant ab ipsis suppositis, seu personis, nullum namque suppositum, nisi per naturam, atque hujus facultates, agit, remote scilicet per naturam, proxime per hujus facultates. Sic, ex. gr., Petrus quidem dicitur, qui intelligit, vult, etc., nonnisi tamen per naturam rationalem remote, et per ejus facultates proxime, per intellectum scilicet intelligendo, per voluntatem volendo, etc., Hinc neg. item cons.; ex eo enim, quod actiones sunt suppositorum, sequitur, unam in Christo esse personam operantem, non vero unam esse operationem personae, principium namque elicitivum operationum non est persona, ut diximus, sed natura per suas facultates. Et sane quod consequenter ad opus intelligatur non persona, sed natura, evincitur etiam tum ex Mysterio Trinitatis, in quo, licet sint tres Personae realiter distinctae, una est operatio ad extra, quia una est Natura; tum ex anima rationali separata a corpore, quae tametsi amplius non sit persona, utpote pars hominis, ac naturalem servans ad corpus habitudinem, suas tamen elicit operationes intelligendi, et volendi.

CAPUT V.

De consectariis unionis hypostaticae utriusque Naturae, Divinae, et humanae, in unica Verbi Dei Persona, et absque ulla unius cum altera, earumque proprietatum confusione.

Ex iis, quae diximus, supra expositas haereses refutando, variae suboriuntur quaestiones, quas hic, velut totidem consectaria unionis, quam supra ostendimus, utriusque Naturae, Divinae, et humanae, in Christo, ab haereticorum erroribus vindicanda aggredimur.

Sunt autem 1.° an ejusmodi unio facta fuerit in Natura, vel in Persona?

2.° an eadem dici possit substantialis, et naturalis?

3.° an Christus dici possit compositus?

4.° an Verbum Divinum, licet non assumpserit Naturam humanam per se subsistentem, idest hominis personam, quemadmodum de fide est contra Nestorium, eam saltem potuisset assumere?

5.° an ullo umquam temporis instanti extiterit vel anima, vel corpus Christi, antequam a Verbo in unionem personae assumeretur? Circa quod, praeter Nestorium, qui Christum, docuit, fuisse hominem tum natura, tum persona priusquam Verbo uniretur, erraverat quoque multo antea Origenes, qui docuerat, prius creatam fuisse Christi animam, ac deinde hanc suis operibus meruisse, ut a Verbo hypostatice assumeretur. Ita nempe *l.* 2. *De principiis c.* 6.

6.° quomodonam Verbum hypostatice humanitatem assumpserit, ac praecise corpus? Circa quod errarunt Apollinaristae, ajentes, ut diximus c. 1., illud absque anima rationali assumpsisse: Patres vero docuerunt, nedum illud simul cum anima rationali assumpsisse, verum etiam nec assumpsisse, nec potuisse assumere, nisi per respectum, seu habitudinem ad animam rationalem.

7.° an omnes ejus partes proxime, et per se, assumpserit, vel praecipuas tantum ejus partes proxime, et per se, alias vero remote, seu quatenus in humanitate inclusas, eique adjunctas?

8.° an unio hypostatica Naturae Divinae, et humanae in unica Verbi Dei Persona sit perpetua, et in-

dissolubilis? Circa quod erravit, teste Eusebio *l. 3. de Eccles. Theol. c. 9.*, Marcellus Ancyranus, inquiens, Christum post finale Judicium humanitatem assumptam dimissurum, eamque in nihilum redacturam, quippe quod Mediatoris, et Servatoris muneri amplius non erit locus. Sicut etiam erravere Ariani, qui teste D. Greg. Nazianz. *Orat.* 36., sommiarunt, participatam, qualem ajebant, Verbi Divinitatem, accedente Christi morte, ita conterritam fuisse, ut ab ipso ante obitum recesserit. Ac demum multi quoque ex Veteribus, ajentes, triduo mortis Christi unitum non permansisse Verbum cum anima, et corpore; ut Tertullianus *l. cont. Praxeam c.* 30., Eusebius l. 4. *Demonstr. Evang. c.* 13., aliique.

9.° an praedicanda de Christo sint utriusque Naturae idiomata, seu proprietates, ac quaenam prae oculis habenda sint, ut ejusmodi idiomatum praedicatio a recta fide non declinet? Circa quod, praeter Nestorianos, simul cum unitate Personae communicationem quoque idiomatum in Christo negantes, deerat namque in Christo juxta eosdem una, eademque Verbi Dei Persona, de qua utriusque Naturae idiomata praedicarentur; praeter Eutychianos, qui Naturas confundentes, idiomata etiam non communicarunt; sed commiscuerunt: praeter Nestorianos, inquam, et Eutychianos, errarunt item Lutherani, omnipotentiam, immensitatem, aliaque saltem plurima Divinitatis Attributa in Christi humanitatem ob communicationem idiomatum transfundentes. Ita enim Lutherus tum l., seu serm. *Quod Verba Christi*, Hoc est corpus meum, *adhuc stent*, tum in Confessione *De Coena Domini*, ubi etiam in Zuinglianos invehit, quod soli Christi humanitati, et non etiam Deitati passiones tribuerent. Praeiverat caeterum Luthero Jacobus Faber Stapulensis; qui *in c.* 14. *Ioann.*, et *in c.* 12. *ep.* 1. *ad Cor.*, unionem hypostaticam humanitatis cum Dei Verbo ubiquismum illi communicasse, docuerat: cui errori licet pro viribus se opposuerit Melancton, omnium Lutheri discipulorum doctissimus, adeo tamen Ioannes Brentius illi adhaesit, ut ubiquismi parens diceretur, nec non Flaccius Jllyricus, David Chytraeus, Joannes Vidangus, Nicolaus Selneccerus, Martinus Kemnitius, ac demum Auctor libri Concordiae, quem fere omnes in Germania Lutherani receperunt.

10.° an Christus, ut homo, dicendus sit, vel sal-

tem dici possit Filius Dei adoptivus? Qua super re turpiter, VIII. saeculo vergente, erravere Felix, et Elipandus, ille Urgelitanus, hic Toletanus Episcopus, Christum, ajentes, secundum quod homo est, adoptione, non natura, Filium dicendum esse: *Ii* (ita Petavius l. 1. de Inc. c. 22.) *Christum Deum, hominemque confessi, totidem, quot naturae sunt, in eo filios esse, docuerunt, alterum naturalem, qui est Deus, et Verbum; alterum adoptivum, qui est homo.* Cum autem delati essent ad Carolum M. Francorum Regem, et Adrianum Rom. Pontificem, Felix in Ratisbonensi Synodo ad id coacto anno 792. erroris convictus, ac inde Romam ductus, illum coram Adriano Summo Pontifice ejuravit, non tamen Elipandus, quinimmo Felicem ad errorem iterum impulit; quare alia item Synodo Francofurti a Carolo M. ex omnibus sui Imperii Provinciis indicta anno 794., ad quam Adrianus suos quoque Legatos misit; definitum de fide fuit omnium suffragiis, neque etiam, ut hominem, Christum dici posse adoptione, non natura, Filium; quod et Felix iterum ejuravit, sed inconstans, et levis iterum amplexus fuit, ac exul Lugdunum amandatus pertinax in haeresi obiit; Elipandus ejuravit serius, nec iterum ad errorem rediit. Proscripta item fuerat praefata haeresis in Synodo Forojuliensi anno 791., Praeside Paulino Patriarcha Aquilejensi; ac postmodum etiam proscripta fuit Romae sub Leone III. Contra quam pro virili etiam certarunt praefatus Paulinus, edito ad id libro, cui titulus *Sacrosyllabus*, aliisque etiam opuscolis, Flaccus Albinus Alcuinus Britannus, nec non Etherius Episcopus Uxamensis, et Beatius Presbyter, ambo Hispani, et Agobardus Episcopus Lugdunensis.

Quia tamen et Scotus *in* 1. *Dist.* 6. *qu.* 1. docuerat, Christum, ut hominem, adoptione Filium dici posse, at non debere propter abutentes haereticos; quod et docuit Durandus: existimat proinde Suaresius *Disp.* 49. *De Inc. sect.* 3., *Felicianam haeresim in hoc positam fuisse, quod credidit, Christum hominem eodem prorsus modo fuisse filium adoptivum, quo sunt alii homines justi, in quo filiationis genere, licet singularem habuerit excellentiam, et dignitatem, non tamen transcenderit illud genus adoptionis, quo nos per gratiam adoptamur; neque aliter homo ille Christus fuerit con-*

junctus Filio Dei naturali, quam hoc genere adoptionis. Haec tamen Suaresii opinatio communiter a Theologis rejicitur, neque enim unionem hypostaticam inter Divinam Verbi Naturam, et Naturam humanam, neque Personae unitatem in Christo Felicem, et Elipandum negasse, patet 1.° ex Elipandi epistola ad Felicem, in qua tantum quaesivit, teste Eginhardo ad ann. 792., *quid de humanitate Salvatoris Dei, et Domini nostri Jesu Christi sentire deberet, utrum secundum quod homo est, proprius, an adoptivus filius Dei credendus esset, et dicendus?* 2.° ex epistola ejusdem Elipandi ad Carolum M. nec non ex epistola Adriani ad Gallaeciae, et Hispaniarum Episcopos, quae in Concilio Francofordiensi perlectae fuerunt. 3.° ex epistola Synodica Patrum Francofordiensium, quam refert Petavius l. cit. 4.° demum ex Etherii, et Beatii libris editis occasione hujus haereseos. Quod si Felici, et Elipando objecerunt Patres Francfordienses, quod sustulerant cum Nestorio tum unionem hypostaticam Divinae Verbi Naturae cum humana, tum unitatem personae in Christo, utrumque dixerunt, tamquam consequens ab eorum haeresi, non tamquam ab ipsis expressum.

In quo vero Scoti, et Durandi sententia differat ab haeresi Feliciana, ita explicat Cardinalis De Lugo *Disp.* 31. *Sect.* 1. *De Inc.*; quod nempe Felix, et Elipandus *volebant, loquendo de Christo homine, ut condistinguitur a Deo* (sive ut est persona humanam naturam terminans), *esse filium adoptivum. Catholici vero, etiam loquentes de Christo homine, concedunt, esse filium naturalem, sed addunt, esse adoptivum secundum quid, seu secundum humanitatem. Caeterum* (pergit) *adhuc censeo juxta mentem Concilii, et Adriani debere negari istam reduplicativam, quia tota ratio Concilii fundatur in eo, quod adoptio includat extraneitatem personae, quod non reperitur in Christo, qui neque secundum humanitatem est persona extranea.* Quam proinde reduplicativam Vasquesius docet *Disp.* 89. *c.* 6. *et* 8., ipsam fuisse Felicis, et Elipandi haeresim: Petavius vero l. cit. saltem inquit, esse *temerariam, et errori proximam, si non haereticam omnino.*

Sive, ut idem clarius explicemus, opinatur Suaresius, quod si Felix, et Elipandus docuissent, *Christum, ut hominem*, dicendum esse Filium Dei adoptivum, in eis

damnati fuissent Scotus quoque, et Durandus, qui idem docent. Hoc autem dici nequit: Non igitur (concludit) Felix, et Elipandus docuere, quod *Christus*, *ut homo*, dicendus sit Filius Dei adoptivus, sed quod *Christus homo* ejusmodi Filius dicendus sit. Cumque Filius adoptivus, realiter distiuguatur ab eo, qui vere, et natura est Filius, per Felicem proinde, et Elipandum Christus homo distinguendus erat realiter a Dei Verbo, prout docuerat Nestorius, cujus error idcirco fuit quoque Felicis, et Elipandi error. Rejicit tamen prae aliis Vasquesius hanc Suaresii opinationem; asseritque damnatos in Felice, et Elipando eos etiam fuisse, qui docent, *Christum*, *ut hominem*, dicendum esse Filium Dei adoptivum. Quod tamen cum dixerint Scotus, quoque, et Durandus, advertit Card. De Lugo, alio modo hos locutos fuisse, alio vero Felicem, et Elipandum. Hi namque docuerunt, *Christum*, *ut hominem*, absolute dicendum esse Filium Dei adoptivum, et nullatenus dici posse Filium Dei naturalem; quorum sententia proscripta fuit, ut haeretica: Scotus vero, et Durandus docuere, *Christum*, *ut hominem*, dicendum esse Filium Dei naturalem, et tantum dici etiam posse sub aliquo respectu Filium Dei adoptivum, ratione scilicet gratiae sanctificantis, qua ejus Anima ornata est; et quae ad Rom. 8. dicitur adoptionis forma. Quidquid sit, certe si Felix, et Elipandus cum Nestorio convenissent, pronum erat, quod ii, qui in eos decertarunt, personae unitatem in Christo propugnare; et adversus eos stabilire curassent. Istud tamen fidei dogma, ut certum, atque ab Adversariis non negatum, semper supposuere; ac solum ajendo, quod illorum error confixus fuerat in Nestorio, id non *formaliter*, sed *illative* ajebant: Falsum ergo quod Felix, et Elipandus cum Nestorio consenserint.

Felici, et Elipando accessit, 17. saeculo decurrente, Isaac Berruyerius Soc. Jesu in 8. Volumine historiae Populi Dei *qu.* 2. *De Jesu Christo Dei Filio*, quam erroribus sparsit. Eos vero ebibit ex iis, quae non pauci ex Theologis nihil caute scripserant de Incarnatione: ut Suaresius, qui *in* 3. *p.* *S.* *Th.* *qu.* 23. *art.* 4. *Disp.* 49 *sect.* 1., Christum hominem, ait, Filium esse totius Trinitatis, ea ratione ductus, quod generationis nomine appellatur Incarnatio tum Isaiae c. 53., tum Ps. 109. : Fuit autem Incarnatio totius Trinitatis opus: Per eam

igitur Christus homo totius Trinitatis Filius dicendus est. Cui accedit ex eodem Suaresio, quod si gratia per modum qualitatis inhaerentis collata homines efficit Dei Filios, nonne dicendum de ea, quam Christus substantialiter habuit ob hypostaticam Divinae Verbi Naturae cum humana unionem, quod Christum hominem effecerit speciali ratione Dei unius in tribus Personis, idest totius Trinitatis Filium?

Nihil quoque caute scripserat Vasquesius *in* 3. *p. S. Th. qu.* 23. *art.* 4., et ipse inquiens, Christum, ut hominem, Trinitatis Filium dici posse: illud item non veritus adjicere, quod vox totius Trinitatis fuerit illa in Jordane audita: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; cum tamen D. Matthaeus c. 3. illam immediate tribuat soli Patri, inquiens: *Et vox Patris intonuit: Hic est etc.*

Non minus incaute idem docuerat Becanus *tract. De Incarn. c.* 18. *qu.* 5, tres, inquiens, filiationes in Christo agnoscendas esse; primam, qua filius est Patris; alteram, qua filius est Matris; tertiam, qua filius est totius Trinitatis. Accesserat quoque Theophilus Raynaldus *De attributis Christi tom.* 2. *sect.* 2. *c.* 1.; illud etiam inauditum adjiciens, quod Christus, tamquam Filius Dei Patris, colendus sit supremo latriae cultu; tamquam Filius vero totius Trinitatis, cultu paullo minori: nec non Meratius *tom.* 2. *de Incarn. Disp.* 51. *sect.* 2., illud quoque et novum, et plane contradictorium scribens, per unionem hypostaticam generari, non nasci Filium.

Ex praefatis autem propositionibus, nihil profecto caute prolatis, suos Berruyerus errores evolvit; duplicem in Christo, inquiens, generationem distinguendam esse, alteram aeternam, necessariam, naturalem ex Deo Patre, alteram temporariam, arbitrariam, gratuitam ex tota Trinitate, quippe quod totius Trinitatis opus fuisse Incarnationem, omnes consentiunt: ideoque etiam duplicem quoque filiationem, utramque equidem naturalem, et substantialem, sed alteram increatam, et aeternam per originem a Deo Patre, alteram creatam, factam, et in tempore per unionem hypostaticam Verbi cum natura humana. Hinc quoque duplicem, ait, in Christo agnoscendum esse respectum, alterum ad Deum Patrem, tamquam ejus Filium naturalem, et aeternum per aeternam ab eo generationem, alterum ad Deum unum in tribus Personis

subsistentem, seu ad totam Trinitatem, tamquam ejus Filium naturalem, sed factum per unionem hypostaticam: eorumque respectuum primum, aeternae scilicet filiationis, esse inter Personam, et Personam, nempe inter Patrem, et Filium, alterum, scilicet filiationis temporalis, esse inter Deum, et hominem, seu inter Trinitatem, et humanitatem. Cumque ob communicationem idiomatum tribuatur, et dicatur de Verbo, quod proprie in humanitatem cadit, respectum proinde filiationis temporalis, et factae ad totam Trinitatem utique de ipso Verbo in humanitate subsistente praedicari posse, et debere; ideoque Christum juxta hunc posteriorem respectum aeque esse Filium et Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Filiumque idcirco sui ipsius. Haec luxuriantis Berruyerii ingenii deliramenta. Ejus vero Opus *Historiae Populi Dei* proscripsit Benedictus XIV. Decreto sub die 17. Februarii 1758., tamquam continens *propositiones scandalosas, faventes, et proximas haeresi, atque a communi, et unanimi sensu SS. Ecclesiae Patrum longe alienas*. Quod ob temporum perniciem egit denuo Clemens XIII.; cum enim post Benedicti judicium tertia etiam historiae pars in lucem prodiisset, ait de ea Summus Pontifex, quod *scandali mensuram implevit*, alioque Decreto sub die 2. Decembris 1758. illam proscripsit.

Estne demum Christus, ut homo, unico latriae cultu cum Dei Verbo adorandus? Circa quod praemittendum quid de cultu, ejusque speciebus Theologi docent. Est nempe cultus *actus, quo alterum ob ejus excellentiam veneramur, eique submittimur*: includitque idcirco actum tum intellectus alterius excellentiam cognoscentis, tum voluntatis illi idcirco exhibentis venerationem, et submissionem; dumque exterius manifestetur, actiones etiam includit, quibus alterius excellentiam, ac nostram ei submissionem verbis, vel factis testificamur. Distinguitur vero in civilem, ac politicum, et sacrum, ac religiosum. Civilis, ac politicus, dicitur, *qui alicui defertur ob aliquam ejus aut naturalem, aut saecularem praestantiam*. Sacer vero, ac religiosus, *qui motivo Religionis, et ob supernaturalem in objecto excellentiam illi defertur*. Hic vero subdistinguitur in cultum latriae, duliae, et hyperduliae: Primus dicitur ille, *qui Deo defertur in testimonium supremae, atque increatae ejus excellentiae, ac dominationis in omnia*; estque adoratio stricte dicta. Alter,

qui defertur Dei Servis ob supernaturales gratias, quas ipsis Deus largiri dignatus est. Tertius, *qui defertur Sanctissimae Dei Genitrici*; utpote cui deferendus quidem non est latriae cultus soli Deo debitus, sed nec cultus illi aequalis, qui caeteris Dei Servis impenditur, tum ob Divinam ejus Maternitatem, qua adeo omnibus supereminet, ut D. Joannes Damascenus dixerit l. 4. De fide c. 15. *Matris Dei, et Servorum Dei infinitum est discrimen*; tum ob peculiaria, et insignia gratiarum dona, quibus a Deo, prout decebat ejus Genitricem, prae omnibus simul sumptis ditata fuit. Quinam autem ex praefatis cultus speciebus rei deferatur, ex colentis affectu discernendum est; iisdem namque actibus, et signis externis; quibus Deum adoramus, ipsos quoque Sanctos saepissime colimus, quibus, perinde ac Deo, caput discooperimus, genua flectimus, thus adolemus, etc. Tam latriae demum, quam duliae, et hyperduliae cultus, subdistinguitur in absolutum, et relativum. Primus est, *qui directe redditur subjecto ob ejus propriam excellentiam.* Alter, *qui rei exhibetur non quidem directe ob excellentiam ipsi inexistentem, sed ob excellentiam alterius, ad quem specialem dicit habitudinem.*

Quibus positis, praeter Nestorianos, qui hypostaticam unionem inter Divinam Verbi Naturam, et humanam, ideoque etiam adorationem Christo homini, perinde ac Dei Verbo debitam, negarunt, erravit quoque quoad hoc Gilbertus Porretanus, docens in Scholiis ad Ps. 98., ut scribit Gaufredus Clarevallensis Monachus, ac D. Bernardi discipulus, in epistola ad Cardinalem Albanensem, Christo, ut homini, supremum latriae cultum impendendum non esse. Quia tamen Petavius *l.* 15. *de Incarn. c.* 3. testatur, se illa legisse Gilberti manu exarata in Bibliotheca Victorina, nec in iis reperiisse, quae Gaufredus scribit, immo legisse glossam Gilberti, quae omnino est catholica, graviter dubitatur, an id revera Gilbertus docuerit. Id tamen prius docuit Wiclefus, ut refert Thomas Valdensis *tom.* 1. *doct. fid. l.* 1. *art.* 3. *c.* 44., ac deinde omnes fere Lutherani, et Calvinistae adversus sanctissimam Christi humanitatem blasphemant: quodque magis dolendum, idem quoque placuit ex nostris tum Alexandro Alensi 3. *p. qu.* 30., tum Gabrieli *in* 3. *dist.* 9. *qu.* 2. *art.* 1., tum Theophilo Raynaldo, ut supra diximus. His autem praemissis, sit

Prop. I. Absolute dici nequit, quod unio hypostatica inter Divinam Verbi Naturam, et humanam facta fuerit in Natura; sed exponendo, quomodo id sit intelligendum. Cautius tamen loquitur, qui dicit, quod facta fuerit in Persona. Ita communiter.

Prob. 1. pars; in Natura enim facta non fuit, si per id intelligatur, quod Natura Divina, et humana in unam coaluerint, prout Eutyches supra refutatus docuit. Si vero per id intelligatur, quod Natura Divina, et humana, non quidem morali, et accidentali nexu, quemadmodum duo conjuges, vel Templum, et inhabitator Templi nectuntur, sed intimo, ac naturali, prout naturale opponitur morali, et accidentali, conjunctae fuerint in una Verbi Dei Persona, idipsum est, quod fides catholica contra Nestorium docet. Quo proinde sensu intelligendi sunt Patres apud Petavium *l.* 6. *De Incarn. c.* 1., quum inquiunt, humanitatem a Divinitate assumptam fuisse; ipsi esse immersam, ejusque virtute imbibitam; alteram alteri esse immixtam, ac secundum naturam conjunctas eas esse, et unitas. Sive, ut explicat D. Thomas 3. *p. qu.* 2., quia dum Divina Verbi Persona primario, et propriissime Naturam humanam assumpsit, consequenter, et secundario ipsius Verbi Natura, quae cum ipsa Verbi Persona identificatur, illam assumpsit.

Prob. 2.ª pars verbis Ferrandi Diaconi, qui ad Anatolium scribens, ita disserit: *Pater, et Filius substantia unum sunt, non personis. Una est Natura Patris, et Filii, sed alia est Persona Patris, alia Filii. Filius vero suscipiens carnem . . . Naturam sibi adunavit humanam, sed in unitate Personae, quam non habet cum Patre communem. Ideo non Trinitas, sed tantummodo Filius et natus, et passus est.* Unio scilicet in natura secundum obvium verborum sensum significare videtur, quod immediate facta fuerit inter Naturam Divinam, et Naturam hmanam; ex quo sequeretur, quod simul cum Filio incarnatus quoque, natus, et passus dicendus esset Pater, et Spiritus Sanctus, cum una, eademque numero sit Natura Divina in tribus Personis. Id autem dictu nefas: Cautius ergo loquitur qui dicit, quod utriusque Naturae unio in Incarnatione proprie, atque immediate facta fuit non in Natura, sed in Persona: *Incarnationem Filii Dei* (ita proinde XI. Synodus Toletana in professione fidei) *tota Trinitas operata est, quoniam sunt inseparabilia*

opera Trinitatis ; solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate Personae , non in unitate Divinae Naturae , idest in eo , quod proprium est Filii , non quod commune Trinitati.

Non praetermittendum nempe, quod cum in Divinis nulla adsit realis distinctio inter Naturam , et Personas , sed una summa, incomprehensibilis, atque ineffabilis substantia sint Pater, Filius, et Spiritus Sanctus; hinc Theologi in verbo *assumendi* distinguunt principium *actionis* a principio *terminationis* : actionisque principium tribuunt Naturae Divinae singulis Personis communi , efficientem namque Incarnationis causam fuisse totam Trinitatem , quatenus illa fuit actio , procul dubio est , sicut procul dubio est, quod omnia opera ad extra sunt toti Trinitati communia ; principium vero terminationis tribuunt soli Verbi hypostasi , sive personalitati , quippe quod solum Verbum caro factum est.

Prop. II. Dicendum quoque non est absolute , quod unio hypostatica inter Divinam Verbi Naturam , et humanam fuerit substantialis , et naturalis ; sed sub data explicatione , quonam sensu id dicatur. Ita quoque communiter.

Prob. ; ubi enim appellando illam *substantialem* non intelligatur cum Eutychete , quod mixtio , et confusio aliqua Naturae Divinae cum humana in Incarnatione intervenerit.; sed intelligatur per id contra Nestorium , quod utraque substantia , Divina , et humana , in una , eademque Verbi Dei Persona subsistant , quemadmodum in Persona hominis anima rationalis , et caro : nequit plane id negari , et fide catholica constat. Ubi etiam appellando illam *naturalem* , non intelligatur vel cum Eutychete , quod ex duabus Naturis , Divina , et humana , una per Incarnationem conflata fuerit Natura ; vel quod hypostatica ejus assumptio a Divina Verbi Persona fuerit aliquatenus debita Naturae humanae , quam ex pura benignitate Deus ita dilexit , ut illi Filium suum Unigenitum daret ; vel demum prout naturale opponitur libero, aut supernaturali , quo utroque sensu neque etiam unio hypostatica naturalis dici potest , quippe quod et Divina liberalitate peracta , et omnium supernaturalium gratiarum maxima : sed intelligatur contra Nestorium , quod non moraliter , et per accidens , sed vere , et realiter Divina Verbi Natura cum humana unionem iniit ; nec per

gratiam, et adoptionem, sed ita ut Christus vere, et natura sit ipse Dei Filius, qui idem ac Verbum caro factum; nemo Catholicorum id potest hoc posteriori sensu in dubium vocare: Patet ergo propositum; absolute scilicet dicendum non esse, quod unio hypostatica etc.

Prop. III. Christum esse compositum, dicendum quoque non est absolute; sed explicando sensum, quo id dicatur. Ita quoque communiter.

Prob.; 1.° enim duplex distinguendum est compositi genus; alterum, quod sit ex partibus incompletis, ac se mutuo perficientibus, ut anima, et corpus in homine; alterum, quod non sit, nisi distinctorum unio. Nequit autem Christus appellari compositus primo sensu, in eo enim tum Natura Divina, tum Natura humana perfecta est: dumque Natura humana innumeras ex unione cum Dei Verbi Natura perfectiones hausit, nullam tamen Divina Verbi Natura vel hausit, vel haurire potuit perfectionem ex ejus cum Natura humana unione. Hinc D. Athanasius apud Eutymium in Panoplia p. 2. tit. 15. *Carnis (inquit) in una persona non partium compositionem, sed perfectarum naturarum conjunctionem, qua non duae una fiant essentia, sed una dignitas, et gloria declaratur.* Quod et confirmans D. Augustinus l. 2. contra Maximinum Arianum c. 10., *Christus (inquit) una persona est geminae substantiae, quia et Deus, et homo est. Nec tamen Deus pars hujus personae dici potest; alioquin Filius Dei Deus, antequam susciperet formam servi, non erat totus, et crevit, cum homo Divinitati ejus accessit.*

Altero tamen sensu utique Christus dici potest, et dicendus est compositus, est enim in eo distinctorum unio, Naturae scilicet Divinae, et humanae, quae sunt numero distinctae. Hinc Concilium V. Oecumenicum collat. 8. anathematismo 4.: *Qui non confitetur* (inquit) *unitatem Verbi Dei ad carnem animatam anima rationabili, et intellectuali, secundum compositionem, sive secundum subsistentiam factam esse, sicut et SS. Patres docuerunt, et ideo unam ejus subsistentiam compositam, qui est Dominus noster Iesus Christus, unus de Sancta Trinitate, talis anathema sit.* Quo compositionis vocabulo utuntur quoque D. Cyrillus *l. de recta fide ad Theodosium*, D. Maximus *tract. contra unam naturam*, D. Joannes Damascenus *l. 3. de fide Orthodoxa c.* 3.,

et 5., aliique. Quibus perpensis, patet, dicendum non esse absolute, Christum esse compositum, sed explicando sensum, quo id dicatur.

Accedit, quod, dum Christus dicitur compositus, cavendum etiam est, ne dicatur, vel Naturam habere ex duabus compositam, vel quod ex unione Verbi cum humanitate una prodiit totalis Natura, quemadmodum ex unione animae rationalis cum corpore prodit Natura humana, utrumque enim esset ad Eutychianos flectere; adversus quorum haeresim docet fides catholica, quod ex unione Verbi cum humanitate unum totum prodiit dupli-ci constans natura, quatenus, ut ait D. Thomas 3. p. qu. 4. art. 2. ad 3., *Divina Verbi Persona sua unione impedivit, ne humana natura suam personalitatem haberet.* Ex quibus D. Thomae verbis consequens quoque est, distinctorum unionem, per quam Christus dicitur compositus, ipsam fuisse unitionem, seu assumptionem naturae humanae factam a Verbo; non vero aliquid a Verbo, et humanitate distinctum, per quod, tamquam per medium superadditum, peracta fuerit praefata unio: etsi enim unitio denotet actionem unientis, cujus terminus est ipsa unio, objectum vero in Mysterio, de quo agimus, Naturae humanae susceptio, actio tamen, quam unitio denotat, non est actio productiva, sed unitiva tantum; ex quo sequitur, quod terminus actionis unitivae nullam entitatem denotat, sed ipsum totum duntaxat, quod ex unitis partibus exurgit. Praeterquamquod nedum Natura humana in Christo est Verbo unita, verum etiam Verbum Naturae humanae unitum. Unio autem Verbi cum Natura humana per nullam entitatem Verbo superadditam peracta fuit, quippe quod Divina Verbi Persona nullam recipere potuit entitatem, qua intrinsece afficeretur: Neque igitur Naturae humanae unio cum ipsius Verbi Natura per aliquam entitatem unitivam explicanda est. Quae cum scitu necessaria sint, ut probe intelligatur, quo sensu Christus dicatur compositus, nemo non videt magis, magisque, dicendum non esse absolute, quod sit compositus, sed explicando sensum, quo id dicatur.

Prop. IV. Nedum ex ostensis contra Nestorium Verbum non assumpsit Naturam humanam per se subsistentem, idest hominis personam, sed neque etiam illam potuisset assumere. Ita saltem communius.

Prob.; 1.° enim videtur repugnare in terminis, quod

natura per se subsistens aliena etiam subsistentia subsistat; esset namque ultimo completa, ac simul ultro compleretur; nec non incommunicabilis alteri, tamquam supposito, ac simul alteri, tamquam supposito, communicata. Idem autem dictu est, quod Verbum potuisset assumere Naturam humanam per se subsistentem, idest hominis personam, quodque Natura, quam assumpsisset, et fuisset ultimo completa, ac simul ultro completa ipsius Verbi subsistentia; nec non incommunicabilis alteri, tamquam supposito ac simul Verbo, tamquam supposito, communicata: Non ergo illam per se subsistentem potuisse assumere, consequens est. 2.° quia unio duarum personarum esse nequit physica, et hypostatica, sed moralis tantum, et accidentalis, quemadmodum nempe unio inter ea, quae aggregatione tantum uniuntur, ut acervus lapidum, arenarum cumulus, multitudo militum, etc. Unio autem moralis, et accidentalis non fuisset unio hypóstatica, nec proinde vera ejus assumptio: Rursum ergo patet, quod naturam humanam per se subsistentem nedum Verbum non assumpsit, sed neque potuisset assumere. Hinc Rusticus Diaconus in Disputatione contra Acephalos: *Ex praeexistentibus (inquit) per se personis unio secundum substantiam fieri nequit.* Et similiter Boethius *l. de duabus naturis, et una Christi Persona ante medium*, ubi: *Omnino ex duabus personis nihil umquam fieri potest. Unum igitur esse, dicimus, Christum: quod si ita est, unam quoque sine dubitatione personam esse, necesse est, nam si duae personae essent, unus esse non posset.*

Ita tamen diximus *saltem communius*; Verbum namque non assumpsisse hominis personam, de fide est: illam tamen neque etiam potuisse assumere, personalitate ipsi propria, si ita loqui fas est, illam spoliando, ac sibi eam devinciendo in unitatem personae, communius est, non tamen de fide; ut enim loquitur Leontius Byzantinus apud Thomasinum *l.* 3. *c.* 12., humanitatem Christi non prius formatam esse, neque prius in se habuisse hypostasim, quam a Verbo assumeretur, ultro dabimus: *fieri vero propter hoc unam hypostasim amborum, tamquam non posset aliter fieri, neque posset Deus, et perfectus homo sic uniri, hoc non dabimus; quid enim sic, aut illo modo habenti amplius erit Deo ad unionem? Nec enim tempus unionis, vel locus, vel*

imperfectio corporis, sed ipse modus unionis unum Christum facit. Nec verum est, quod laudatus Thomassinus scribit *l. cit.*, scilicet. *Sanctorum Patrum adstipulatione unanimi unam utriusque naturae ideo factam esse personam, quia non praesubsistens humanitas copulata Verbo postea est, sed creando assumpta. Si autem potest praesubsistens assumi ad personae unitatem, falsum esset, ideo assumptam esse ad unitatem personae, quia non praesubsistens, sed creando assumpta est*: Patres itaque de dogmate tantum solliciti id unum unanimiter docuere, quod Christi humanitas numquam seorsim a Verbo extitit, ac propriam personalitatem habuit. Quaestionem vero, an potuerit Verbum hominis personam propria personalitate spoliare, ac in unitatem personae assumere, sin nemo, saltem vix aliquis quaestionem hujusmodi de possibili conceptis verbis instituit. Addit quidem Thomasinus, quod humanitas, quae propriam umquam habuisset personalitatem, non convenisset postea a Verbo assumi in unitatem personae, et quia profana, utpote aliquando sine Divinitate hypostatice sibi copulata; et quia deflorata quodammodo, utpote creatae hypostasi aliquando subjecta; et quia non ingenua, utpote creatae personae jure, ac dominio aliquando attrita; et quia propriam semel experta hypostasim rugam semper fecisset; nec exactissime cum superiore convenisset hypostasi, insuperabilis quippe est naturae impetus, ac sisti quidem, et retardari potest, sed extingui radicitus haud umquam potest: Verum neque his, neque allatis supra argumentis vim demonstrationis inesse, cuivis consideranti fit perspicuum.

Prop. V. Nullo temporis instanti extitit vel Anima, vel Corpus Christi, antequam a Verbo in unitatem personae assumeretur; sed eodem temporis momento fuit humanitas Christi et perfecta, et a Verbo assumpta. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; ut ex verbis Is. 7., et Matth. 1. *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.* Nec non ex eo quod legitur Lucae 1. *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et ep. ad Gal. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Et ep. ad Rom. 1. *Quod ante promiserat.. de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secun-*

dum carnem. Si autem ullo temporis instanti vel Anima, vel Corpus Christi extitisset, antequam a Verbo in unitatem Personae assumeretur, nec B. Virgo concepisset nobiscum Deum, nec quod ex ea natum esset, fuisset Filius Dei; neque hic factus esset ex muliere, et ex semine David secundum carnem, quippe quod ejus conceptus, seu foetus fuisset in illo primo instanti seorsim a Verbo subsistens, ac mera humanitas, immo hominis persona: Nullo ergo temporis instanti dicendum est, vel Animam, vel Corpus Christi extitisse, antequam a Verbo in unitatem personae assumeretur; sed eodem temporis momento fuisse humanitatem Christi et perfectam, et a Verbo assumptam.

Prob. 2.° ex Conciliis; ita enim V. Synodus Gen. can. 3 apud Nicephorum l. 17. hist. c. 28. *Si quis dixerit, prius formatum Corpus Christi in utero S. Virginis, et deinceps unitum ei Verbum esse, anathema sit.* Ac ita quoque V. Gen. Synodus act. 11., et 13, in quibus lecta fuit, et approbata Sophronii epistola, ubi haec habentur: *Incarnatus Verbum Deus penes nos, non prius effictae carni copulatus, aut praeformato, atque in sese praesubsistenti aliquando corpori implicatus, aut praeexistenti animae compositus, sed his tunc ad existentiam venientibus, quando ipsis Verbum Deus compositus est. Naturaliter coaevam habentia ipsi existentiae unionem, et non ante suam cum Verbo verissimam copulationem per se ipsa umquam fuere, aut cujusquam alterius extiterunt, sed coaetaneam habentia cum Verbi unione existentiam, non vel quantum ictus est oculi anteriorem, ut Paulus Samosatenus, et Nestorius obstrepunt. Simul enim caro simul Dei Verbo caro fuit, simul animata rationaliter, simul Dei Verbi caro animata rationaliter.*

Prob. 3.° ex Patribus; ita enim D. Athanasius l. 1. De Incarn. contra Apollinarium n. 4. *Carnis* (inquiens) *cum Verbi Divinitate conjunctio ex utero facta est; inde enim ipsi Verbum, cum e Coelo advenisset, originem dedit, quippe non erat, antequam Verbum adveniret, etc.* Ita quoque D. Aug. inquiens de Christi humanitate in Enchir. c. 36. *Ex quo esse homo coepit, non aliud coepit esse homo, quam Dei Filius.* Item D. Leo ep. 25. *Natura nostra* (inquiens) *non sic assumpta est, ut prius creata, post assumeretur, sed ut ipsa*

assumptione crearetur. Itemque D. Fulgentius l. de fide ad Petrum c. 18. *Firmissime tene, et nullatenus dubites, carnem Christi non sine Divinitate conceptam in utero Virginis, priusquam susciperetur a Verbo, sed ipsum Verbum Deum suae carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam.* Quibus et concinunt caeteri, unanimiter ajentes, quod si in humana, et ordinaria generatione, cum sensim materia disposita, corporisque organa perfecta fuerint, tunc corpus ab anima informatur; in Verbi tamen Incarnatione, quia corpus, operante Spiritu Sancto, statim et formatum, et perfectum fuit, statim quoque anima rationali fuit informatum, eodemque instanti illud Verbum assumpsit.

Prop. VI. Carnem Verbum Divinum nec assumpsit, nec potuisset assumere, nisi per respectum ad animam rationalem. Ita saltem communius.

Prob. 1.° ex Patribus; ita enim D. Greg. Nazianzenus orat. 1. *Deus (inquiens) animae interventu carni junctus est; ac res inter se distinctae, et dissidentes per interpositae rei cum utraque illarum affinitatem, et cognationem copulatae sunt.* Et or. 35. *Per intermediam mentem Verbum cum carne conjunctum est.* Item D. Ambrosius tract. de Trinit. c. 13. *Verbum, et substantia Dei, quae per omnia incorporea est, corpori humano inseri non poterat, nisi aliqua spiritali natura mediante, idest anima.* Nec non D Aug. ep. 140. c. 4. *Verbum (inquiens et ipse) particeps carnis effectum est rationali anima mediante.*

2.° etiam duplici ratione; 1.° enim natura rationalis animae expers et indecorum fuisset, quod assumeretur a Verbo, et operandae hominum saluti fuisset inutilis. Quod cum ita sit, licet Verbum nedum animam, sed et corpus hypostatice assumpserit, ac tam animam, quam corpus assumserit proxime, et per se, istud tamen conjungi Verbo non potuit, quam propter habitudinem ad animam rationalem: Illud ergo nedum non assumpsit, sed neque, nisi per ejusmodi habitudinem potuit assumere. 2.° cum nemo non videat, indecorum, quoque fuisse, idiomatum communicationem fieri inter Deum, et creaturam ratione carentem. Si autem Verbum Divinum potuisset carnem assumere rationali anima destitutam, fieri etiam potuisset communicatio idiomatum inter

Deum, et creaturam ratione carentem: Non ergo illam rationali anima carentem potuit assumere, sed nonnisi per ejus habitudinem ad animam rationalem.

Objicitur quidem D Thomas, qui p. 3. qu. 6. art. 1. ad 3. ait, animam rationalem fuisse Dei Verbo *medium cogruitatis* ad sumendam carnem; ideoque triduo etiam mortis Christi, *separata anima* a corpore, *remansisse unionem Verbi Dei ad carnem*. Idem autem dictu est, quod anima rationalis fuit tantum congruitatis medium, ut illam assumeret, quodque illam, absolute loquendo, potuisset assumere, tametsi rationali anima carentem, et absque ullo respectu ad animam rationalem: Ita igitur.

Sed respondetur; id eo sensu D. Thomam dixisse, quod, animae, et corporis unione ad tempus cessante, non ideo Verbum triduo mortis Christi mortuum ejus Corpus deserere necesse fuerit, quippe quod tunc quoque temporis respectum, et habitudinem servavit ad animam rationalem rursum per resurrectionem sumendam.

Caeterum *ita* (diximus) *saltem communius*, contradicit enim Laurentius Berti *l.* 26. *De Theol. Discipl. c.* 20. *in fine*, quin tamen vel supra allatas rationes minuat, vel quid solidum proferat.

Prop. VIII. Omnes humanitatis partes, easque inter se, cumque anima rationali unitas, proxime, et per se Verbum assumpsit; quas inter procul dubio sanguinem. Ita communiter.

Prob. Et 1.° eas inter se, cumque anima rationali unitas assumpsisse, patet 1.° ex Patribus, quorum alii dixerunt, Verbum assumpsisse carnem mente rationali informatam; alii carnem mediante anima rationali; alii, quod per assumptionem humanitatis tam perfectus Deus, quam perfectus homo credendus est, quodque homo perfectus exurgit ex anima rationali, et corpore simul conjunctis. Ita nempe Auctor Symboli Athanasiani, nec non PP. Chalcedonenses *act.* 5., Lateranenses *C. Firmiter de Summa Trinitate*, D. Aug. *ep.* 173., D. Joannes Damascenus *l.* 3.° *de fide orthodoxa c.* 2., ac D. Thomas *opusc.* 4. *contra Gentes c.* 37.

2.° ex ratione; ut namque innuimus, ad perfectam humanitatem componendam necessario requiritur, quod ejus partes tum inter se, tum cum anima rationali uniantur. Verbum autem perfectam humanitatem assumpsit:

Omnes ergo humanitatis partes, easque inter se, cumque anima rationali unitas assumpsisse, consequens est. Sive, ut idem diversimode dicamus, non habetur plane humanitas perfecta, qualem de fide est, Verbum assumpsisse, nisi per unionem ejus partium tum inter se, tum cum anima rationali. Quod cum ita sit, idem dictu est, quod Verbum homo factum sit, quodque omnes humanitatis partes tum inter se, tum cum anima rationali unitas assumpserit: Patet ergo propositum. Accedit, quod nisi anima, et corpus a Verbo assumpta fuissent inter se unita, neque etiam potuissent morte a se invicem divelli, quare nec Christus revera esset mortuus, nec revera resurrexisset. Utrumque autem dictu nefas: Unita igitur illa assumpsisse, magis, magisque perspicuum est. Hinc separatas illa assumpsisse, proscripsit quoque Alexander III. Cap. *Cum Christus*, Extravag, *De Haereticis*.

Omnes vero humanitatis partes proxime, et per se assumpsisse, non ita exploratum est apud Theologos; aliis ajentibus, quod omnes omnino hypostatice assumpsit proxime, et per se, aliis vero, quod hypostatice assumpsit proxime, et per se, quae ad humanitatis integritatem, et perfectionem adeo spectant, ut etiam in Corpore Christi resuscitati ex Sacris Litteris extiterint, ut partes organicae, caro, ossa, etc.; caeteras vero remote, seu prout in humanitate inclusas, eique adjunctas, ut sunt capilli, ungues, etc. Porro illas saltem proxime, et per se assumpsisse, ex eo probatur, quod si Verbum proxime, et per se humanum corpus assumpsit, atque illud non mutilum, et imperfectum, sed perfectum, et integrum, hoc ipso plane dicendum est, omnes ejus partes, quae ad humanitatis integritatem, et perfectionem spectant, proxime, et per se assumpsisse. Proxime autem, et per se humanum corpus assumpsit, non enim secus dixisset D. Joannes, quod *caro factum est*; nec non illud integrum, et perfectum, non enim secus esset quemadmodum perfectus Deus, ita et perfectus homo: Omnes ergo humanitatis partes, quae ad ejus integritatem, et perfectionem spectant, proxime, et per se assumpsisse, sequitur.

Quas inter demum sanguinem procul dubio proxime, et per assumpsisse, probatur non quidem ab illis Scripturae textibus, qui infinitae ejus virtuti hominum re-

demptionem tribuunt, ejusmodi enim virtutem fatemur quidem ab eo derivandam esse, quod a Persona infinita effusus fuerit, ab hujus tamen infinitate eamdem virtutem et ejus lacrymae, et omnia quaevis opera consequebantur, quae profecto proxime, et per se uniri Verbo non poterant: sed 1.° ab illis Apostoli verbis ad Heb. 2. *Quia ergo pueri communicaverunt carni, et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem*; ubi Christus eodem modo significatur participasse tam carni, quam sanguini. Ex ostensis autem carnem proxime, et per se assumpsit: Et proxime igitur, ac per se sanguinem assumpsisse, est dicendum.

2.° ex Conciliis, et Patribus; act. enim 1.ª in Conc. Ephesino lecta, et approbata fuit 2.ª D. Cyrilli epistola ad Nestorium, in qua dicebatur, quod *Verbum carnem factum id aliud nihil est, quam quod carni, et sanguini communicavit.* Quemadmodum idem D. Cyrillus docet quoque tum *l. 1. de fide ad Theod.*, tum *hom.* 5. Ephesi recitata, tum *l. 1. de fide ad Reginas.* Idipsum declaravit Conc. Chalcedonense, ubi lecta, et approbata fuit alia D. Cyrilli epistola ad Acacium, in qua et ait: *Verbum caro factum est, idest carnem, et sanguinem assumpsit.* Accedit quoque tum D. Greg. Nazianz. *hom.* 50., ubi, ait, Verbum carnem factum esse *non putative, sed vere*, quia assumpsit corpus *ex carne, ossibus, et sanguine* constans: tum D. Epiphanius haeresi 77., *Christus* (inquiens) *mentis est humanae particeps, quemadmodum carnis, et sanguinis.*

3.° ex Constitutione Extravag. *Unigenitus* Clementis VI. ubi de Sanguine, quem Christus in ara Crucis effudit, haec Summus Pontifex habet: *In ara Crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficiebat, sed velut quoddam profluvium noscitur effudisse.* Unionis autem vocabulum proximam in sensu obvio conjunctionem significat: Taliter ergo dicendum est, Verbum sanguinem assumpsisse.

4.° ex Sacramento Eucharistiae, in quo sicut sub speciebus panis solum Christi Corpus praesens sistitur vi verborum consecrationis, caetera vero, prout Sanguis, Anima, et Divinitas, nonnisi per concomitantiam, ut Tridentinum loquitur; ita sub speciebus vini solus Christi Sanguis vi verborum consecrationis praesens constituitur,

caetera vero ad Christum spectantia, prout Corpus, Anima, et Divinitas, nonnisi etiam per concomitantiam; adeo ut si in triduo mortis Christi Apostolus quisvis celebrasset, Sanguis Christi sine Anima, et Corpore sub specie vini fuisset. Quod cum ita sit, eodem modo dicendum est Verbum assumpsisse et Corpus, et Sanguinem: Prout ergo Corpus, ita et Sanguinem proxime, et per se assumpsisse, sequitur.

5.° demum proxime, et per se Verbum assumpsisse quae ad Corporis integritatem, et perfectionem spectant, jam paullo ante ostendimus. Hujusmodi autem profecto est sanguis, a quo item ipsa vita corporis pendet: Illum ergo proxime, et per se assumpsisse, magis, magisque perspicuum est.

Nonnihil quidem difficultatis praesefert objectio contra superius statuta, quod cum in Christo novus denuo quavis die accesserit sanguis, atque in omnes ejus corporis partes transiens eas nutrierit, e quibus per transpirationem aliae, atque aliae indesinenter recedebant: consequens idcirco est ex iis, quae diximus, quod nova in dies facta a Verbo fuerit materiae assumptio, ac nova in dies alterius materiae ab eo separatio. Id autem pugnat cum eo; quod docet D. Joannes Damascenus *l.* 3. *De fide Orhtodoxa c.* 27., scilicet *numquam a Verbo esse dimissum, quod semel assumpsit*: Nec sanguinem ergo, nec omnes corporis partes proxime, et per se assumpsisse, dicendum videtur.

Sed resp. neg. min.; quum enim dicitur, Verbum numquam dimisisse quod semel assumpsit, sensus non est, quod Corpus assumptum secundum naturae leges non creverit, transpiraverit, aliasque vitales functiones exercuerit, sed Verbum numquam separatum esse ab Anima, et Corpore semel assumptis: quemadmodum dum dicitur, quod anima non separatur a corpore, nisi per mortem, sensus non est, quod a primo instanti, quo conjungitur corpori usque ad vitae obitum continua non fiat ad illud partium accessio, et partium ab eo secessio; ideoque et partium ad animam accessio, aliarumque ab ea dimissio, sed quod nonnisi per mortem vinculum inter eam, et corpus initum solvitur, ita ut amplius persona hominis non habeatur. Et sane an non fides catholica docet, quod Christi Corpus fuit nostro consubstantiale, idest simile quantum ad functiones vitales, nutritionem scilicet, accretionem, etc., ideoque omnibus illis mutationibus ob-

noxium, quas ejusmodi functiones exigunt? Dum ergo illarum functionum vi nova in dies Corpori a Verbo assumpto partium accessio fiebat, simul etiam et ejus Animae, et ipsi Verbo hoc ipso uniebantur; sicut etiam recedentibus jugiter ab eo partibus, jam hoc ipso quod non amplius pertinebant ad integritatem ejus Corporis, hoc ipso etiam non pertinebant amplius ad Verbum, eique esse unitae desinebant.

Qua super re advertendum simul est, longe differre quaestionem, an Verbum hypostatice unitum permanserit sanguini effuso, et a carne separato Passionis Christi tempore: circa quod acris efferbuit sub Pio II. controversia anno 1462. Dominicanos inter, et Franciscanos, his negantem sententiam, illis affirmantem tuentibus, ajentibusque, tum Aragoniae Inquisitorem, tum Clementem VI., teste Cardinali Morlandino ejus nepote, contrariam eorum sententiam, qui dicerent, sanguinem in Passione effusum a Divinitate fuisse separatum, tamquam haereticam, proscripsisse. Cum tamen coram Pio II. ejusmodi quaestio magno aestu per tres dies agitata esset, prius Summus Pontifex in aliud tempus eam referri jussit, ac post biennium, *ad pacem inter illos Ordines, et in universa Ecclesia super hac quaestione conservandam, statuit* (Constitutione data sub Kalendis Augusti), *nulli licere opinionem negantem sanguinem Christi in triduo Passionis a Corpore separatum Divinitati unitum permansisse, ut haereticam, proscribere, donec per Sedem Apostolicam, quid in hujusmodi quaestione sentiendum esset, definiretur.* Ita nempe refert Spondanus ad annum 1462., Probabilius tamen, immo fere certum videtur, quod ipsi sanguini in Passione effuso unitum permanserit: 1.° ob illa Joannis verba ep. 1. c. 5. *Hic est, qui venit per aquam, et sanguinem Jesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua, et sanguine*, ubi de Jesu. Christo praedicatur sanguis, qui simul cum aqua ab ejus latere, cum jam obiisset, effluxit. Per Jesum Christum autem Verbum caro factum intelligendum est: Verbum ergo ipsi sanguini in Passione effuso unitum permansisse, est dicendum. 2.° ob virtutem, quae ipsi sanguini in Passione effuso tribuitur, per Sacramenta scilicet homines justificandi, et sanctificandi; ideo enim de eo ait D. Aug. tract. 120. in Jo., *vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut*

quid aliud, sed aperuit, ut illic quodammodo vitae ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiae manaverunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum; aqua illa salutare temperat poculum; haec et lavacrum praestat, et potum . . . Secundus Adam in Cruce dormivit, ut ut inde formaretur ei conjux, quod de latere dormientis effluxit . . . Quid isto sanguine mundius? Quid illo vulnere salubrius? Virtus autem hujusmodi homines per Sacramenta justificandi, et sanctificandi ipsi sanguini in Passione effuso attributa nonnisi ab unione cum Verbo servata repeti potest: Hanc ergo tunc quoque temporis servasse, dicendum est. Caeterum non amplius illi uniri tum illas Christi sanguinis guttas, quae in quibusdam Ecclesiis venerari dicuntur, tum ejus vestigia, quae Taurini deprehenduntur in Sacra Sindone, Theologi omnes consentiunt, cum aliam formam induerint, nec amplius proinde ad Corpus ab eo assumptum spectent.

Prop. VIII. Unio hypostatica inter Divinam Verbi Naturam, et humanam perpetuo, atque indissolubiliter fuit inita; nec ipso mortis Christi triduo fuit soluta. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; id enim expresse significatur per illa Danielis verba: *Potestas ejus potestas aeterna, quae non auferetur: et Regnum ejus, quod non corrumpetur* (7). Ad triduum item mortis Christi expresse referuntur a D. Petro Actuum c. 2. illa Davidis verba Ps. 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Nonne autem ob aliud *Sanctus Dei* appellatur Christi Corpus in sepulchro jacens, quam ob ejus cum Verbo unionem tunc quoque temporis servatam?

2.° ex fidei Symbolo, quo profitemur credere, eumdem *Jesum Christum Filium Dei Unigenitum, ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, etc.*, eumdem, inquam, *incarnatum, natum, crucifixum, et sepultum esse.* Ipso igitur mortis triduo, quo sepultus jacuit, Dei Filius esse non desiit, nec proinde unio inter Verbum, ejusque Corpus in sepulchro conditum soluta fuit.

3.° ex Concilio Chalcedonensi act. 5., ubi dictum fuit, unionem utriusque Naturae in Christo *indivisibiliter, et inseparabiliter* agnoscendam esse. Nec non ex Tridentino, ubi contrarium improbatum fuisse, occasione Amandi e Servitarum familia Theologi, qui inter disputandum

asseruerat, Corpus Christi demortui sejunctum a Divinitate fuisse, refert Cardinalis Pallavicinus *l.* 17. *hist. Conc. Trid. c.* 6.

4. ex Patribus; ita enim Nyssenus orat. 1. De Christi Resurr. *Deus, qui totum hominem per suam cum illo conjunctionem in naturam Divinam mutaverat, mortis tempore a neutra illius, quam semel assumpserat, parte recessit.* Ita etiam D. Aug. 187. ad Dardanum: *Homo Christus illo die secundum carnem in sepulchro, secundum animam in inferno futurus erat: Deus vero idem ipse Christus ubique semper est.* Ita quoque D. Leo serm. 65. De Passione Dom. c. 1. *In tantam unitatem Dei, et hominis Natura convenit, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disjungi.* Ita demum D. Joannes Damasc. l. 3. De fide c. 27, *Quamvis Christus, ut homo, mortem obierit, sanctaque ipsius anima ab immaculato Corpore distracta sit, Divinitas tamen nec ab Anima, nec a Corpore, quoquo modo sejuncta est, neque propterea persona una in duas personas divisa fuit, siquidem et Corpus, et Anima simul ab initio in Verbi Persona existentiam habuerunt, ac licet in morte divulsa fuerint, utrumque tamen eorum unam Verbi Personam, qua subsisteret, semper habuit. Quam ob rem una, eademque Verbi hypostasis tum animae, tum corporis erat. Neque enim umquam aut Anima, aut Corpus peculiarem, atque a Verbi subsistentia diversam subsistentiam habuit.*

Objicitur quidem 1.° auctoritas D. Hilarii *c.* 33. *in Matth.*, D. Epiphanii *haer.* 20., *et* 69., D. Ambrosii *l.* 10. *in Luc.*, aliorumque, ajentium, mortis Christi tempore carnem fuisse a Divinitate derelictam. 2.° quod si tunc temporis tum Anima, tum Corpus Verbo unita extitissent, inter se quoque mansissent unita; quae enim cum tertio uniuntur, ea quoque inter se uniri, consequens est.

Resp. tamen quoad 1.m, illud Patres eo sensu dixisse, quod Christi carnem Divinitas non eripuit Passionis tempore e saevientium hostium manibus, sed eorum furori ad opus Redemptionis nostrae explendum eam dereliquit. Quo etiam sensu ipse Christus jam moriturus ait: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*; quemadmodum et D. Leo *serm.* 66. *De Pass.*, et alii quoque Interpretes explicant. Quoad alterum vero, consequens non esse ex unione Animae, et Corporis cum Verbo ipso mortis

Christi triduo, quod manere etiam debuerint inter se unita, alia enim in eo erat unio animae, et corporis ad se invicem, alia utriusque unio cum Verbo; per illam namque corpus ab anima informabatur, quae illud informare tunc desiit; per hanc vero tum Anima, tum Corpus Christi non fuit umquam, nisi Verbi hypostasi subsistens, quod ipso Mortis Christi triduo constanter mansit.

Prop. IX. Admittenda in Christo est *praedicatio utriusque Naturae, Divinae, et humanae, earumque proprietatum de una, eademque Verbi Dei Persona in utraque subsistente* (eaque est, quae dicitur communicatio idiomatum); ita tamen, ut dum eidem Personae tribuuntur; quae utrique Naturae conveniunt, unius Naturae attributa in alteram non transferantur; dumque ea, quae humanitatis sunt, non enuncientur, quasi eadem realiter sint cum Christi Persona. Est de fide.

Prob. 1.° pars. Et 1.° ex Scripturis; dicitur enim Christus *ante Luciferum genitus* (Ps. 109); *Unigenitus, qui est in sinu Patris* (Jo. 1.); *Abrahamo prior* (Jo. 8.); *super omnia Deus benedictus in saecula* (ad Rom. 9.); aeternus, ac immutabilis ep. ad heb. c. 1. Sicut etiam dum dicitur Deus, dicitur simul acquisiisse Ecclesiam sanguine suo; ita nempe Act. 20.; ubi: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*: dicitur animam pro nobis posuisse; ita nempe ep. 1, Jo. c. 3., ubi: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit*: dicitur Salvator; ita nempe ep. ad Tit. c. 2., ubi: *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium.* Quaenam autem haec, nisi praedicatio in Christo utriusque Naturae, earumque proprietatum de una eademque Persona in utraque subsistente; per quam, ut diximus, significatur communicatio idiomatum: Patet ergo propositum.

Accedit ex Scripturis quod Christus ait Jo. 3. *Nemo ascendit in Coelum, nisi qui descendit de Coelo Filius hominis, qui est in Coelo.* Nec non Jo. 10. *Ego, et Pater unum sumus.* Et Jo. 14. *Pater major me est.* Et Apostolus 1. ad Cor. 11. *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent.* Non autem utraque loquendi forma, nisi praedicatio de eodem Christo ob unitatem Personae Verbi, quae in eo est, seu de una, ea-

demque Christi Persona et eorum, quae propria Dei sunt, et eorum, quae propria sunt hominis: in Coelum scilicet ascensurum, et e Coelo descendisse secundum humanitatem, ac simul esse in Coelo secundum Divinitatem; unum esse cum Patre quoad Naturam Divinam, ac simul Patre minorem quoad Naturam humanam, esse Dominum gloriae, quatenus Deum, ac simul crucifixum, quatenus hominem: Rursum ergo patet propositum. Quod ut alia etiam ratione dicamus, si praedicetur de Filio hominis, quod erat in Coelo, priusquam illuc ascenderet, et de Domino gloriae, quod crucifixus fuerit, profecto enuntiantur de Filio hominis, quae Divinitatis sunt propria, et de Deo Verbo, quae humanitati conveniunt. Id autem fit in relatis locis, quia nempe Filius hominis, et Dominus gloriae una persona sunt; nec aliud per communicationem idiomatum juxta definitionem traditam significatur: Et clarius ergo patet propositum.

Prob. 2.° ex Symbolo Nicaeno, et Constantinop., in quo de uno, eodemque Christo tam Divina, quam humana praedicantur: Divina scilicet, credendo *in unum Dominum J. C. Filium Dei Unigenitum, ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.* Humana vero profitendo, quod idem Dominus J. *C. incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, homo factus, crucifixus, passus, et sepultus est.* Quaenam autem haec, nisi item praedicatio utriusque Naturae, Divinae, et humanae, earumque proprietatum de una, eademque Christi Persona, ideoque communicatio idiomatum?

Prob. 3.° ex Patribus; ut enim inquit D. Greg. Nazianz. ad Theophilum scribens: *Propter exactam unitionem assumptae carnis, et assumentis Divinitatis communicantur, et mutuo dantur nomina, ita ut et humanum ex Divino, et Divinum ex humano denominetur: quapropter et qui crucifixus est, Dominus gloriae a Paulo vocatur.* Ut vero disserit D. Aug. ep. 187. ad Dardanum, *sicut unus homo est anima rationalis, et caro, sic et unus Christus est Verbum, et homo. Proinde quod ad Verbum attinet, Creator est Christus, omnia enim per ipsum facta sunt. Quod vero ad hominem, creatus est Christus, factus est enim ex semine David secundum carnem.* Quod de caeteris proprietatibus utriusque Naturae

dicendum quoque esse, nemo est, qui non videat. Apposite etiam Vigilius Martyr l. 4. contra Eutych. *Verbum dicitur Caro, et caro dicitur Verbum, non quia in se utrumque mutatum sit, sed quia utrumque una Persona, idest unus Christus est. Et ideo recte credimus, et praedicamus c m Apostolo Deum Crucifixum, et mortuum in humana natura, quae ex uniti Verbi consortio Deitatis possidet nomen.* Quibus et alii addi possent, nisi esset superfluum.

Prob. 4.° ratione theologica; unica enim ex ostensis contra Nestorium, et Eutychetem, in Christo est persona, duabus constans Naturis integris, et perfectis, ita ut nihil desit sive Divinae, sive humanae, sed utraque cunctis suis attributis, et proprietatibus gaudeat. Quod cum ita sit, nedum utramque naturam, verum etiam quae utriusque sunt propria praedicanda de Christo esse, nemo est, qui non videat; idque in Christo significatur ex tradita definitione per communicationem idiomatum: Patet ergo propositum. Deinde quasnam praebet eadem supra tradita idiomatum communicatio, nisi has, hisve similes enunciationes: Christus est Deus; Christus est homo: Deus est homo; homo est Deus: Omnipotens infirmitates nostras portavit; Qui infirmitates nostras portavit, est Omnipotens: Æternus in tempore factus est: Qui factus est in tempore est aeternus; etc. . Has autem, hisve similes enunciationes fides unitatis personae in Christo necessario exigit: Et communicationem ergo idiomatum eamdem fidem exigere, evidens est.

Sed quis hic dicet: Licet anima, et corpus in homine una sint persona, nulla tamen inde exurgit communicatio idiomatum, nec nisi inscite, et falso enunciaretur, quod anima sit corpus, et vicissim; quod homo sit mortalis, sitque immortalis, sit spiritualis, sitque corporeus. A pari igitur, licet Natura Divina, et Natura humana in Christo una sint Persona, idest Verbi, nulla etiam inde exurgit communicatio idiomatum, ac inscite etiam, et falso enunciatur: Christus est Deus, Christus est homo: Christus est Patri aequalis, Christus est Patre minor, Christus est ab aeterno genitus, Christus est natus in tempore, etc.

Resp. tamen neg. cons., et paritatem, cum enim anima, et corpus in homine sint Naturae incompletae,

non habetur proinde in homine unitas personae, quae subsistat in anima, et corpore, ideoque animae, et corporis praedicata suscipiat, sed persona, quae ex unione animae, et corporis exurgit, et cum qua proinde non identificantur realiter nec substantia animae, et corporis, nec animae, et corporis attributa, sed sunt, tamquam pars respectu totius. At non item in Christo, in quo cum unica Verbi Persona subsistat in utraque Natura, Divina, et humana, utriusque etiam Naturae et nomina, et attributa rectissime suscipit, ita ut quemadmodum verissime dicitur *Christus est Deus etc.*, ita et verissime dicitur *Christus est homo, etc.*; modo tantum nulla reduplicatio fiat, ut si diceretur: *Christus, quatenus Deus, est homo, etc.*, *Christus, quatenus homo, est Deus, etc.*, quod falso diceretur.

Caeterum quia inter animam, et corpus, quibus homo constat, datur unio personalis, nec inscite, nec falso, sed recte, ac vere, quae et animae, et corporis sunt propria, praedicantur de homine. Sic recte, et vere dicitur: Homo est spiritualis; homo est corporeus: Homo est mortalis; homo est immortalis: non aliud namque hae, aliaeque id genus enunciationes, nisi unitatem personae hominis duas substantias complectentis, designant; nec aliud, quam eum, qui habet humanitatem, tum animam spiritualem, tum corpus habere; eamdemque personam, quae habet corpus mortale, animam simul habere immortalem. Hinc quia aeque inter Divinam, humanamque Naturam in Christo adest unio personalis, aeque etiam de eo tum utraque Natura, tum quae utriusque sunt propria, praedicanda sunt; ideoque admittendam in eo esse communicationem idiomatum; magis, magisque perspicuum est.

Prob. 2. pars; quemadmodum enim de fide est contra Nestorium, quod duae in Christo Naturae Divina, et humana in una Verbi hypostasi uniuntur, ita de fide est contra Eutychetem, quod eaedem Naturae distinctae, et impermixtae cum suis attributis, et proprietatibus in eo sunt, utque Concilium Chalcedonense definiit, *inconfuse, et immutabiliter*. Quod cum ita sit, ita quoque in Christo admittenda est praedicatio utriusque Naturae, earumque attributorum de ejus Persona in utraque subsistente, ut dum eidem Personae tribuuntur, quae utrique Naturae conveniunt, ob Personae uni-

tatem, unius tamen Naturae attributa in alteram non transferantur, ob impermixtarum Naturarum differentiam, et distinctionem: Patet ergo propositum. Hinc D. Aug. l. 11. contra Maximinum c. 20. *Si ergo attendas unitatem personae, et filius hominis descendit de Coelo, et filius Dei est crucifixus. Si distinctionem substantiarum, Filius Dei de Coelo descendit, Filius hominis crucifixus est.* Hinc quoque D. Cyrillus in 10. Thesaur. *Duarum Naturarum discretio ex dictis, et factis necessario facienda est. Quare debemus quae vero Deo conveniunt, Divinitati ejus; quae homini vero, humanitati nostrae, quam propter nos assumpsit, accommodare.* Similiter Vigilius l. 5. contra Eutych. *Impium, et sacrilegum est ea, quae sunt propria Carnis Christi, ad Naturae Verbi proprietatem referre, et quae sunt propria Verbi, carni adscribere.* Demum D. Fulgentius De Incarn. et gr. c. 11. *Ita in Christo unigenito Dei Filio personam non dividunt propria Naturarum; neque unitas Personae potest utriusque Naturae propria confundere, vel auferre.*

Prob. 3. pars; nam cum Divinitas, et omnia Divinitatis attributa realiter cum Christi Persona, idest Verbo, identificentur, recte idcirco de Christo dicitur, eum esse Divinitatem, omnipotentiam, sapientiam, etc., quemadmodum de eo ait Apostolus 1. ad Cor. c. 1., vocans Christum *Dei virtutem, et Dei Sapientiam*; sicut etiam esse veritatem, et vitam, quemadmodum ipse de se ait Jo. 6. illis verbis: *Ego sum via, veritas, et vita*; revera enim Verbum ipsa est Divinitas, ipsa omnipotentia, ipsa Sapientia, nec non ipsa Veritas, et vita. Cum tamen Natura humana, ejusque Attributa uniantur quidem Verbo, sed ab Ipso realiter distinguantur, Christum proinde esse humanitatem, vel humanitatis Attributa, inscite, et falso diceretur; revera enim Verbum humanitatem assumpsit, sed non est ipsa humanitas; eodemque modo assumpsit quidem humanitatis attributa, realiter tamen non est idem cum iis, sed tantum per assumptionem. Hinc damnatus fuit in Conc. Constantiensi articulus 4. Joannis Hus, inquiens: *Duae Naturae, Divinitas, et humanitas, sunt unus Christus*; non enim Christus, sub quo nomine designatur suppositum, idest Verbum, est humanitas, sed humanitatem assumpsit.

Quibus positis, licet, quae dicta sunt, servatis,

inoffensa fide idiomatum fiat communicatio, operae tamen pretium existimamus, ut quas Theologi de hoc agentes argumento leges assignant, et nos quoque summatim prosequamur. Sequitur ergo ex dictis, quod communicatio idiomatum accipienda non est secundum naturam, sed secundum personam; cum enim in hypostasi sit nexus, in hypostasi etiam praedicanda est communicatio, nec nisi de Verbi hypostasi, cujus utraque natura est cum suis attributis, ac de qua idcirco utriusque naturae idiomata recte enuntiantur. Hinc falsae sunt propositiones: *Divinitas est humanitas*, *humanitas est immensa*, *etc.*, in ambabus namque, aliisque id genus propositionibus fieret communicatio idiomatum secundum naturam, non secundum personam. Hinc etiam recte dicitur: *Deus factus est homo*, non tamen contra: *Homo factus est Deus*: nam in prima propositione per subjectum *Deus* significatur Verbum, nec aliud propositio enunciat, quam quod Verbi Dei Persona humanam Naturam assumpsit. In altera vero per subjectum *homo* nequit Verbum intelligi; ac propositio significaret, quod persona humana facta esset Deus, quod nefas dictu.

2.° quod nomina concreta, tum substantiva, ut *Deus*, *homo*, *etc.*, tum adjectiva, ut *omnipotens*, *aeternus*, *natus*, *passus*, *etc.*, possunt in Christo de se invicem praedicari; at non item abstracta, ut *Divinitas*, *humanitas*, *impassibilitas*, *passibilitas*, *etc.* Nomina enim concreta tum substantiva, tum adjectiva significant subjectum cum forma; ut *Deus*, *homo*, significant subjectum, seu suppositum habens Divinitatem, humanitatem; *omnipotens*, *aeternus*, *natus*, *passus*, *etc.* significant subjectum, seu suppositum habens omnipotentiam, aeternitatem, in lucem editum, passionibus affectum. Unum autem est in Christo subjectum, seu suppositum, idest Verbum, quod sibi, et quae Divinitatis, et quae humanitatis sunt, vindicat: Recte igitur in Christo omnia nomina concreta tum substantiva, tum adjectiva de se invicem praedicantur. Hinc verum in eo est: *Deus est homo*, et *homo est Deus*; itemque: *Homo est omnipotens*, *aeternus*, *etc.*, nec non: *Deus natus est in tempore*, *passus est*, *etc.*; in his enim, aliisque id genus propositionibus, tam *Deus*, quam *homo* significat suppositum; ac utique verum est in Christo, quod ejus suppositum, idest Verbum, habet tum Divinitatem,

tum humanitatem, estque omnipotens, ac absque ullo temporis principio, etc.; quodque secundum humanitatem assumptam editum in tempore fuit a B. Virgine, ac se passionibus in humanitate assumpta subjecit. Id quoad nomina concrecta, tum substantiva, tum adjectiva, quae de se invicem praedicantur. At non item, diximus, nomina abstracta, haec enim solam formam absque subjecto significant. Communicatio autem idiomatum praedicanda in Christo est de ejus subjecto, seu persona, cum enim, ut diximus, utriusque naturae nexus sit in persona, in hac etiam agnoscenda est communicatio idiomatum: Nomina ergo abstracta hoc ipso, quod non significant subjectum, seu personam, neque etiam in eo possunt de se invicem praedicari Hinc falso diceretur, ut supra etiam advertimus: *Divinitas est humanitas*, et *humanitas est Divinitas*, *etc.*

3.° quoad nomina concreta, sive substantiva, sive adjectiva, praedicari numquam possunt in Christo de abstractis: abstracta vero de concretis aliquando possunt in eo praedicari, aliquando non. Primum, quia cum nomina abstracta solam formam absque subjecto significent, si praedicarentur proinde concreta de abstractis, praedicatio fieret de forma, seu natura, non de subjecto, seu persona. Ut autem idiomatum communicatio recte fiat, eorum praedicatio esse debet de subjecto, seu de unica Verbi Dei Persona in ambabus Naturis subsistente, quae proinde sibi vindicat utriusque idiomata: Dum ergo in eo praedicentur concreta de abstractis, recte non fiet idiomatum communicatio. Hinc falso diceretur: *Divinitas est Christus. Divinitas est is, qui pro nobis natus, passus est, etc.* Hoc quoad 1.m. Quoad alterum vero, quia utique in Christo possunt nomina abstracta praedicari de concretis, quum realiter identificantur cum Christi Persona; ut *Christus est Divinitas, omnipotentia, aeternitas, etc.*, ob rationem supra allatam, quod omnia Dei Attributa realiter identificantur cum Christi Persona, quae est ipsa Persona Dei Verbi. Nequeunt vero in eo praedicari de concretis, quum non sunt realiter idem cum ejus Persona; ut *Christus est humanitas, etc.*

4.° quoad concreta adjectiva, a substantivis derivata, ut *Divinus*, *Dominicus*, *Deifer*, *humanus*, *etc.*, neque etiam recte praedicari de Christo possunt. Nomina

enim hujusmodi participationem tantum significant substantiae, seu Divinae, seu humanae; Christus vero particeps non est vel Divinitatis, vel humanitatis, sed perfectus Deus, et perfectus homo; utique ait Apost. ad Coloss. 1., *in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*. Hinc D. Aug. l. 1. Retract. c. 19. *Non video* (inquit), *utrum recte dicatur* homo Dominicus, *qui est Mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus, cum sit utique Dominus .... sed ubicumque hoc dixi, dixisse me nollem. Postea quippe vidi, non esse dicendum, quamvis nonnulla possit ratione defendi.* Censet quidem D. Thomas 3. p. qu. 16 art. 3., quod absque erroris periculo possit Christus *homo Divinus* appellari; ut enim disserit, *nomen illud* Divinum *consuevit praedicari etiam de his, de quibus praedicatur essentialiter nomen Deus, dicimus enim, quod Divina essentia est Deus . . . et Verbum Divinum, cum tamen Verbum sit Deus.* Sed et ab hac enunciatione satius quoque est abstinere; et Plato enim *Divinus* a plerisque appellatur; nec paucos, qui praeclara in quavis re, et insignia gesserint, eadem quoque appellatione condecoratos fuisse, et passim condecorari, nemo est, qui ignorat.

5.° quod quum aliqua enunciatio, licet alioqui vera, potest tamen in pravum sensum deflecti, simpliciter, et absolute non pronuncietur, sed cum explicatione; ut ex. gr., *Christus est creatura*, qua Ariani abutebantur, ut ipsum Verbum creaturam dicerent: a qua proinde, aliisque id genus enunciationibus simpliciter, et absolute pronunciatis cavendum est, ac nonnisi cum explicatione dicendum: *Christus est creatura, quatenus homo, etc.* Immo, ne ullatenus cum haereticis communicetur, satius, ac religiosius erit, ab omnibus etiam id genus propositionibus reduplicative prolatis abstinere; ut enim disserit D. Hilarius l. 12. De Trin. n. 4. *Per Dominum Christum creata omnia sunt: et idcirco ei proprium nomen est, ut sit Creator*; quomodo et eum passim Apostolus appellat. Maxime vero, quia in id genus enunciationibus sub Christi nomine intelligitur suppositum, idest Verbum; de quo vel praedicatum *Creatura*, vel alia id genus praedicata proferre, impium esset, et Catholicae fidei e diametro adversum.

6.° quod propositiones, quae unionem hypostaticam non supponunt, sed exprimunt, a lege communicationis

idiomatum egrediuntur. Hinc vera est enunciatio: *Deus factus est homo*; at non item: *Homo factus est Deus*, cum ob rationem supra allatam, tum quia communicatio idiomatum est quid consequens unionem hypostaticam, ideoque ad ea tantum, quae illam consecuta sunt, potest extendi.

Prop. X. Nec ubiquitas, nec ullum aliud Divinum Attributum in Christi humanitatem ex communicatione idiomatum formaliter profluxit. Est de fide.

Probatur. Et quidem quoad ubiquitatem apertissima primum sunt Scripturarum testimonia illam Christi humanitati denegantia tum ante, tum post Resurrectionem; ad quae metaphorice accipienda, ut Lutherani contendunt, obstat regula communiter recepta, et *l.* 1, *cap.* 5. *prop.* 1. *pag.* 96. statuta, quod Scripturae nonnisi litteraliter accipiantur, ubi evidens ratio aliter non cogat. Ita igitur Jo. 11. v. 15. *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi.* Et v. 21. *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Et c. 6. *Exivi a Patre, et veni in Mundum; iterum relinquo Mundum, et vado ad Patrem.* Item Matth. 28 *Iesum, qui crucifixus est, quaeritis? Non est hic.* Quibus accedunt ea omnia, in quibus Christus exhibetur iter faciens, ac modo huc, modo illuc gradiens; ac modo in templo docens, modo in navi ambulans, modo in Deserto commorans; nec non in quibus natus, crucifixus, sepultus, descendisse ad inferos, ascendisse ad Coelos: quae omnia mutationem loci praeseferre, nemo est, qui non videat. Locum autem mutare non potuisset, si ubique esset: Non ergo ubique.

Apertissima item sunt SS. Patrum testimonia, quae videri possunt apud Petavium *l.* 10. *de Incarn. c.* 7., aliosque; ex quibus sufficiat D. Aug. *ep.* 187. *ad Dardanum*, ubi ita S. Doctor: *Secundum hanc formam non est putandus* (Christus) *ubique diffusus. Cavendum enim est, ne ita Divinitatem astruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique, ut Deus . . . . Aliter homo ille in Deo, quoniam aliter et Deus ille in homine, proprio quodam, et singulari modo. Una enim persona Deus, et homo, et utrumque est unus Christus Jesus, ubique per id, quod Deus est, in Coelo autem per id, quod est homo.*

Quod et demum multiplex ratio confirmat ; 1.° enim ex ostensis prop. ant., ita in Christo agnoscenda est communicatio idiomatum, ut dum eidem Personae tribuuntur, quae utrique Naturae conveniunt, unius Naturae attributa in alteram non transferantur. Praedicando autem ubiquitatem de Christi humanitate, transferretur in Naturam humanam, quod proprium est Naturae Divinae: Non ergo ubiquitas de ejus humanitate praedicanda est.

2.° quia si in Naturam humanam ex ejus unione hypostatica cum Verbo immensitas, aliaque ipsius Attributa defluxissent, et desiisset Natura humana humanitatis proprietates habere, et dicendum esset alterutrum ex his duobus, scilicet vel quod illa Attributa sint in una Natura, quae se immiscuerit cum altera, vel quod sint in utraque. Porro nec dici potest, quod Natura humana desierit humanitatis proprietates habere, nec quod Divinae, et humanae Naturae Attributa sint post Incarnationem in una Natura, utrumque enim ipse esset Eutychetis error, contra quem definiit Concilium Chalcedonense, quod unio hypostatica humanitatis cum Verbo, facta fuit, *salva proprietate utriusque Naturae*, quodque Christus *agnoscendus est in duabus Naturis*. Postremum vero inveheret duas Naturas immensas, omnipotentes, etc., quod impium, et absurdum dictu, ipseque esset Polytheorum error: Figmentum ergo haec ubiquitatis, aliorumque Divinorum attributorum communicatio in Christi humanitatem a Lutheranis invecta.

3.° quia etsi anima, et corpus personaliter in homine uniantur, tamen nec corpori anima, neque huic corpus, quae sibi sunt propria, communicat, neque enim corpus intelligere, velle, reminisci, neque animam verberari, uri, ambulare, sedere, umquam dictum fuit. Quod cum ita sit, aeque etiam licet Natura Divina, et Natura humana personaliter in Christo uniantur, dicendum tamen non est, quod Natura Divina communicet humanae, quae sibi sunt propria, et vicissim: Rursum ergo figmentum illa ubiquitatis, aliorumque Divinorum Attributorum communicatio in Christi humanitatem a Lutheranis invecta.

4.° quia si humana Christi Natura hausisset ab ejus unione hypostatica cum Verbo ipsius vel omnipraesentiam, vel quodlibet aliud Attributum, hausisset quoque ab ea

cuncta Divinitatis Attributa, tum quia cuncta aeque sunt infinita, ideoque a finitudine et limitatione subjecti inhaesionis aeque excluduntur; tum quia Attributa Divina realiter inter se identificantur. Ab ea autem cuncta Divinitatis Attributa hausisse, ipsimet Lutherani negant: Neque igitur vel Omnipraesentiam, vel quodlibet aliud Attributum hausisse, consequens est.

5.° si ex assumptione hypostatica humanae Naturae a Verbo profluxit in ipsam humanam Naturam ejus vel Omnipraesentia, vel quodlibet aliud Attributum, cur aeque in Naturam Divinam Verbi, quaedam saltem non profluxit ex illa assumptione humanitatis proprietas? Dicent Lutherani, non amplius concipi Divinam Naturam, simul ac quae ejus sunt propria non concipiatur habere. Utique. At ubinam concipietur quoque humana Natura, simul ac omnipraesens, aliaque infinitate praedita concipiatur? Ex assumptione autem hypostatica humanae Naturae a Verbo, ipsimet Lutherani negant, ullam profluxisse humanitatis proprietatem in Naturam Divinam: Neque ergo ex assumptione hypostatica humanae Naturae a Verbo ejus vel Omnipraesentia, vel quodlibet aliud Attributum in eam profluxit.

6.° ipsum denique Sacramentum Eucharistiae, ad cujus veritatem adstruendam expediens Lutherus judicavit ubiquitatis commentum, illud exsufflat; si enim Christus eatenus in Eucharistia adesset, quatenus esset ubique, dicant Lutherani, ubinam amplius ejus specialis realis praesentia sub sacris speciebus, ejusque ex ore in stomachum trajectio? Quidnam superesset dicendum, nisi cum Sacramentariis, quod per solam virtutem Eucharistiae communicatam ibi esset praesens? Id autem Lutherani ipsi condemnant.

Objicitur quidem a Lutheranis 1.° ex Scripturis et quod Christus post suam Resurrectionem ait: *Data est mihi omnis potestas in Coelo, et in Terra* (*Matth. ult.*). Et quod de eo ait Apostolus tum ad Coloss. 2. *in ipso* scilicet *inhabitare omnem plenitudinem Divinitatis corporaliter*; tum ad Eph. 4., *ascendisse* scilicet *super omnes Coelos, ut impleret omnia.* Nec potestatem autem in Coelo, et in Terra exercere posset, nec plenitudo Divinitatis in eo inhabitaret corporaliter, nec impleret omnia, nisi ubique esset: Ubique igitur. 2.° Christus, ut homo, *sedet ad dexteram Patris*, ut fidei Symbolum

profitetur. Pater autem est ubique: Et Christus igitur, ut homo, ubique est dicendus. 3.° quod cum Christi humanitas intime, et inseparabiliter uniatur Verbo, ubicumque idcirco est Verbum, humanitas quoque Christi esse debet. Ubique autem est Verbum: Et ubique igitur Christi humanitas. Denium quod si alicubi adesset Verbum, quin simul ibi adesset humanitas ab eo assumpta, en inter Verbum, ipsamque humanitatem non quidem unio, sed divisio, non indissolubilitas, sed solutio. Haec autem arctissimime, et indissolubiliter Verbo unitur: Ubicumque ergo Verbum, ibi etiam humanitas ab eo assumpta dicenda est.

Resp. tamen ad 1 m, Christo, quae dicuntur in objectis locis convenire quoad Personam, non vero quoad Naturam humanam, quae citra omnem confusionem cum Divina suas proprietates immutabiliter, et inconvertibiliter ex ostensis contra Eutychetem retinuit. Utque etiam respondeamus ad singula ex allatis testimoniis, non aliud potestatis vocabulo in citato Matthaei loco intelligitur, quam Ecclesiae regimen, exaltatio nominis, judicii auctoritas, nec non caetera, quae ad Christi gloriam, et fidelium gubernationem spectant: quae cum ejus supposita ubiquitate nihil commune habere, evidens est. Per plenitudinem vero Divinitatis in eo corporaliter inhabitantem intelligi, ut D. Aug. interpretatur in laudata ep. ad Dardanum, quod *solide*, *atque veraciter*, non vero *praefigurantibus signis*, *neque umbraliter*, *tamquam in Templo a Rege Salomone facto*, Divinitas in Christo inhabitat; quod ex eodem Apost. ad Coloss. confirmari potest, ubi eadem vox *corpus* reperitur ad significandam veritatem in antiquis figuris latentem. Hinc neque id commune aliquid habere cum supposita ejus ubiquitate, nemo est, qui non videt. Per verba demum, quod ascendit super omnes Coelos, *ut impleret omnia*, juxta quosdam intelligitur, quod ascendendo in Coelum omnia Prophetarum vaticinia complevit: per alios vero abundans gratiarum largitio, quibus Ecclesiam per Spiritum Sanctum e Coelis missum cumulavit; ut patet ex verbis tum praecedentibus: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem*, *dedit dona hominibus*; tum subsequentibus: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos*, *quosdam autem Prophetas*, *etc.* Utramque autem expositionem nihil quoque commune habere cum supposita ejus ubiquitate, perspicuum est.

Ad 2.m neg. cons. ; per sessionem enim Christi ad dexteram Patris honoris aequalitas intelligitur, quam Christus cum Patre habet ratione Personae, quae ipsa est Persona Dei Verbi, aequalis, et consubstantialis Patri, non vero, humanam Christi Naturam esse Divinitati aequalem, quod nefas dictu. Ex eo idcirco, quod Persona, qua humanitas Christi subsistit, est ipsa Verbi Dei Persona, utique sequitur, quod Christus homo ubique est, ut Deus; at non item sequitur, quod etiam reduplicative, ut homo, sive quantum ad Naturam humanam, sit ubique, in ipsis namque terminis pugnat, quod subjectum finitum, prout Natura humana, vel immensitatem, vel ullum aliud Attributum infinitum posset suscipere: *Unus idemque* (ita apposite D. Fulgentius l. 2. ad Trasimundum c. 17.) *secundum humanam substantiam absens Coelo, cum esset in Terra, et derelinquens Terram, cum ascendisset in Coelum. Secundum Divinam vero, immensamque substantiam nec Coelum dimittens cum de Coelo descendit, nec Terram deserens cum ascendit in Coelum?* Quod et alii Patres praedicant, ut D. Ambr. *l.* 2. *de fide c.* 8., D. Aug. *tract.* 78., D. Greg. *hom.* 29., *etc.*

Ad 3.m neg. sequ. maj. ; cum enim Deus sit ubique totus, ex eo idcirco, quod Christi humanitas intime, et inseparabiliter unitur Verbo sequitur quidem, quod ubicumque est Christi humanitas, ipsi totum Verbum intime, et inseparabiliter est unitum, non vero, quod tantum pateat, quantum Deus diffunditur. Utque idem diversimode dicamus, ex intima, et indissolubili Divinitatis Verbi, atque humanitatis unione in Christo sequitur utique, quod ubicumque est ejus humanitas, ibi est etiam Verbi Divinitas ipsi hypostatice unita: at non item ex opposito, quod ubicumque est Verbi Divinitas, ibi etiam sit Christi humanitas; cum enim per suam cum Verbo unionem suas non amiserit proprietates, neque idcirco finitatem, per quam circumscribitur loco, deperdidit, sed ipsi agnoscenda est intime, ac inseparabiliter unita per hypostaticam unionem, non vero per localem ubique coexistentiam.

Ad 4.m denique neg. etiam sequ. maj.; eo ipso enim, quod ubicumque est humanitas assumpta, ibi etiam est Verbum, eo ipso, inquam, jam concipitur unio indissolubilis inter Verbi Divinitatem, et humanitatem assum-

ptam. Ubicumque scilicet est humanitas assumpta, ibi etiam est Verbi Divinitas? Numquam ergo humanitas assumpta a Divinitate Verbi distrahitur. Quid clarius?

Prop. XI. Nullatenus catholico sensu dici potest, quod Christus, ut homo, sit Filius Dei adoptivus, sed etiam sub tali respectu absolute dicendus est Filius Dei naturalis. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Scripturis, ubi, ut homo, nedum nullibi appellatur Filius Dei adoptivus, verum etiam appellatur semper Filius Unigenitus, qualis appellatio excludit filiationem adoptivam, utpote qua omnes justi gaudent; itemque Filius proprius, ac verus, qua appellatione excluditur quoque filiatio adoptiva, quae est dumtaxat gratiosa, et per dilectionem. Appellatur autem Filius Dei Unigenitus, etiam ut homo, Jo. 1. tum versu 14., ubi dicitur; *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti etc.*; tum ubi additur v. 18. *Deum nemo vidit umquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*; quo utroque loco de Christo, ut homine, sermonem fieri, manifestum est, sermo enim fit de Verbo, quod caro factum est, quodque caro factum Divina hominibus enarravit. Item c. 3., ubi: *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret*: quo etiam loco de Christo, ut homine, sermonem fieri, ex eo patet, quod illum, ut hominem, Pater pro nobis tradidit. De quo, ut homine, etiam loqui eumdem Joannem tum loco cit. v. 17., quum ait: *Misit Deus Filium suum in Mundum . . . . . Qui credit in eum, non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei*; tum ep. 1. c. 4., ubi ait: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum Unigenitum misit Deus in Mundum, ut vivamus per eum*, nemo est, qui non videat. Appellatur vero Filius Dei proprius ep. ad Rom. c. 8. *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Itemque Filius Dei verus ep. 1. Jo. c. 5. *Et scimus, quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus Deum verum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita aeterna*: Non ergo Christus, etiam qua homo, filius Dei adoptivus, sed naturalis. Illa etiam Davidis verba Ps. 109, *Ex utero ante luciferum genui te* ad temporalem etiam Christi

Nativitatem communiter ab Interpretibus referri; nemo est, qui nesciat. Ac demum idipsum quoque Christum confessum esse, quum a Caipha interrogatus, ut legitur Marci 14., an esset *Filius Dei benedicti*, assentiendo respondit: *Ego sum; et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei*, cuivis consideranti fit perspicuum; non enim eum Caiphas interrogaverat, an esset Filius Dei adoptivus, quod commune est omnibus justis, quodque illi idcirco in crimen vertere non poterat, sed an esset natura Dei Filius. Hinc cum Christus id confessus esset, ait ad Judaeos Caiphas: *Audistis blasphemiam?*

Prob. 2.° ex Symbolis Nicaeno, et Constantinop., quo jubemur credere, *D. N. Jesum Christum, qui conceptus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est*, esse *Filium Dei Unigenitum, ex Patre natum ante omnia saecula, etc.* Itemque Patrum testimoniis apud Petavium *l. 7. de Incarn. c. 2.* et 3., Laurentium Berti *De Theol. Discipl. l. 27. c. 3. prop. 2.*, aliosque.

Prob. 3.° rationibus theologicis; nam 1.° nomen filii nomen est personae, non naturae, quippe quod natura, ut non semel diximus l. 3., nec generat, nec generatur. Hinc autem dum sequitur, Christum ratione humanae naturae nec naturalem, nec adoptivum Dei Filium esse dicendum, consequens item est, quod Christus homo, seu ut homo, dicendus est Filius Dei naturalis, quippe quod persona Christi, etiam qua homo est, ipse est Deus Verbum, qui est Filius Dei naturalis: Etiam ergo, ut homo, Filius Dei naturalis dicendus est.

2.° quia, ut disserit Paulinus Aquilejensis in *Sacro-Syllabo* supra cit., *adoptivus dici non potest, nisi is, qui alienus est ab eo, a quo dicitur adoptatus, et gratis ei adoptio tribuitur; quoniam non ex debito, sed ex indulgentia tantummodo adoptio praestatur*. Nefas autem esset aliquid hujusmodi dicere de Christo, ut homine; cum neque etiam, ut homo, sit persona aliena, seu extranea, sed ipsa Verbi Dei Persona, Patri consubstantialis: Neque ergo, ut hominem, Filium Dei adoptivum dici posse, magis, magisque evidens est.

3.° quia etiam in humanis, licet, qui genitus est, genitus tantum sit quoad corpus, non vero quoad animam rationalem, quia tamen anima, et corpus personaliter uniuntur, filius naturalis dicitur ejus, a quo genitus

est, nulla abstractione facta quoad corpus, sed absolute et simpliciter, quatenus ex anima rationali, et corpore unus est homo. Quod cum ita sit, aeque etiam, licet Christus substantiam habeat Dei Patris, quatenus est Deus, non vero quatenus est homo, quia tamen in eo Divinitas, et humanitas personaliter uniuntur, naturalis Dei Filius dicendus est, nulla abstractione facta, quatenus est Deus, sed absolute, et simpliciter, quatenus ex Natura Dei Verbi, et Natura humana assumpta unus est Christus: Magis ergo, magisque patet propositum.

4.° quia quemadmodum ante Incarnationem generatio Verbi Dei a Patre erat absque humanitate, postmodum assumpta, ita ejus generatio post Incarnationem est simul cum Natura humana, quam sibi hypostatice, atque inseparabiliter devinxit; unde ad Christi generationem temporalem illa quoque Davidis verba Apostolus refert in ep. ad heb c. 1. *Filius meus es tu, Ego hodie genui te.* Quod si Persona Verbi Dei jugiter a Deo Patre gignitur post Incarnationem simul cum humanitate assumpta, dicendum profecto, quod etiam sub tali respectu, seu quatenus Verbum caro factum, est Filius Dei naturalis, quin ullo modo dici possit Filius Dei adoptivus: Rursum ergo magis, magisque perspicuum, quod asseruimus.

5.° demum, quia cum filius naturalis, et filius adoptivus inter se opponantur, prout proprius, et alienus, intimus, et extraneus, illud, quod ex necessitate, quodque est ex arbitrio, hoc ipso idcirco, quod Christus, ut homo, dici posset Filius Dei adoptivus, dici non posset sub tali respectu Filius Dei naturalis. Cum autem B. Virgo illum sub tali respectu genuerit, hoc ipso etiam idcirco, quod sub tali respectu dici non posset Filius Dei naturalis, neque etiam B. Virgo dicenda esset Deipara, quod est contra fidem: Et contra fidem igitur, quod sub tali respectu dici possit Filius Dei adoptivus, sed etiam sub eo dicendus est Filius Dei naturalis.

Objicitur quidem 1.° quod Apostolus ad Rom. 1. ait de Christo: *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute.* Nec non c. 8., ubi ab eo appellatur *primogenitus in multis fratribus.* Idem autem dictu est, quod praedestinatione, et gratia filius; quodque filius non natura, sed adoptione: idemque dictu quod primogenitus,

quodque non unigenitus, ideoque etiam non natura, sed adoptione filius: Talis igitur. 2.° auctoritas plurimorum Patrum, a quibus item vocatur filius per adoptionem. 3.° quod Christus quoad humanitatem recte dicitur Dei servus. Ad quod referri possunt illa Isaiae verba tum c. 42. *Ecce servus meus, suscipiam eum*, quae de Christo interpretatur D. Matthaeus c. 11. v. 28.; tum c. 49. *Et nunc haec dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi.* Item quod legitur apud Zach. c. 3. *Adducam servum meum Orientem*; nec non ad Gal. c. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege*; et 1. ad Cor. c. 15. *Cum subjecta fuerint illi omnia, tum et ipse Filius subjectus erit et*; nonne enim idem dictu factum sub lege, subjectumque esse, ac esse servum? Servus autem, non natura, sed adoptione tantum filius esse potest: Secundum humanitatem igitur, non natura, sed adoptione Filius est dicendus. 4.° an non errando, et naturas cum Eutychete miscendo, Christus, ut homo, appellaretur Deus? Deus autem, et Filius Dei naturalis unum sunt, idemque: Ergo et errando, ac naturas cum Eutychete miscendo, naturalis Filius, quatenus homo, appellabitur. 5.° an non etiam, ut homo, est Patri extraneus? Extraneus autem nonnisi adoptione potest esse Filius: Talis ergo Christus, quatenus homo. Demum nemo ibit inficias, duas in Christo generationes distinguendas esse, aeternam scilicet, et temporalem; quibus profecto diversus quoque terminus respondere debet. Per illam autem est Filius Dei naturalis: Per alteram ergo non natura, sed assumptione, et adventione Filius.

Resp. tamen quoad 1.m neg. cons.; dicitur enim Christus ab Apostolo *praedestinatus Filius Dei in virtute*, tum quia talis declaratus, seu manifestatus signorum splendore, ac praecipue mirabili ejus Resurrectione ex mortuis, cujus proinde Apostolus expresse meminit; tum quia ab aeterno praedefinitum fuerat, quod per hypostaticam humanitatis susceptionem a Verbo a primo ejusdem procreationis instanti in Virginali Matris utero, idem naturalis, unigenitusque Dei Filius Divinitatem simul, et humanitatem in una, eademque Persona haberet. Et sane, ut disserit D. Aug. *l. de Praed. SS. c.* 15., cum nihil compleatur tempore, quod ab aeterno non fuerit a Deo praeordinatum, nonne etiam ab aeterno

dicendum a Deo est praeordinatum, *ut ille homo a Verbo Patri coaeterno in unitatem personae assumptus Filius Dei Unigenitus esset ?* Appellatur vero *primogenitus in multis fratribus*, tum quia, ut diximus *l. 3. cap. 5. resp. ad 5. pag.* 115., prius, idest ante saecula genitus; tum quia nonnisi per ipsum haereditatem Coelorum consequimur; tum demum quia *non confunditur vocare nos fratres*, per quem *adoptionem filiorum recepimus*, *ut filii Dei nominemur*, *et simus.*

Quoad 2.m, non deesse quidem ex Patribus, qui ante haereses postea exortas Christum dixerunt Filium per adoptionem, sed, ut ostendit Laur. Berti *l.* 27. *De Theol. Discipl. c.* 2. ex aliis eorum contextibus, adoptione amplissimo sensu accepta, prout nempe significat naturae assumptionem; ex ostensis namque *l.* 3. *cap.* 5. *pag.*, *et sequ.*, tam diserte Christum et verum, ac summum Deum, et natura Dei Filium professi fuere, ut hanc eorum fidem in quaestionem vocare idem prorsus esset, ac tenebras luci velle offundere.

Quoad 3.m dist. maj.; quod nempe Christus appellari potest Dei servus lato sensu, et nempe quomodo etiam Filius naturalis servire dicitur Patri, quumejus voluntatem exequitur, et quatenus habet *formam servi*, in qua *venit ministrare, non ministrari*; non autem stricto sensu, quia nomen servi taliter acceptum personam denotat extraneam ad serviendum conductam, qualis neque est, neque appellari potest qui natura est Filius, Hinc negat Apostolus ep. ad heb. c. 1., et 3., quod Christus sit Dei servus, quippe qui Filius. Quod et negat D. Dionysius Alex. *ep. adversus Paulum Samosat.*; D. Aug. *haer.* 3.: *Dominus noster* (inquiens) *etiam in forma servi non est servus*; Theodoretus *Dial.* 2., inquiens, Verbum assumpsisse quidem formam servi, ut scribit Ap. ad Philipp. c. 2., sed non esse servum; D. Joannes Damascenus *l.* 2. *De fide orthod. c.* 2.; caeterisque omissis, Summus. Pont. Adrianus scribens ad Hispaniae Episcopos: *Decetne enim* (inquit) *nos humillimos, ac miserrimos illum nominare servum, quem universalis Ecclesia Evangelicis, atque Apostolicis imbuta lucidissimis documentis Deum, ac Dominum suum totis medullis cordis, tota animi devotione in dextera Patris profitetur sedentem ?* Itemque quem Deus Pater Filium suum dilectum et in Jordane, et in

Monte Thabor appellavit? Cui post gloriosam ejus Resurrectionem omnis potestas data est in Coelo, et in Terra? In cujus nomine demum necesse est, quemadmodum ait Apostolus ad Philipp. c. 2., ut omne genu flectatur Coelestium, terrestrium, et infernorum?

Quoad 4.m neg. cons.; quia enim *Deus*, et *homo* sunt vocabula, quae per se, ac directe ad naturam spectant, habita idcirco ratione humanitatis, nonnisi errando, ac naturas cum Eutychete miscendo Christus, ut homo, appellaretur Deus. Cum tamen filiatio, et adoptio sint vocabula, quae per se, ac directe personam afficiunt, nonnisi etiam errando, ac Personam Christi distinguendo cum Nestorio a Persona Dei Verbi Christus, ut homo, appellaretur Filius Dei adoptivus. At profitendo juxta fidem Catholicam, quod Persona Christi ipsa est Verbi Dei Persona, de qua nullatenus praedicari potest Filiatio per adoptionem, quomodonam Christus, etiam ut homo, Filius Dei adoptivus ullatenus appellari poterit?

Quoad 5.m neg. maj.; cum enim nomen Filii, ut diximus, sit nomen personae, ideoque filiatio non competat naturae, sed personae; licet proinde humanitas sit Deo Patri extranea, extranea tamen ei non est Persona, quae eam assumpsit, sed ipsi consubstantialis, utpote eadem Verbi Dei Persona; neque idcirco ei extraneus Christus, ut homo, sed et ipsi consubstantialis, utpote eadem Verbi Dei Persona habens simul Divinitatem, et humanitatem.

Quoad ult. neg. cons.; distinguuntur namque in Christo duae illae generationes; sed ex parte generantium, non ex parte Personae genitae, seu Filii: quem proinde duas veluti habitudines ex parte generantium habere, consequens est; unam ad Patrem, ad Matrem alteram. Hinc apposite D. Ambrosius l. de Incarn. Dom. Sacramento c. 5. n. 35. *Non alter ex Patre, alter ex Virgine; sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine.*

Facili demum opera solvuntur ex his, quae diximus aliae etiam id genus contra propositam veritatem argutationes: quod nempe Christus, ut homo, non est Deus. Pugnat autem in terminis, natura Dei Filium Deum non esse: Neque ergo natura Dei Filius Christus, ut homo. Item quod Christus, ut Deus, est Filius Dei naturalis. Ut Deus autem non est homo: Neque ergo, ut homo,

Filius Dei naturalis. Demum quod Christus, ut homo; non est ab aeterno a Patre genitus. Ut Filius autem naturalis, est ab aeterno a Patre genitus: Non ergo, ut homo, Filius Dei naturalis. Quibus omnibus resp., quod et 1.°, et 2.°, et 3.° loco *homo*, et *Deus* accipiuntur in praemissis pro natura; in consequenti autem *homo* accipitur pro persona, nam nomen filii, ut diximus, non est nomen naturae, sed personae, quae in Christo non est persona humana, sed ipsa Persona Dei Verbi habens post Incarnationem Divinitatem, et humanitatem. Quidnam autem e quovis argumento, quod quatuor constet terminis, concludi potest?

Prop. XII. Duplex in Christo generatio ex Patre, et ex Trinitate, ac duplex inde filiatio in eo respondens, ac duplex filiationis relatio ad Patrem, et ad Trinitatem, utraque etiam de Verbo in humanitate subsistente ob communicationem idiomatum praedicanda, totidem sunt Berruyerii deliramenta fidei adversantia.

Prob. Et 1.° ex Scripturis supra prolatis contra haeresim Felicianam, duplicem in Christo filiationem docentem, naturalem, et adoptivam. Nonne enim illi concinit Berruyerius, alteram re, et nomine naturalem Dei Filiationem admittens, alteram nomine quidem naturalem, re vero adoptivam ex gratia? Item ex Scripturis prolatis contra Nestorium; cum enim nomen Filii sit, ut non semel diximus, nomen personae, duplex proinde in Christo Filiatio, quam in Christo distinguit Berruyerius, duplicem quoque in eo Personam invehit. Ac demum ex Scripturis prolatis contra Arium; aeque enim contra Arium, et contra Berruyerium intorqueri potest Fidei Symbolum Arii haeresi oppositum, quo profitemur credere *in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum* (non Filium duplicem). ***Et ex Patre natum*** (non vero natum ex Patre, et ex Trinitate) *ante omnia saecula* (non vero ante omnia saecula, et in tempore). *Genitum, non factum* (non vero factum, et creatum).

2.° ex Patribus *l.* 3. *cap.* 5. prolatis, atque uno ore Christum praedicantibus Filium Patris unigenitum, non vero umquam vel Trinitatis Filium, vel hypostaticam Verbi cum humana Natura unionem veri nominis generationem ajentibus. Quibus accedit Aug., expresse denegans, quod Spiritus Sanctus Christi Pater dicendus sit;

ita enim in Enchir. c. 38. *Numquid dicturi sumus, Patrem hominis Christi esse Spiritum Sanctum? . . Quis hoc dicere audebit?* Ipsum vero esse Filium totius Trinitatis, insaniam, et temeritatem vocat D. Fulgentius in Fragm. 32, et l. 9. de invoc. Trinit. *Quis umquam* (inquiens) *tantae reperiri possit insaniae, qui auderet Jesum Christum totius Trinitatis Filium praedicare? Ecclesia quippe Dei unum sciens Patrem unius Filii, et unum sciens Spiritum Sanctum Patris, et Filii, numquam potest Jesum Christum Filium Trinitatis dicere, quia neque duos Patres, neque duos Filios, neque duos Spiritus Sanctos potest aliquatenus praedicare . . . Idem Jesus Christus secundum carnem opus totius Trinitatis agnoscitur, nec ideo tamen totius Trinitatis Filius invenitur; humanam quippe naturam Filii Dei, idest formam servi, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, idest ipsa Sancta Trinitas fecit, sed eam solus Jesus Christus accepit . . . Hujus rei veritas sicut non permittit quartam personam plenitudini Divinae Trinitatis adjungi, sic omnino prohibet, Jesum Christum Filium Trinitatis nuncupari . . . Proinde Jesus Christus secundum carnem quidem opus est totius Trinitatis, secundum vero utramque nativitatem solius Dei Patris est Filius.* Hinc etiam eum nullatenus dici posse totius Trinitatis Filium, docet D. Thomas 3. p. qu. 32. art. 3. *Quamvis Christus* (inquiens) *secundum humanam naturam sit creatus, et justificatus, non tamen debet dici Filius Dei neque ratione creationis, neque ratione justificationis, sed solum ratione generationis aeternae, secundum quam est Filius Patris solius. Et ideo nullo modo debet dici Filius Spiritus Sancti, nec etiam totius Trinitatis.*

3.° ex eo quod, positis quae de duplici paternitate, de duplici generatione, de duplici filiatione Berruyerius effutiit; quodque utraque Christi filiatio naturalis quidem est, et substantialis, sed altera ab aeterno vi paternae originis increata, altera in tempore vi unionis hypostaticae facta, et creata quae de Verbo praedicanda sit ob communicationem idiomatum, vi cujus de Verbo in humanitate assumpta subsistente praedicari potest, et debet, quod proprie in humanitatem cadit: positis, inquam, ejusmodi Berruyerii deliramentis, pullulabunt, ut diximus, e cineribus et Felix, ac Elipandus, quippe quod Christus, ut homo,

diverso modo esset Filius, quo est Filius, ut Deus: et Nestorius, quippe quod nomen Filii cum sit nomen personae, duplex proinde filiatio duplicem quoque personam invehit: et demum Arius ipse, cum quo necesse erit Filium factum a Filio aeterno distinguere. Quae omnia cum fidei adversentur, hinc etiam duplex in Christo generatio, etc.

Reponit quidem Berruyerius ex Suaresio, Incarnationem appellari generationem tum Isaiae c., 53. tum Ps. 109.; quae Psaltis Regii verba referuntur quoque ad temporalem Christi Nativitatem in ep. ad heb. c. 1., atque ad ejus Resurrectionem in Actis Apostolorum c. 13.. Quod cum ita sit, duplex quoque in Christo agnoscenda est generatio, aeterna, ac temporalis; ex qua generationis duplicitate duplex quoque et paternitas, et filiatio consequens est.

Respondet tamen Bossuetius *in Dissert. in Ps.* 2., quemadmodum diximus etiam l. 3. tract. 1. cap. 5. pag. 72. *non uno, ac certo die, sed quemcumque dixeris diem, eo die Filium et gigni, et genitum esse; ejusque nativitatem semper novam, semper antiquam, nusquam imperfectam, ac veluti in motu, sed semper absolutam, perfectamque in actu, et Filium ipsum quotidiano, seu potius aeterno, et immutabili partu semper effusum, semper hodie genitum, atque, ut ait Isidorus Pelusiota. et recentem, et sempiternum . . . Hinc Apostolus ad temporalem quoque ex B. V. nativitatem illud* hodie *refert ep. ad heb., et ad Resurrectionem transfert Act. c. 13.; haec enim quid aliud sunt, quam aeternae illius generationis consecutio, sive, ut ita dicam, progressus, et extensio quaedam? Sane cum Spiritus Sanctus in Mariam supervenit, et virtus Altissimi obumbravit ei, nihil aliud egit Pater, quam ut Unigenitum, quem in sinu gerebat, in Mariae quoque sinum funderet, et novo modo gigneret. De Resurrectione vero non aliter dixerim: cum enim ille ipse Dei, et hominis Filius est mortuus, eumque Pater ex mortuis suscitavit, non aliud ostendit, nisi impossibile fuisse teneri a morte Dei vivi Filium . . quo necesse fuit, ut iterum ederetur, et quodammodo gigneretur, h. e. suscitaretur per eam actionem scilicet, quae ad verum, et proprium Filium terminata, aeternae generationis illius quidam progressus esset.* Quae

Psalmi verba idem Paulus *ad Christi Sacerdotium quoque refert ad heb. c.* 5, *ut omnia, quae de Christi gloria sanciuntur, ab hoc uno fonte profluant, quod sit natura, et vera generatione Filius, atque inde et mirabili conceptione, et gloriosa Resurrectione dignus, ac denique apud homines quoque et Regno., et Sacerdotio clarus.* Placuit totum Bossuetii locum exscribere, quia appositissimus ad os Berruyerii penitus obstruendum.

Addit tamen ex eodem Suaresio Berruyerius; quod si gratia sanctificans per modum qualitatis inhaerens justos efficit adoptione filios, dicendum profecto est, quod eadem humanitati Christi substantialiter inhaerens vi ejus unionis hypostaticae cum Verbo efficiat Christum hominem speciali ratione Dei unius in tribus Personis, idest totius Trinitatis Filium.

Sed respondetur 1.° ; quod nonne gratia substantialis aeque propria est et Patris, et Verbi, et Spiritus Sancti? Numquid tamen vel Pater, vel Verbum, vel Spiritus Sanctus Filii nomen acquirunt? 2.° quod gratia sanctificans in persona extranea adoptivae filiationis est forma. Estne tamen Deo extranea Christi Persona, an potius, ut fides docet, una, eademque Verbi Dei Persona? 3.° quod gratia sanctificans est adoptivae filiationis forma, si eam recipiens filii adoptivi rationem possit suscipere. Hanc autem filii rationem suscipere nequit Christi humanitas, quippe quod filii nomen personam afficit, qualis Christi humanitas non est, utpote non subsistens, nisi ipsa Verbi Dei hypostasi.

Ex hoc tamen Berruyerius argumentum ducere ipsi favens praesumit; nonne enim Verbum, inquit, in Incarnatione suam hypostasim, cumque hac Naturam Divinam communicavit humanitati, quam assumpsit? Communicatio autem naturae ipsa est generatio: Cum ergo ejusmodi communicatio fuerit opus totius Trinitatis, per eam proinde Christus homo totius Trinitatis filius prodiit.

Sed resp. dist. maj., et min. Verbum nempe in Incarnatione humanitati, quam assumpsit, suam hypostasim, cumque hac suam Naturam communicasse, idest se illi uniisse in unitate personae, non vero illâm ex propria produxisse substantia. Naturae autem communicatio ipsa est generatio, dum sit processus, atque origo viventis a vivente in similitudinem naturae ex vi processio-

nis, ut diximus *l.* 3. *tract.* 2. *cap.* 3. *pag.* 187., non vero dum sit simplex unio, quam nonnisi per verborum abusum Berruyerius generationem appellat.

Prop. XIII. Una, eademque adoratione, qua Deus Verbum, est quoque Christus homo colendus. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; ut ex ep. ad Eph. c. 2. *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo. sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens . . . Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine ejus omne genu flectatur coelestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*; ex quibus Apostoli verbis sic disseritur: Quid per Christum Jesum, nisi Verbum caro factum, ideoque Christus, et quatenus Deus, et quatenus homo? Idem autem dictu est, quod et rapinam arbitratus non est, esse se aequalem Deo, et quod in nomine ejus omne genu flectendum est, et quod est in gloria Dei Patris, seu eamdem gloriam cum Patre habet, quodque supremo latriae cultu, ideoque una, eademque adoratione, qua Deus Verbum, est adorandus: Patet ergo propositum.

Idem quoque argumentum ducitur ex illis verbis Apocalypsis c. 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et Divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem*: itemque ex aliis Sacrarum Litterarum testimoniis, qui consuli possunt *l.* 3. *tract.* 1. *cap.* 5. *pag.* 78., *et sequ.*

Prob. 2. ex Conciliis; ita enim II. Gen Synodus collat. 8. can. 9. *Si quis duas adorationes introducit, et non una adoratione Verbum incarnatum cum propria carne adorat, anathema sit.* Item III. approbans D. Cyrilli Anathematismos, ex quibus octavus, unum honorem, unamque glorificationem Christo impendendam, definit. Quod deinde D. Cyrillus illius Synodi Praeses loco Coelestini Rom. Pontificis disertius explicans *l.* 1. *De fide ad Reginas*, in Christo (ait) *non esse unam naturam, quae adoretur, et alteram, quae non adoretur, sed utramque simul adorari unica adoratione.* Item

IV., praefatum Anathematismum rursum approbans in definitione fidei; nec non V. can. 9., anathemate inurens, qui *non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat*. Ac demum Concilium Lateranense sub Martino I, can. 9. *Si quis* (inquiens) *non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod Sanctae Dei Ecclesiae ab initio traditum est, talis anathema sit.*

Prob. 3.º ex PP., ex quibus D. Athanasius ep. ad Adelphium: *Rem creatam* (inquit) *non adoramus: absit. Ethnicorum enim, et Arianorum est ejusmodi error. Sed rerum creatarum Dominum carnem factum Dei Verbum adoramus. Etsi enim ipsa caro seorsum spectata pars sit rerum creatarum, attamen Dei facta est corpus. Neque vero hujusmodi corpus a Verbo dividentes adoramus, neque cum Verbum volumus adorare, ipsum a carne removemus.* Concinit D. Ambrosius in illa Ps. verba: *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est;* ait enim l. 3. De Spiritu S. cap. 11. *Per scabellum terra intelligitur, per terram autem Christi caro, quam hodie in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino adorarunt; neque enim divisus est Christus, sed unus; neque quum adoratur, tamquam Dei Filius, natus ex Virgine denegatur.* Aliisque praetermissis, ita demum in eadem Ps. verba D. Aug. *Timeo adorare Terram, ne me damnet, qui fecit Coelum, et Terram. Rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei . . . Fluctuans converto me ad Christum, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.*

Prob. demum ratione theologica; ex ostensis namque contra Nestorium, utque loquitur Symbolum Athanasianum, *sicut anima rationalis, et caro unus est homo, ita Deus, et homo unus est Christus.* Eodem autem honore honoratur in homine anima, et caro, quis namque eodem

cultu non veneratur in Rege ejus tam animam, quam Corpus? Et eodem ergo honore veneranda in Christo est ejus tam Divinitas, quam humanitas, quippe quod utraque unius, ejusdemque Verbi, ad quod honor refertur. Utque idem paullo diversa ratione promamus, an non cultus terminatur ad personam, ejusque excellentiae respondere debet? Haec autem in Persona Christi est increata, et infinita, ac excellentiae hujusmodi supremus debetur latriae cultus: Hic ergo debetur, estque Christo impendendus.

Hinc patet, quomodo respondendum sit ita argutanti: Supremus latriae cultus nonnisi Deo debetur. Humanitas autem Christi non est Deus: Neque ergo illi supremus latriae cultus debetur. Resp. enim dist. min.; quod nempe Christi humanitas non est Deus, seu non est Natura Divina: nedum tamen unitur Verbo in unitate Personae, ac nonnisi unam cum eo personam constituit, verum etiam spectari nequit separata a Verbo, quin ut persona mere humana consideretur; quod nefas. Cum ergo unam cum Verbo personam constituat, unum quoque, eumdemque honorem illi deberi, ac ipsi Verbo, consequens est, quippe quod honor defertur personae, nec jam partibus seorsim sumptis, sed toti, seu supposito. Cumque item spectari nequeat separata a Verbo, eamque taliter spectare summa esset impietas, unde D. Athanasius orat. contra Arianos, *Adoraturi* (ajebat) *non separamus Verbum a carne*, neque etiam proinde ab ejus cum Verbo unione abstrahendo dici potest, quod alio, quam supremo latriae cultu, sit colenda.

CAPUT VI.

De eximia humanitatis Christi perfectione.

Quamquam et hoc unum sit ex consectariis unionis hypostaticae Divinae Verbi Naturae cum humanitate, quam in Incarnatione assumpsit, peculiariter tamen in hoc capite id tractandum suscipimus ob materiae amplitudinem. Qua super re paucis dicimus de perfectione ejus corporis, quod cum Christi corpus Spiritu Sancto operante, ejusque virtute formatum fuerit, dubitandum non est, quod fuerit perfectissimum, optime temperamento

praeditum, ac omnibus suis partibus absolutissimum. Hinc, licet non habuerit muliebrem pulchritudinem, qua carnales oculi capiuntur, non videtur tamen illi deneganda singularis venustas in apta partium dispositione, convenienti statura, et temperato colore sita: immo *igneum quiddam, atque sydereum ex oculis ejus radiasse, et Divinitatis Majestatem luxisse in ejus facie*, scribit D. Hieron. in c. 21. Matth., et in ep. ad Principiam: quod et opinatur D. Chrysostomus *hom.* 28. in Matth., D. Bernardus *ser.* 2. *De omn. SS.*, D Thomas *in Ps.* 44., et ipse Regius Psaltes videtur innuere, a quo Messias Ps. cit. vocatur *speciosus forma prae filiis hominum*: quem locum de animi virtutibus, et Divinitatis gloria interpretantur quidem D. Basilius, Chrysostomus, Theodoretus, ac D. Augustinus in h. l., ob verba immediate sequentia: *Propterea benedixit te Deus in aeternum. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem*, sed et de corporis pulchritudine illum explicat et laudatus Chrysostomus, et D. Augustinus, et D. Thomas locis supra citatis. Hinc complures solo aspectu traxisse, nedum scribit idem Hieron. *ep. ad Princip.*, verum etiam ex vocatione Apostolorum apud Matth. c. 4., et 9., et apud Joann. c. 1. confirmari potest. Nicephorus quoque Callistus l. 1. c. 4., tamquam a Majoribus traditum, refert, eum *egregio, vividoque vultu fuisse, corporis statura ad palmos prorsus septem: caesariem habuisse subflavam, nec admodum densam, capillos prolixiores, etc.*; quodque de statura refert, ipsis quoque oculis in S. Syndone miraculorum celebritate, devotione D. Caroli Archiep. Mediolanensis, et Julii II. Diplomate confirmata, conspicitur. Quod vero Isaias de eo ait c. 52. *Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus*; et c. 53. *Non est species ei, neque decor*, ad ejus tum pauperem vitam, tum Passionis tempus Interpretes referunt.

Haec satis de perfectione ejus corporis; non parum namque immorandum nobis est super perfectione ipsius animae; qua super re argumentum in sequentes paragraphos dispescimus.

§. I.

De perfectione ejus intellectus.

Huic primum Gnostici, et Valentiniani detraxerunt, ajentes, et infantiae imbecillitati obnoxium fuisse, et ejus cognitiones fuisse aliquando incertas, et non pauca etiam ignorasse. Ita nempe de iis D. Irenaeus *c.* 16, *et* 17. Eidem quoque detraxerunt Ariani, ut scribit D. Athanasius *or.* 4. *contra eosdem*, accensendo Verbum, quod loco mentis in Christo fuisse, cum Apollinaristis ajebant, caeteris rebus creatis, eique denegando plenitudinem scientiae. Pronum quoque erat ex Nestorii haeresi, quod eidem Nestorius detraheret, quodque et multa ignorasse, et in scientia de die in diem profecisse, diceret. Idque confirmat D. Cyrillus Alex. *l.* 3. *adv. Nest.* . In eodem errore versatos fuisse plures ex Eutychianis, auctore quodam Themistio Diacono, a quo dicti fuerunt *Themistiani*, etiamque Agnoetae ob ignorantiam, quam Christo tribuebant, testis est Eulogius apud Photium *in Bibl. Codice* 230. . Eos tamen D. Greg. M. *l.* 10. *ep.* 39. Nestorianis accenset; Nicephorus vero *l.* 18. *c.* 50. Arianis. Felicem quoque, et Elipandum hac super re blasphemasse, auctor est Agobardus Episcopus Lugdunensis in lib., quem iis opposuit. Lutherus demum, et Calvinus, quibus non pauci ex veteribus praeiverant, Christum ultimum Judicii diem ignorasse, effutierunt. Contra quos sit

Prop. Procul dubio habendum, nedum increatam, Divinamque scientiam Christum habuisse, verum etiam humanam; ejusque intellectum praeditum a primo ipsius ortu fuisse perfecta omnium scientia tum infusa, qualem Adam habuit, ac Deum hominem decebat; tum beatifica, utpote intuitive Deum videntem, quin tamen fuerit comprehensiva: eique accessisse scientiam quoque acquisitam, et experimentalem. Cujus vero certitudinis dicenda sint singula, singillatim patebit.

Probatur. Et quidem praeter increatam, Divinamque scientiam, humanam quoque Christo tribuendam esse, de fide est; iisdemque argumentis, quibus profligavimus Apollinaristarum haeresim animam rationalem Christo denegantium, ac deinde haeresim Monothelitarum

illi denegantium Naturam humanam omnibus suis dotibus, ac proprietatibus instructam, ostenditur.

Quod vero haec ejus creata, humanaque scientia plena, et perfecta fuerit a primo ipsius ortu, fueritque ex illo primo instanti ejus intellectui perfecta omnium scientia infusa, semper quoque Ecclesia agnovit, tamquam de fide, apertisque tum Sacrarum Litterarum, tum Patrum testimoniis probatur. Et 1.° ex illis Isaiae verbis c. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae, et intellectus, spiritus scientiae, et pietatis... Et replebit eum spiritus timoris Domini*, cum illis aliis ejusdem Isaiae c. 61. simul collatis: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me. Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde.* Prophetam namque de Christo, ut homine, loqui, manifestum est tum ex verbis: *Et replebit eum Spiritus timoris Domini*, quae de Christo, ut Deo, intelligi nequeunt: tum ex iis, quibus missum se ait ad annuntiandum mansuetis, ad medendum contritis corde; quae ambo fuisse Messiae munera, nemo est, qui neget. Per unctionem autem humanitatis Christi, de qua idem loquitur, hypostaticam ejus unionem cum Verbo, juxta Sacrarum Litterarum loquendi morem, significatur; eamque a primo ipsius ortu cum Verbo habuisse, fides docet, et supra ostendimus: Et a primo igitur ipsius ortu fuisse in ejus intellectu Spiritum Sapientiae, et scientiae, ideoque divinitus infusam perfectam omnium notitiam, manifestum est.

2.° ex illis verbis apud Jo. c. 1. *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae, et veritatis.* Quidnam enim Verbum caro factum, nisi Christus, ut homo; idque a primo ipsius ortu? Dicitur autem plenum quemadmodum gratiae, ita et veritatis: A primo igitur illo instanti fuit in ejus intellectu plenitudo veritatis, ideoque perfecta omnium scientia.

3.° ex illis Ap. verbis ad Coloss. 2. *Instructi in charitate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris, et Christi Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae absconditi.* Idem namque Christus Jesus, ac Deus homo, non enim Christus Jesus, nisi postquam Deus Verbum hu-

manitatem assumpsit. Porro per omnes thesauros sapientiae, et scientiae plenam, perfectamque omnium notitiam intelligendam esse, probatione non eget; quos in Christo Jesu fuisse absque temporis initio, ac determinatione Apostolus pronunciat: Plenam ergo, ac perfectam omnium notitiam, seu scientiam a primo ipsius ortu in eo fuisse, magis, magisque perspicuum est.

4.° ex eo, quod *ingrediens Mundum* ait ex eodem Ap. ad heb. 10.: *Hostiam, et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi . . . tunc dixi, ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Per ejus namque in Mundum ingressum primum ejus vitae instans intelligendum esse, nemo est, qui non videat. Ut autem in primo ejus vitae instanti ita Patrem alloqueretur, perfectus ejus rationis usus in eo agnoscendus est, quodque per eum et voluntatem Patris, et totum Incarnationis Mysterium agnoverit. Nonnisi ergo per insaniam aeque, et impietatem tam utrumque, quam omnium simul scientia divinitus infusa a primo ejus vitae instanti illi eriperetur.

Prob. 2.° ex retractatione, quam a Leporio Presbytero exegerunt Africani Praesules, quos inter D. Augustinus, ac deinde omnes probavere: *Nunc non solum dicere non praesumo, verum etiam priorem anathematizo prolatam in hac parte sententiam; quia dici non licet, etiam secundum hominem ignorasse Dominum Prophetarum* (In Bibl. PP. tom. 7.).

Prob. 3.° ex Patribus, caeteris namque praetermissis, ne simus nimii, ita D. Cyrillus l. 3. adv. Nest. *Credimus, ex ipso ventre, uteroque Virginis Emmanuelem ipsum, qui Deus erat, hominem prodiisse, plenum omnino sapientia, et gratia, quae illi naturaliter inerat. Quodnam igitur incrementum caperet ille, in quo sunt omnes thesauri sapientiae?* Item D. Greg. M. l. 8. ep. 42. *Res valde manifesta est, quia quisquis Nestorianus non est, Agnoeta esse nullatenus potest. . . quia de doctrina vestra contra haereticos, qui dicuntur Agnoitae, fuit valde, quod admiraremur, quod autem displiceret, non fuit.* Et l. 10. ep. 35. librum approbat ab Eulogio Patriarcha Alexandrino ex ejus mandato conscriptum, ubi Eulogius, *quicumque (ait) vel Divinitati ipsius, vel humanitati ignorantiam adscribet, numquam*

certissimae temeritatis crimen effugiet (ap. Phot. cod. 230). Item D. Maximus, qui in *Dialogo cum Pyrrho*, ad Nestorianos, ait, flectere, qui Christo plenam omnium scientiam a primo ipsius ortu non tribuunt. Ita quoque D. Joannes Damascenus l. 3. c. 22. *Si vere caro est conjuncta Deo Verbo ab ipso extandi primordio, vel potius in ipso extitit, et hypostaticam cum illo identitatem habuit, qui fieri potuit, ut non perfecte omni sapientia, et gratia locupletata sit?* Ac similiter alii, quorum textus infra opportunius.

Quod demum probatur duplici ratione theologica. Et 1.° ex muneribus Doctoris, Legislatoris, Capitis, Mediatoris, Redemptoris, etc., quibus per humanitatem obeundis Verbum carnem suscepit quaeque, ut plena, ac perfecta omnium scientia ejus humanitas exornaretur, statim ac eam suscipere poterat, postulabant. Eam autem poterat suscipere a primo ipsius ortu, quippe quod statim perfecta, quin vel infantiae, vel ipsorum primordiorum impedimenta senserit, juxta illud Jer. vaticinium c. 31. *Creavit Dominus novum super terram: Femina circumdabit virum*: Eam igitur a primo ipsius ortu habuisse, sequitur. 2.° quia omnis perfectio, quam ejus humanitas suscipere poterat, nec Incarnationis finibus adversabatur, ipsi ratione dignitatis, ad quam evecta fuit, a primo ejus ortu tribuenda est. Hujusmodi autem est perfecta omnium scientia: Haec igitur a primo ipsius ortu est illi tribuenda.

Haec satis de plena, ac perfecta omnium scientia creato Christi intellectui a primo ipsius ortu Divinitus infusa.

Fuisse autem in ejus intellectu beatificam quoque omnium scientiam, utpote Deum intuitive a primo ipsius ortu videntem, pronuntiatur quoque a nonnullis Theologis, tamquam de fide; sed contradicunt Suaresius *De Incarn, Disp.* 25. *sect.* 1., Petavius *l.* 11. *de Incarn. c.* 4. *n.* 8., aliique, cum neque in Sacris Litteris, neque apud SS. Patres reperiatur conceptis verbis, vel saltem formaliter, sed ratiocinando tantum ex iis inferatur. Est tamen ex eodem Suaresio, et Petavio ita certum, ut sententia opposita sit juxta eos erronea, et haeresi proxima; vel saltem, ut commune est apud omnes, temeraria, et omnino repudianda.

Probatur autem 1.° ex illis verbis apud Joannem c. 1. *Deum nemo vidit umquam. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Et c. 3. *Nemo ascendit in Coelum, nisi qui descendit de Coelo, Filius hominis, qui est in Coelo.* Et c. 8. v. 14. *Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum, quia scio, unde veni, et quo vado.* Et v. 38. *Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor.* Et v. 55. *Non cognovistis eum* (Patrem meum), *ego autem novi eum: et si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, et sermonem ejus servo.* Ubi profecto de Christo, ut homine, sermonem fieri, nemo in dubium vocare potest, cum sermo fiat de eo, prout hominibus Divina, et Coelestia enarravit, et locutus est, prout est Filius hominis, prout testimonium de se perhibuit, prout demum sermonem Patris servavit. Fuisse autem in sinu Patris, dum hominibus Divina, et Coelestia enarrabat, et loquebatur; fuisse in Coelo, dum e Coelo descendit, et cum hominibus conversabatur; propriam Divinitatem scivisse, dum de illa testimonium perhibebat; vidisse apud Patrem quaecumque hominibus loquebatur; Patrem denique et nosse, et scire, non per fidem profecto, per quam credimus, sed non scimus, ac tantum videmus, tamquam per speculum, et in aenigmate: quaenam haec omnia, nisi totidem testimonia, quod intuitiva Dei visione semper fruebatur, per quam ejus intellectui omnia patebant, quin eum aliquid lateret?

2.° ex collatis supra testimoniis, ubi et veritatis plenus, et omnes sapientiae, et scientiae thesauros abscondens fuisse perhibetur. Nonnisi autem per intuitivam Dei visionem ejusmodi plenitudo, ac sapientiae, et scientiae perfectio haberi potest, nec secus, nisi *per speculum, et in aenigmate, videtur*, ut ait Apost. 1. ad Cor. 13., nec cognoscitur, ut idem ait, nisi *ex parte*: Cum igitur in Christo et plenitudo veritatis fuerit, et sapientiae, ac scientiae perfectio, intuitivam Dei visionem eum habuisse, consequens est.

3.° multiplici ratione, supersedemus namque a Patribus, quos Suaresius congerit *Disp.* 25. *sect.* 1, quia, eorum testimonia, ut advertit Petavius *l.* 11. c. 4. *n.* 5., aliud pro objecto habent. Et 1.° an non perfectio, quam Christi humanitas poterat suscipere, neque Incar-

nationis finibus adversabatur, visio beatifica a primo ipsius ortu ejus intellectui concessa? Primum profecto ex se patet. Alterum vero, cum passionibus, quas pro nobis sustulit, quibusque pro nobis satisfecit, non pugnare, ostendimus *c.* 1. *prop.* 4. *resp. ad.* 2. *pag.* 190. Est autem ejus humanitati, ut supra diximus, omnis tribuenda perfectio, quam suscipere poterat, neque adversabatur Incarnationis finibus: Et visio igitur beatifica a primo ipsius ortu ejus intellectui tribuenda. 2.° an non Christi dignitatem decebat, quod ejus humanitas in statu adeo perfecto, quoad fieri poterat, conderetur, ut nihil perfectionis illi deesset? Nisi autem ejus anima a primo ipsius ortu visionem habuisset beatificam, nonnihil perfectionis illi defuisset, quam postea consecuta esset: Eam igitur a primo ipsius ortu habuisse, est dicendum. 3.° an non unanimis Theologorum consensio Ecclesiae sensum a fidelibus omnibus venerandum satis indicat? Est autem unanimis Theologorum omnium sententia, quod a primo ipsius ortu habuit Christi anima visionem beatificam: Habendum ergo id est, tamquam Ecclesiae sensus, nec aliter a fidelibus omnibus sentiendum. 4.° demum, quia, ut disserit D. Fulgentius in responsione ad quaest. 3. Ferrandi, *sic humanam Naturam Dei unigenitus suscipere dignatus est, ut ipse sit Deus, qui homo est, et idem sit homo, qui Deus est . . . Sicut ergo Christus homo singulariter habet, ut verus Deus sit, sic totam Divinitatem suam singulariter novit.*

Visionem tamen beatificam Christi intellectui a primo ipsius ortu concessam non fuisse comprehensivam, de fide est. Et probatur 1.° ex ostensis *l.* 1. *tract.* 10. *prop.* 3. *pag.* 91., quod nequit Deus ab ullo intellectu creato comprehendi. Hujusmodi autem est Christi intellectus: Neque igitur comprehendi ab ipso Christi intellectu. 2.° ex Conc. Basileensi sess. 2., ideoque tunc legitimo, ac sub legitimo Capite constituto; a quo proscripta fuit Augustini De Roma prop., quae ita ajebat: *Anima Christi Deum videt tam clare, et intense, quam Deus videt seipsum.* 3.° ex PP., universim asserentibus, nullum creatum intellectum posse Divinam Essentiam comprehendere; quod proinde intelligendum de ipso Christi intellectu. Nec nisi immerito opponitur ex adverso D. Fulgentius *l. supra cit.*; et ipse enim non obscure ibidem denegat Christi

intellectui Divinitatis comprehensionem illis verbis: *Possumus plane dicere, animam Christi habere plenam notitiam Deitatis suae. Nescio tamen, utrum debeamus dicere, quod anima Christi sic suam Deitatem noverit, quemadmodum se ipsa Divinitas novit, an hoc potius dicendum est, quia novit, quantum illa, sed non sicut illa. Ipsa enim Deitas sic se novit, ut hoc se naturaliter inveniat esse, quod novit: Anima autem illa sic totam Deitatem suam novit, ut ipsa tamen Deitas non sit.* 4.° ex eo quod comprehensiva Dei cognitio nequit prorsus creato intellectui inesse, quia nonnisi mens infinita infinitum Ens potens quoque est comprehendere.

Ejus demum intellectui scientiam quoque acquisitam, et experimentalem accessisse, probatur ex illis verbis Lucae c. 2. *Et Jesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum, et homines.* Hic autem sapientiae profectus nec de illa Divinitus ei infusa, nec de illa, quam ex visione beatifica hauriebat, intelligi potest, quippe quae utraque incrementi incapax, sed tantum de acquisita per sensuum ministerium, vel experientiam: Et haec igitur Christi intellectui adscribenda. Ad quod etiam referuntur et illa Apostoli verba ad heb. 5., quod *cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam*; quodque *debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret* (*ibid. c.* 2.)

Ex dictis sequitur, Christum, ut hominem, per scientiam illi Divinitus infusam cognovisse a primo ipsius ortu omnia sive naturalia, sive supernaturalia ab hominibus, atque Angelis cognoscibilia; ideoque tum omnia Mysteria, tum omnes scientias sive speculativas, sive morales: Per scientiam vero beatificam, nedum Divinam Essentiam clarius, et perfectius, quam eam videat, vel videre possit alia quaelibet creatura; verum etiam omnia quaecumque Deus scientia visionis cognoscit; ideoque omnia et praeterita, et actu existentia, et in perpetuum futura; quare et omnes, et singulos homines, et omnes, et singulas cujusque actiones, cogitationes, ac volitiones cum omnibus suis circumstantiis. Quae vero ad scientiam simplicis intelligentiae pertinent, non omnia novisse; ideoque non omnia possibilia. Ita D. Th. 3. *p. qu.* 10. *art.* 2., Petavius *l.* 11. *De Incarn. c.* 3., ac caeteri communiter. Et sane, quomodonam veritatis plenus, ac sa-

pientiae, et scientiae thesauris locuples, nisi a primo ipsius ortu omnia sive naturalia, sive supernaturalia ab hominibus, atque Angelis cognoscibilia, nec non et praeterita, et praesentia, et in perpetuum futura novisset? An non *plenitudinis*, et *omnium* idea cuncta sive naturalia, sive supernaturalia, quae ab hominibus, atque Angelis cognosci possunt, nec non quaecumque vel extiteru t, vel existunt, vel extitura sunt, complectitur? Ejusmodi autem Christus dicitur Jo. 1., et ad Coloss. 2.: Patet ergo propositum. Accedit, quod cognoscenda a Christo erant per utramque scientiam, Divinitus scilicet illi infusam, et beatificam, quae et ejus dignitas, et ipsi inhaerentia munera expostulabant. Porro et ejus dignitas, et munera Doctoris, Legislatoris, Capitis, Mediatoris, Redemptoris, etc. ipsi inhaerentia expostulabant, quod omnia, quae supra diximus, nosset; ipse enim est, ut scribit Apostolus ad Eph. 1., qui *constitutus est ad dexteram* Patris *in coelestibus supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. Et omnia* (Deus) *subjecit sub pedibus ejus. Et ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam*; ideoque est et hominum, et Angelorum Caput, ut idem Apostolus alibi etiam significat: ipse, ut addit 1. ad Cor. c. 3., ad quem creata omnia referuntur, sicut ipse ad Deum: ipse, ut pergit ad Coloss. 1., per quem *reconciliata sunt omnia . . . sive quae in Terris, sive quae in Coelis sunt*: ipse, ut dicitur Act. 10., *qui constitutus est a Deo Judex vivorum, et mortuorum*: ipse demum, quem satisfecisse pro omnium peccatis, ejusque meritorum intuitu omnes conferri gratias, fide constat, atque ex infra dicendis patebit: Rursum ergo quod diximus perspicuum est. Omnia tamen possibilia non novisse, ex eo D. Thomas probat l. cit., quod *hoc esset comprehendere omnia, quae potest Deus facere, quod esset comprehendere Divinam virtutem, et per consequens Divinam Essentiam.* Id autem, ut non semel diximus, nulli creato intellectui est possibile.

Nec explicatione demum, nec probatione eget, quod scientia acquisita, et experimentali novo modo, idest experiendo multa novit in vitae decursu, quae jam antea per infusam illi scientiam objective tantum cognoscebat:

ut ex. gr. dolorum naturam, et vim, quam antequam pateretur, objective noverat, nova item ratione, eorum scilicet experientia, patiendo cognovit.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod ait Christus Matth. 24 *De die autem illa, et hora nemo scit, neque Angeli Coelorum, nisi solus Pater.* Et Marci 13. *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in Coelo, neque Filius, nisi Pater*: quae utriusque Evangelistae verba de Christo, ut homine interpretantur D. Athan. *orat.* 4. *contra Arian.*, D. Hilarius *l.* 9. *De Trinit.*, D. Ambrosius *l.* 2. *De fide*, D. Basilius *ep.* 391., D. Greg. Nazianz. *orat.* 36., aliique. Christum ergo, ut hominem, ultimum Judicii diem ignorasse, nec proinde omnia novisse, est dicendum.

Resp. neg. cons.; non enim Patres asserendo, et ex propria sententia, sed per modum hypothesis, ac dato, ut Scholae loquuntur, et non concesso, relata Evangelii verba de Christo, ut homine, interpretati sunt; cum enim disputarent contra Arianos, qui ex iis Divinitatem Verbo contendebant eripere, dato, ajebant, et non concesso, quod Christus ultimum Judicii diem ignoraverit, consequens inde non est, quod illum ignoraverit, ut Deus Verbum, sed, ut homo; et quia, ut ait deinde D. Greg. Magnus l. 10. ep. 39., *Unigenitus factus pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis novit diem, et horam Iudicii; sed tamen hunc non ex natura humanitatis novit. Quod ergo in ipsa novit, non ex ipsa novit.* Dicendo autem, quod illum, ut homo, ignorabat, id etiam dixit respectu discipulorum, quibus illum revelare noluit, non enim omnia, quae sciebat, sed ea tantum, quae Pater revelanda jusserat, eum revelasse hominibus, ipsemet ait illis verbis Jo. 12. *Ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, et quid loquar.* Hinc etiam distinguendo ant., addimus; Christum dixisse, ultimum Judicii diem se, ut hominem ignorasse respectu discipulorum, quibus illum manifestare noluit, quemadmodum non raro et nos dicere solemus, nescire quod revelare vel nefas est, vel non expedit; non vero absolute, et simpliciter. Nisi etiam subdistinguere velimus, quod illum, ut homo, ignoraverit, habita ratione hu-

manitatis, cujus proprium est notiones inditas non habere, sed sibi comparare; non vero habita ratione unionis hypostaticae ipsius humanitatis cum Divinitate Verbi. Qua super re consulantur etiam quae scripsimus *l.* 3. *tract.* 1. *cap.* 5. *prop.* 2. *resp. ad* 4. *pag.* 112., *et sequ.*.

Objic. 2.°, quod, ut legitur Matth. 7., cum Centurio dixisset Christo: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. . . . Audiens Jesus miratus est.* Non est autem ejus, qui omnia novit, mirari. Item, quod, ut legitur Matth. 13., ad turbas Judaeorum ait: *Intellexistis haec omnia?* Et ad sorores Lazari, cum hunc esset evocaturus ad vitam, ut legitur Jo. 11. *Ubi posuistis eum?* Itemque ad Petrum, ter eum interrogans, ut legitur Jo. 21. *Petre, amas me?* Et inquisitio autem, et interrogatio ignorationis argumentum sunt. Demum, quod, ut legitur Lucae 22., factus in agonia, dum in Olivarum horto oraret, *apparuit illi Angelus de Coelo confortans eum.* Porro ubinam locus, ut Angelus ei suggereret patientiae, et consolationis motiva, si omnia novisset? Non ergo omnia pernoscens.

R. neg. mm., et cons.; quoad 1.m enim, *mirando laudabat*, inquit D Aug. *l.* 1. *advers. Leg., et Proph. c.* 7., cum non solum rei antea ignotae notitia attoniti sit admirari, verum etiam ejus, qui rei, tametsi prius cognitae, pretium velit extollere.

Quoad 2.m, respondet Origenes in laud. Matth. locum: *Qui novit, quae sunt in cordibus hominum, Christus Jesus, non ignorans interrogat, sed quoniam semel assumpserat hominem, utitur omnibus, quae sunt hominis, quorum unum illud est interrogare. Nec mirandum, si id facit Servator, cum ipse etiam omnium Deus moribus hominum sese accommodans, perinde ac si quis homo, percontetur, velut in hoc: Adam ubi es? Et: Ubi est Abel frater tuus?* Similiter vero quoad alterum D. Chrysost. serm. in Laz. *Ignoravit* (inquiens) *Christus, quia dixit: Ubi posuistis eum? Itaque ignoravit etiam in Paradiso Pater, ubi absconditus esset Adam? Circuibat enim, quasi eum in Paradiso quaerens, ac dicens: Adam, ubi es? Quasi diceret: Ubi absconditus es?* Quod et de trina interrogatione, quam fecit Petro, dictum esto: quamobrem, *Domine* (respondit ei Petrus, ut ibidem legitur), *tu omnia nosti. Tu scis, quia amo te.*

Illud demum, quod apud Lucam legitur de Angelo, qui illi in olivarum horto apparuit confortans eum, interpretatur D. Epiphanius, *haer.* 69., cumque eo Cornelius Alapide de laudibus illi delatis ob animi fortitudinem, qua se morti obtulerat, dicens: *Non mea voluntas, sed tua fiat*; adeo ut illorum verborum *confortans eum* sensus sit: *Laudans fortitudinem ejus*; ut enim disserit S. D.: *Et nos infimi, ac imbecilles Deo saepenumero benedicimus, non quod benedictione nostra indigeat, sed ut expressam illa benedictione potestatem inesse in illo confiteamur.* Quod si id alicui non arrideat, taliter Evangelistam scripsisse, dicimus, ad probationem verae humanitatis in Christo, cujus naturalem mortis horrorem volens, ac lubens expertus, ideoque in agonia factus, dignum fuit, quod cum esset Angelorum Dominus, exterius illud ministerium ab Angelo acciperet, ut ab eo, non quidem edoceretur, et illuminaretur, sed confortaretur.

Objic. 3.° quod legitur Lucae 2: *Et Jesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum, et homines.* Profectus autem ejusmodi defectum supponit sapientiae, ideoque ignorantiam: Non ergo Christus a primo ipsius ortu omnia pernoscens. Cui accedit, quod Apollinaristis mentem Christo detrahentibus, ac mentis creatae loco substituentibus in eo Verbum, eos refellunt D. Epiph: *haer.* 77. *n.* 26, *et* 30., D. Ambros. *De Incarn. c.* 7. *n.* 72., et Theodoret. *l.* 5. *haereticarum fabul.*; *c.* 13. ex eo quod juxta laudata Lucae verba Christus in sapientia profecit; inferendo ex hoc, quod cum ejusmodi profectus cadere in Verbum nequeat ratione Naturae Divinae, tribuenda est Christo mens creata, quae sapientia crescere, et progredi potuerit.

Resp. dist. maj.; scriptum nempe esse, quod sapientia profecerit, secundum scientiam, ut supra diximus, atque interpretatur D. Thomas 3. *p. qu.* 12. *art.* 2., quae acquisita, seu experimentalis vocatur, quatenus, ut ut supra etiam explicavimus, quae illi jam antea innotescebant, novo modo, idest experiendo, ei innotuere; non autem, quod vere profecerit sapientia, ita ut haec vere incrementum in dies fecerit: in quo sciendi modo cum sola mente humana Christus posset proficere, apposite idcirco adversus Apollinaristas fuit a laudatis Patribus allatus Lucae locus adhibitus. Verum ut aliorum quoque

Doctorum interpretationem demus, scriptum quoque dicimus, quod sapientia profecerit, non quòd in hac revera in dies progrederetur, eaque revera aliquid accessionis, vel incrementi acciperet, sed quia ejus sapientia magis, magisque in dies manifestabatur, ejusque splendor magis, magisque In dies coruscabat: *Humano more dictum est* (ita nempe D. Athan. orat. 4. contra Arian.) *hoc loco proficere, quandoquidem proprius est hominum profectus . . Sic enim, augescente secundum aetatem corpore, augebatur etiam in eo Divinitatis ostensio.* Similiter quoque in eumdem locum D. Greg. Nazianz. tum *ep.* 1. *ad Cledonium*, tum *orat.* 20., ubi: *Ille proficiebat, ut aetate, ita sapientia, et gratia, non quod incrementum ista caperent, quid enim eo, quod ab initio perfectum extitit, posset esse perfectius, sed quod paullatim aperirentur, ac sese proderent.* Item D. Cyrillus l. 3. contra Nest: *Quomodo igitur profecisse dictus est? Nimirum, quod Deus Verbum cum incremento, et aetate corporis sui Divinorum bonorum significationem commensus fuerit.* Itemque demum D. Bernardus hom. 2. De Laud. B. V. *Quod de sapientia, et gratia hic dictum est Lucae* 2., *non secundum, quod erat, sed secundum quod apparebat, intelligendum est.*

Inst., nedum scriptum esse, quod *Jesus proficiebat sapientia*, sed quod *proficiebat sapientia, et aetate*; et nedum *apud homines*, verum etiam *apud Deum.* Vere autem proficiebat aetate; nec ejus profectus fuisset et apud homines, et apud Deum, si fuisset tantum apparens: Vere ergo, et non tantum apparenter dicendum est, quod sapientia profecerit,

Resp. dist. cons.; quod nempe vere sapientia profecerit, prout aetate, quia vere in dies nova sapientiae indicia edebat, prout vere in dies crescebat aetate; non autem in rei veritate, quin enim ita sapientia profecerit, perstat nihilominus inter ostensionem ejus sapientiae, ejusque aetatis augumentum instituta comparatio. Addit vero Evangelista, quod nedum apud homines, sed etiam apud Deum proficiebat sapientia, et aetate, ut significaret, quod vera in dies edebat sapientiae specimina, Deo, et hominibus nota, prout proficiebat aetate; quodque talem se hominibus exhibebat foris, qualis intus, seu quoad animum erat apud Deum, absque eo quod fuerit umquam in eo ulla hypocrisis, ac pharisaica ostentatio.

Quo demum modo potuerit Christus et frui visione beatifica, et vere languores, ac dolores, quos pertulit, ferre, ut pro peccatis nostris satisfaceret, satis jam *cap.* 1. *prop.* 4. *resp. ad* 2. *pag.* 290. explicavimus.

§. II.

De perfectione voluntatis Christi. Et 1.° de ejus libertate; et quomodo per illam potuerit mereri?

Fuisse humanam Christi voluntatem libertate praeditam, per quam Christus libere in multis operatus fuerit, ex ostensis contra Apollinaristas, Eutychianos, et Monothelitas manifeste sequitur: agnoscenda enim in eo est utraque Natura, Divina, et humana, ac utraque omnibus suis proprietatibus instructa, ac proprias habens operationes. Proprium autem est Naturae humanae et voluntatem habere libertate praeditam, et libere operari: Utrumque igitur Christo adjudicandum est. Cui accedit, quod cum ratio sit radix libertatis ex ostensis in tract. De Act. hum. cap. 1. in fine, nequit proinde Christo libertas abjudicari, quin illi abjudicetur anima rationalis. Hoc autem nefas: Et nefas igitur libertatem illi abjudicare.

Hanc vero in eo fuisse perfectissimam, nec proinde in eo fuisse libertatem contrarietatis ad bonum, et malum, ex eo patet, quod ei tribuenda est, prout Deum hominem decebat. Hunc autem decebat libertas cujusvis imperfectionis expers: Ejusmodi ergo libertas, ideoque perfectissima, illi est tribuenda. Hinc cum ad rationem libertatis non pertineat ea, quae dicitur contrarietatis ad bonum, et malum, immo sit haec ingens libertatis imperfectio, eam proinde Christo tribuendam non esse, consequens est. Et sane, ut disseruimus *l.* 2. *tract.* 12. *cap.* 2. *pag.* 241., quidnam libertas, nisi *voluntas ipsa, quatenus habitis omnibus ad agendum requisitis, facultatem habet se determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus oppositis, seu incompossibilibus?* Voluntas autem ferri nequit, nisi in bonum, nec potest, nisi bonum prosequi, verum nempe, vel apparens: Et libertas igitur. Quod autem feratur in bonum apparens, oritur ex mentis imperfectione, ex qua fit, ut plerumque bonum apparens pro vero accipiat, licet reapse, et in veritate sit malum: Ex imperfectione igitur oritur, quod

libertas feratur quoque in bonum apparens, seu malum; ideoque Ens, quod perfectissima libertate gaudet, numquam in malum fertur, quare et dicendum, quod libertas contrarietatis ad bonum, et malum ad essentiam libertatis non pertinet, sed dicenda potius est ejus imperfectio. Hinc ait D. Anselmus Dial. De lib. arb. c. 1. *Nec libertas, nec pars libertatis est potestas peccandi.* Ac similiter D. Thomas in 4. Disp. De verit. qu. 22. art. 6. *Velle malum non est libertas, nec pars libertatis, quamvis sit quoddam signum libertatis.* Cumque is, qui peccare non potest, multo liberior sit in bonorum electione, quippe qui sine errore, et periculo peccati eligere potest, quod velit; nedum proinde defectus libertatis contrarietatis ad bonum, et malum libertatis rationem non destruit, verum etiam illam perficit.

Qua idcirco ratione tribuenda illi sit libertas, enodandum est. Qua super re, difficultatis nodum non solvendo, sed impie secando, Calvinus blasphemavit, nedum Christum, inquiens, libertatem contrarietatis habuisse ad bonum, et malum, verum etiam in Cruce impatientia actum fuisse, et quasi desperasse. Ita nempe *in c.* 27 *Matth.*, nec non *l.* 2. *Instit, c.* 16. *n.* 11., *et* 12. Liberum vero fuisse Christum, eo quod nulla in eo fuit coactio, atque hanc solam, non vero simplicem necessitatem cum libertate pugnare, nonnisi etiam errando diceretur. Medium quid invexit proinde in Scholas Suaresius *Disp.* 37. *sect.* 2., *et* 3., docens, habuisse aliquatenus Christum potentiam physicam non faciendi quod praeceptum erat, ac simul fuisse naturaliter impeccabilem, propterea quod naturaliter, seu ratione unionis hypostaticae ejus humanitatis cum Verbo debitae ei erant gratiae selectiores, quibus humana ejus voluntas ad bonum semper dirigeretur. Haec tamen Suaresii sententia parum honorifica videtur caeteris Theologis Christi dignitati, parumque Patribus consentanea, qui omnem peccandi potentiam Christo abjudicant.

Quibus positis, ratum, fixumque cum communi habendum, et libertatis essentiam nedum consistere in immunitate a coactione; verum etiam in immunitate a quavis necessitate antecedente: et hanc in Christo fuisse, quia, licet non fuerit liber ad bonum, et malum, neque etiam physice, fuit tamen liber in omnibus suis actibus tum quoad exercitium, tum quoad specificationem, tum quoad alias actuum circumstantias, ideoque circa ipsam actuum

substantiam. Hinc etiam aliae, quae suboriuntur, quaestiones enodantur; quomodo scilicet Christus cum fuerit impeccabilis, suis nihilominus operibus mereri potuit? Quomodo cum verum acceperit moriendi mandatum, morte tamen sua sibi, ac omnibus hominibus tot, tantaque promeritus fuit? Quomodo demum haec merendi potestas consistere in eo poterat, cui a bono declinandi potestas deerat, etiam physica? His praemissis, sit

Prop. I. Nullum in Christo peccatum fuisse, immò nec peccati fomitem, fide constat. Quin etiam fuisse item impeccabilem, communis sententia docet, ita ut opposita a Suaresio vocetur temeraria, ab aliis graviore censura digna, juxta nos tamen dicenda est haeretica.

Prob. 1. pars Et 1.° nullum in eo peccatum fuisse, testatur quod de illo ait Apostolus tum 2. ad Cor. 5. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* (idest hostiam pro peccato), *ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*; tum ad Heb. 4. *Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato.* Et c. 7. *Talis decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus.* Item quod de illo ait Joannes ep. 1. c. 3. *Scitis, quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret, et peccatum in eo non est.* Itemque D. Petrus ep. 1. c. 1. *Scientes* (inquiens), *quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, et incontaminati*: Et c. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit.* Ac demum quod ipse Christus Judaeis ait: *Quis ex vobis* (inquiens) *arguet me de peccato?* Quibus omnibus profecto nihil expressius.

Nullum vero in eo fuisse peccati fomitem, propensionem scilicet ad malum, ex eo manifeste sequitur, quod haec ad malum propensio, seu peccati fomes ex primaeva originali culpa ortum ducit; peccatum propterea ab Apostolo appellatus illis verbis ad Rom. 7. *Si autem quod odi malum; illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*; ut nempe explicat Trid. sess. 6. c. 5., *quia ex peccato est.* Nulla autem peccati species in Christo fuit: Neque igitur ullus peccati fomes. Hinc D. Aug. l. 4. Oper. imperf. n. 47., *Quisquis* (inquit) *credit carnem Christi contra spiritum concupisse, anathema sit.* Et n. 58. *Sic igitur*

Christus abstinuit a peccato, ut abstineret etiam ab omni cupiditate peccati; non ut ei existenti resisteret, sed ut illa numquam prorsus existeret.

Demum fuisse item impeccabilem, probatur 1.° ex Synodo Chalcedonensi, ubi approbata fuit D. Leonis epistola ad Flavianum, haec habens: *Non enim superare nos possemus peccati, et mortis auctorem, nisi naturam nostram ille susciperet, quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere.* Mors autem illum detinere non potuit in natura assumpta: Neque igitur in hac peccatum contaminare illum potuit.

2.° ex Patribus, quorum certa, et communis sententia est; ita enim D. Dionysius Alex. ep. ad Paulum Samosateuum: *Nisi fuisset* (Christus) *idem qui erat Deus Verbum, non poterat esse alienus a potestate peccandi; nemo enim est, qui peccare non possit, nisi unus Christus, sicut et Pater Christi, et Spiritus Sanctus.* Item D. Cyrillus Alex. l. contra Anthropomorphitas. c. 26. *Stolidi, ac dementes prorsus sunt, qui ipsum etiam Christum nescio quo pacto peccare potuisse, affirmant, eam ob causam, quod in eadem atque nos specie fuerit versatus, quodque forma servi accepta, cum hominibus in terra egerit.* Concinit D. Ambrosius Apolog. 2. David. c. 4 *Nemo sine peccato, nisi unus Deus. Si igitur non potest non esse Deus, qui Dei Filius est, utique Dei Filius arbiter justitiae est, non obnoxius culpae.* Idem autem dictu est, quod *non obnoxius culpae*, perinde ac *non potest non esse Deus, qui Dei Filius est*, quodque impeccabilis. Item D. Aug. in Enchiridio c. 36. *Per eamdem gratiam* (inquiens (*justificari homines a peccatis, per quam factum est, ut homo Christus nullum habere posset peccatum.* Caeterisque omissis, ne simus nimii, ita demum D. Fulgentius l. 3. ad Trasimundum c. 29. *Deitas non potest superari. Propterea utique Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in unitate personae Divinitas accepit, quae naturaliter peccare non novit.*

Quibus demum multiplex ratio accedit; 1.° enim quomodonam eum, qui natura est Filius Dei, ac Deo Patri consubstantialis, unaque, ac eadem cum Verbo persona, peccati capacem fuisse, dici potest? Ejusmodi autem Christus est ex fide: Nedum ergo peccati umquam incapax, ideoque impeccabilis, verum etiam id formaliter ad cre-

dendum propositum videtur, quum ad credendum proponitur, quod Christus est natura Dei Filius, Deo Patri consubstantialis, ac una, eademque Persona cum Dei Verbo. 2.° nonne quemadmodum anima in homine, utpote nobilior ejus pars, tenetur omnes hominis motus, atque actus regere, ita dicendum, quod Divinitas in Christo in omnes ejus humanitatis motus, atque actus regimen, imperiumque exercuerit? *Quemadmodum corpus nostrum* (ita apposite VI. Gen. Synodus act. 8.) *regitur, ornatur, atque ordinatur ab intellectuali, et rationali anima, ita in homine Christo tota humana ejus conspersio ab ejusdem Verbi Divinitate semper, et in omnibus mota Deo mobilis fuit*, alioqui scilicet non fuisset in eo rectitudo ordinis, quia defuisset naturae superiori in unitatem personae cum inferiori copulatae jus inferiorem regendi. Id autem ipsam peccandi potentiam longe a Christo arcuisse, manifeste ostendit: Neque ergo haec in Christo agnoscenda, ideoque impeccabilis. 3.° quisnam tritum illud negat, quod actiones sunt suppositorum? Si autem actiones sunt suppositorum; his scilicet, seu personis tribuendae, en idem dictu, quod Christus peccare potuisset, quodque cum una, eademque sit ejus persona, ac Persona Dei Verbi, potuisset peccatum ipsi Verbo tribui; quod nefas, immo horrendum dictu: Non ergo peccare potuit; ideoque rursum impeccabilis. 4.° undenam quodvis peccatum, nisi ex ignorantia, ut diximus *l. 4. tract. 2. cap. 5. prop. 4. resp. ad 1. pag. 71.*? Ex ostensis autem nulla in Christo umquam fuit ignorantia, sed plena, ac perfecta a primo ipsius ortu omnium scientia, prout Deum hominem decebat: Neque ergo ulla umquam peccati possibilitas in eo fuit. 5.° an non demum Deum hominem decebat, ut omnis perfectio, quam ejus humanitas poterat suscipere, nec Incarnationis finibus adversabatur, ei inesset? Ejusmodi autem, et quidem maxime, est impeccabilitas: Procul igitur dubio, ac omnino est illi tribuenda.

Nihil autem refutatu facilius, quam quod ex Ps. 21, Christum dixisse objicitur: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti; longe a salute verba delictorum meorum.* Quodque cum dixerit in horto Olivarum, prius quam a Judaeis caperetur: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste*: Et rursus in Cruce: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*, animum dejectum, atque impa-

tientem exhibuisse videatur. Quoad 1.m enim delicta nostra appellavit sua, quia eorum poenas in se susceperat luendas, eaque, ut ait D. Petrus, *pertulit in corpore suo super lignum*. Cui accedit, quod in Textu Hebraeo non legitur: *Verba delictorum meorum*, sed *verba rugitus mei*. Quoad 2.m vero, et 3.m ita ait, ut veram in se contra futuros haereticos demonstraret humanitatem, quae naturali instinctu passiones odit, et mortem refugit: *Non ex persona Divinitatis* (ita apposite D. Epiphanius haer. 69. n. 64.), *sed ex humanae naturae persona, et affectu quodam humano haec dicta accipias*, *ut Incarnationem non specie dumtaxat adumbratam, sed reipsa, vereque administratam fuisse, discamus*.

Facile etiam refutatu est, quod cum aeque Divinitati adversetur tam peccandi, quam patiendi, et moriendi potestas, aeque etiam repugnare videtur, Filium Dei dici passum, et mortuum, quam dici peccatorem, et impium. Non repugnat autem, Filium Dei dici passum, et mortuum, quia actiones sunt suppositorum non *effective*, sed tantum *denominative*: Neque ergo ob eamdem rationem repugnare censendum est, Filium Dei dici peccatorem, et impium. Respondetur enim, nihil hoc horribilius dictu, immensamque distantiam inter utrumque agnoscendam. Negatur itaque majoris sequela; quia enim passio, et mors a Filio Dei assumpta non est malum culpae, sed poenae; utraque etiam subesse potuit regimini ejus Personae Divinae, utramque dirigendo ad hominum Redemptionem. At non item peccatum, quod cum sit malum culpae, non erat proinde ad rectum finem dirigibile: ipsaque humanitatis assumptio, quae fuisset malo istiusmodi obnoxia, et indecens ei fuisset, et hominum Redemptionem magnopere labefactasset.

Prop. II. Immensam meritorum segetem sibi et aliis a primo ipsius ortu, indeque continuo usque ad vitae terminum liberis humanitatis actionibus Christum congessisse, de fide est.

Et quidem sibi meruisse corporis gloriam, nominis exaltationem, atque omnimodam in Coelo, et in Terra potestatem, luculenter Sacrae Litterae testantur, ubi totidem fere verbis id enuntiatur; ut Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas in Coelo, et in Terra*. Et Lucae 24. *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Et Apostolus ad Heb. c. 2: *Vi-*

demus Iesum propter passionem mortis gloria, et honore coronatum. Ad Philipp. vero c. 2. *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi Nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur.* De quo demum dicitur Apoc. 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere gloriam, et Divinitatem,* ut honor nempe Deo debitus ipsimet tribuatur. In quae omnia ita praeclare D. Chrysostomus: *Extremam Christus praestitit obedientiam. et propterea accepit supremum honorem* (*In c. 2. ad Phil.*). Et D. Aug. tract. 10. in Jo. *Humilitas claritatis est meritum, et claritas humilitatis est praemium.*

Nec adversatur, quod praefata omnia erant ei debita titulo hypostaticae unionis ejus humanitatis cum Verbo, ratione cujus erat natura Dei Filius: voluit namque Christus profusione sanguinis, maximorumque meritorum impendio comparare, quod sibi nativitatis jure debebatur, tum ut nobis omnium daret virtutum exempla; tum quia quod quis mereri potest, gloriosius est habere ex merito, quam sine merito; ac ita voluisse, ex allatis Sacrarum Litterarum testimoniis d scimus. Qua super re illustris est Hugonis Victorini sententia qu. 150. in ep. ad Rom. *Mereri geminam habet significationem; dicitur enim aliquis mereri, quum per bonum opus efficitur dignus aliquo, quo prius non erat dignus; secundum quam significationem videtur nobis, quod nec secundum Divinitatem, nec secundum humanitatem Christus aliquid meruit, etiam in ipsa morte. Dicitur etiam aliquis mereri, quum bonum aliquod facit, quod sit dignum remuneratione; secundum quod Deus dicitur etiam mereri, quum beneficia praestat, pro quibus tenemur eum in aeternum laudare, et Christus secundum humanitatem in sua passione meruit nobis introit in vitae aeternae;* eaque etiam, quae sibi meruisse, diximus.

Iis vero, quae sibi meruit, nec hypostaticam ejus humanitatis cum Verbo unionem, nec gratiae plenitudinem, neque ipsius augumentum accensuimus. Non 1 m, quippe quam soli Dei pietatis, ejusque Misericordiae visceribus passim tribuunt Scripturae; ut ubi dicitur Lucae 1. *Per viscera Misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Et Jo. 3. *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* Quod et

evidens ratio confirmat; cum enim prius sit esse, quam operari, prius quoque conceptu est Verbum homo factum, quam per humanitatem assumptam operatum fuisse, meritumque consecutum. Neque obstat, quod merita Christi futura fuerant causa moralis omnium gratiarum, quae omnibus ante ejus adventum concessa fuere: quo item modo causa moralis esse potuerint, ut Christi humanitas unionem cum Verbo hypostaticam consequeretur. Accedit namque pervulgatum illud, tritumque in Scholis, quod principium meriti nec cadit, nec cadere potest sub merito. Fuit autem Incarnatio, seu hypostatica Verbi unio cum humanitate, cujusvis meriti principium; omnium enim tum Christi, tum membrorum ejus opera inde habent, ut sint meritoria: Non ergo ipsa cadere potuit sub merito.

Sed neque alterum, id est gratiae plenitudo, quam in ipso inhabitasse, conceptis verbis testatur Apostolus ad Coloss. 1. *In ipso* (inquiens) *complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* Cujus ratio est, quia cum haec nativitatis jure ei deberetur, a primo idcirco ipsius ortu cum eo fuit; quam proinde nec fuisse meritum, nec mereri potuisse, consequens est. Nec denique tertium, quia absoluta plenitudo excludit augumentum. Ejusmodi autem in Christo fuit plenitudo gratiae, Deum hominem namque decebat, quod talis esset ejus gratiae plenitudo, ut secundum ordinariam Dei potentiam augeri non potuerit, et sin physice, esset tamen moraliter infinita; de quo caeterum cap. sequenti uberius.

Aliis vero innumera item meruisse, luculenter quoque ex Scripturis patet. De eo enim praedixerat Isaias c. 53. *Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, et saturabitur.* Et sane, in ipso *habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum*, ut ait Apostolus ad Coloss. 1.; utque addit ad Heb. 5., ipse *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae.* Singillatim vero nobis meruit praedestinationem tum ad gratiam, tum ad gloriam, ajente Apostolo ad Eph. 1. *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum:* Vocationem, ajente eodem 2. ad Tim. c. 1. *Vocavit nos vocatione sua sancta. . . quae data est nobis in Christo:* Justificationem, ajente et eo ad Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu.* Quibus Apostoli verbis illa

quoque respondent D. Joannis ep. 1. c. 1. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Item bona opera, idest sancte, et cum merito operari, ipso ajente apud Jo. c. 15. *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Vitam aeternam, ait namque Apostolus ad Rom. 6. *Gratia autem Dei vita aeterna, in Christo Jesu Domino nostro.* Omnia demum salutis media, omnia auxilia salutaria, et quidquid ad salutem ducit, quemadmodum idem Apostolus docet illis verbis ad Eph. 1. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in Coelestibus in Christo.* Quae et Tridentinum *sess.* 6, *can.* 2. 10., et 26., et Ecclesiae praxis, quae nonnisi per Christi merita a Deo nos facit postulare quidquid postulamus, adeo confirmant, ut nemini in dubium ea vocase fas sit.

Objicitur quidem adversus Christi merita sibi, et nobis comparata, quod tametsi dubitari nequeat, fuisse Christi opera supernaturaliter bona, ejusque Persona Deo gratissima, ac libere operans, deerat tamen ex parte Dei promissio illi facta, quod ejus actiones, et passiones nobis prodessent, et ex parte ipsius status viatoris, quippe quod ex ostensis §. ant. a primo ipsius ortu intuitiva Dei visione fruitus fuit. Utrumque autem, tam scilicet mercedis promissio ex parte Dei, quam status viatoris ex parte operantis, necessario requiruntur ad meritum, ex ostensis *in tract. De Act. hum.* c. 3.: Nec sibi ergo, nec nobis aliquid promereri potuit.

Resp. tamen neg. maj.; quoad 1.m enim, Deum illi corpus aptasse, ut pro peccatis nostris patiendo, ac moriendo satisfaceret, suisque meritis in filios Dei nos reciperet, cunctisque gratiae donis ditaret, patet ex Apostolo ad Heb. c. 10- ajente, quod ingrediens *Mundum*, ait: *Hostiam, et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio . . . ut faciam, Deus, voluntatem tuam . . . In qua voluntate* (pergit Apostolus) *sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi.* Hinc quoque Jsaias de eo praedixerat c. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu illius dirigetur.* Et Regius Psaltes Ps. 2. *Postula a me, et dabo tibi Gentes haereditatem tuam.* Quoad alterum vero, licet Christi anima a primo ipsius ortu intuitiva Dei visione frueretur, in

statu tamen viae versabatur, 1.° quia ejus beatitudo in parte superiori, seu rationali sistebat, quin ad inferiorem, seu sensitivam difflueret, 2.° quia gaudium inde profluens in mente continebatur, quin ad corpus usque diffunderetur. 3.° ob passibilitatem, et infirmitatem carnis assumptae. 4.° ob agilitatis, claritatis, subtilitatis usum illi suspensum. 5;° demum ob ipsum cum hominibus in terra convictum, ob ipsum rerum sensibilium experimentum, ob ipsum externorum objectorum appulsum.

Licet autem nullibi dicatur Angelorum Salvator, sed hominum; et ad Heb. c. 2. dicatur, quod *nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit*, verisimilis tamen est sententia, quod Angelis bonis aliquem saltem gratiae gradum meruerit; juxta Apostolum namque ad Coloss. c. 2., est Christus ipsorum quoque Angelorum Caput; prorsusque necessarium ad rationem Capitis videtur, ut aliquo modo influat in membra, iisque bona communicet.

De fide tamen est contra Origenistas, nec pro Angelis malis, nec pro hominibus damnatis, ut damnatis, mortuum fuisse, ut liberationem aliquando ab Inferis illis promereretur; e quibus etiam eduxisse non paucos in suo ad Inferos descensu, comminiscebantur. Ut autem nonnihil dicerent, primum innui ajebant ep. ad Eph. 1., ubi dicitur Christus instaurasse omnia, *quae in Coelis, et quae in terra sunt*; nec non ad Coloss. 1., ubi additur, quod *pacificavit per sanguinem Crucis ejus sive quae in Coelis, sive quae in Terris sunt*. Quidnam autem, nisi desertores Angeli, qui et alibi ab Apostolo dicuntur *spiritualia nequitiae in Coelestibus*, ea intelligi possunt, quae instauravit, pacificavitque Christus in Coelis per sanguinem Crucis ejus? et quinam pro iis, quae instauravit, pacificavitque per sanguinem Crucis ejus in Terris, nisi homines in Terrae visceribus detrusi, idest damnati? Idem quoque innui, ajebant, Joannis 1., ubi Christus dicitur Agnus Dei, *qui tollit peccatum Mundi*; nec non ep. 1. ejusdem c. 2., ubi additur, *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non solum autem pro peccatis nostris, sed etiam pro totius Mundi*. Mundus autem universa comprehendit, quae a Deo condita fuere: Et Daemonum igitur, caeterorumque cum iis damnatorum peccata abstulisse, ac pro illis quoque fuisse propitiatio-

nem, dicendum est. Alterum vero Apostolorum Principem asserere ajebant illis verbis ep. 1. c. 3., *quia et Christus pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. In quo et iis, qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit; qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam, cum fabricaretur Arca.* Porro ii, qui, cum fabricaretur Arca, increduli fuerant, ad Inferos profecto per Diluvium ruerunt, fueruntque de numero damnatorum, unde et dicuntur, quod *in carcere erant*: quibus nihilominus cum dicat Apostolorum Princeps, Christum praedicasse, quum descendit ad Inferos, innuit his verbis, quod eos inde eduxerit, nisi enim praedicatione sua ad poenitentiam eos commovisset, et per poenitentiam ad salutem, ad quid illis praedicare perrexisset?

Daemonum tamen, caeterorumque cum iis damnatorum poenas aeternas futuras, fixamque eorum conditionem, ac sententiam in eos latam numquam revocandam fore, fuse ostendimus fide catholica tenendum esse l. 4. *tract.* 2. *cap.* 6. *prop.* 3. *pag.* 77. *Ad* 1.m vero respondet D. Aug. in Enchir. c. 62, *instaurari in Christo, quae in Coelis sunt, cum id, quod inde in Angelis lapsum est, ex hominibus redditur: instaurari autem quae in terris sunt, cum ipsi homines, qui praedestinati sunt ad aeternam vitam, a corruptionis vetustate renovantur*. Vel, ut explicat D. Hieron. in h. l., quia *omnis dispensatio, quae est ante Mundum, et postea esse coepit in Mundo, tam invisibilium, quam visibilium creaturarum, adventum Dei Filii pollicebatur*. Pacificavit quoque per sanguinem Crucis ejus sive quae in Coelis, sive quae in Terris sunt, quia, ut ait D. Chrysostomus hom. 3., *illic quoque erat pugna, et bellum. Abscissa erat Terra a Coelo; bellum gerebant Angeli adversus homines, videntes suum Dominum probro, et contumelia affectum*. Quam interpretationem amplectitur etiam D. Aug. *in Ench. c.* 61., nec non D. Hier. l. cit

Ad 2.m, quod Mundi nomine intelligendi sunt homines ubique terrarum viventes, ut ex innumeris Scripturae locis manifestum est, ubi Mundus pro Terra, et inhabitantibus in ea hominibus usurpatur; ex. gr. Matth. c. 26. v. 13.: Marci c. 14. v. 9, nec non c. 16.

v. 15. ; Joann. c. 1. v. 10., c. 3. v. 17., c. 8. v. 23., c. 12. v. 19., c. 16. v. 28.; ep. ad Rom., c. 1. v. 8. etc.

Ad 3.m, quod duplex illius loci explicatio ab Interpretibus affertur: vel nempe, quod Christus in spiritu, quo vivificante surrexit, idest ejus Divinitatis, praedicaverit olim incredulis, cum fabricaretur Arca: vel quod ad Inferos descendens detentis in lymbo Spiritibus laetum redemptionis peractae nuncium attulerit, inter quos et illi aderant, qui dum fabricaretur Arca, licet *aliquando* increduli, priusquam tamen fluctibus mergerentur, poenitentiam egerant. Utraque sane satis textui cohaerens; sed prior, ut nobis videtur, magis quam altera; 1.° quia eos, qui increduli fuerant, cum fabricaretur Arca, resipuisse tandem, ac poenitentiam egisse, prius quam fluctibus mergerentur, undenam demonstrabitur? 2.°, quia nulla suppetit ratio, cur iis potius, quam aliis dicatur Christus apud Inferos praedicasse, eorumque potius, quam aliorum Petrus meminerit? 3.° quia hujus scopo magis prior, quam altera respondet; hortatur namque nos eo loci Apostolorum Princeps, ut patienter feramus ad Christi exemplum eos, qui nobis adversantur; quia nempe et Christus, cum justus esset, mortem pro injustis oppetiit, et Diluvii tempore eos quoque ad poenitentiam vocaverat, qui tandem ob eorum incredulitatem perierunt extra Arcam. Quidnam autem roboris exhortatio istiusmodi haberet, si ejus sensus esset: Patienter eos sustinete, qui vobis adversantur, quia et Christus ad inferos descendens laetum attulit nuncium peractae eorum redemptionis illis quoque, qui increduli fuerant, cum fabricaretur Arca, sed priusquam fluctibus mergerentur, poenitentiam egerunt? Nonne magis cohaeret istiusmodi exhortatio: Patienter eos, qui vobis adversantur, sustinete, quoniam et Christus nedum patienter pertulit Judaeos, verum etiam pro iis acerbissimum Crucis supplicium subiit: et olim quoque cum fabricaretur Arca, patienter tulerat incredulos ejus praedicationi per os Noe, ad poenitentiam eos expectando centum annorum spatio? Hinc priorem explicationem sequutur D. Aug. *ep.* 164. *ad Evodium*; D. Hieron *in. c.* 54. *Isaiae*, aliique; ex quibus D. Th. 3. *p. qu.* 52. *art.* 2. *ad* 3. inquit de hoc Petri loco, *melius cum Aug. exponi, ut referatur non ad descensum Christi ad inferos, sed ad operationem Divinitatis ejus, quam exercuit a principio Mundi.*

Nec movere debet, quod eos in carcere dixit; designavit quippe hac phrasi et corpus, quo concluditur anima, et mentis caecitatem, ac Daemonis captivitatem, sub qua detinebantur: quo etiam sensu eadem phrasis usurpatur Is. 9. v. 2., et 61. v. 1., nec non Matth. 4. v. 16., Lucae 1. v. 70., et 4. v. 18., et ad Rom. 5. v. 15., 6. v. 11., et 7. v. 6. .

Neque etiam timendum, quod eripiatur Catholicis, quomodo ostendant contra Calvinum, Bezam, Zuinglium, Bucerum, aliosque haereticos dogma descensus Christi ad Inferos. Superest namque, unde luculenter probatur, Ps. 15., ubi Regius Psaltes in persona Christi, *quoniam* (inquit) *non derelinques animam meam in inferno*; quae de Christo eum dixisse, testatur D. Petrus c. 2. Actuum. Item Ps. 48., ubi idem ait: *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi*; quibus vaticinatus fuit, D. Basilio interprete, *Christi ad Infernum descensionem, qui una cum aliis Prophetae ipsius animam esset liberaturus*. Item illud Eccli. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terrae, et inspicient omnes dormientes; et illuminabo omnes sperantes in Domino*. Nec non illud Zach. 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Convertimini ad munitionem vincti spei*; ex quibus etiam patet contra praefatum Origenistarum errorem, quod nonnisi in justitia defunctos, pro quibus *vincti spei*, et *sperantes in Domino* intelligi possunt, inde eduxit. Item illud Oseae 13. *O mors, ero mors tua, morsus tuus ero, inferne*; in quem Os. locum ita dilucide, et ad mentem caeterorum Doctorum D. Greg. Magnus l. 12. Moral. c. 11. *Quod occidimus, agimus, ut penitus non sit; ex eo autem, quod mordemus, partem abstrahimus, partemque relinquimus. Quia ergo Christus in electis suis funditus occidit mortem, mors mortis extitit: quia vero ex inferno partem abstulit, partemque reliquit, non occidit penitus, sed momordit infernum.* Demum ex ep. ad Eph. 4., ubi Apostolus de Christo ait, quod *ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae?* Quibus accedit et Apostolorum Symbolum, et concors Patrum tum Latinorum, tum Graecorum Traditio; unde ait D. Aug. in cit. ep. ad Evodium: *Quis ergo, nisi infidelis, negaverit, fuis-*

se apud Inferos Christum? De quo satis, ut reliquas prosequamur propositionis partes.

Immensam nempe diximus ejus meritorum segetem; ac talem fuisse, probatur 1.° ex illis Sacrarum Litterarum testimoniis, ubi Christus nedum dicitur pro peccatis totius Mundi satisfecisse, verum etiam pro iis satisfecisse superabundanter, quemadmodum cap. sequ. ex proposito demonstrabimus; qua super re sufficiant hic illa Apostoli verba ad Rom. 5. *Non sicut delictum, ita et donum, si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. . . Ubi autem abundavit delictum, superabundavit et gratia.* Cujusvis autem peccati malitia, sin absolute infinita, *habet* tamen (ut ait D. Thomas 3. p. qu. 1. art. 2. ad 2.) *quamdam infinitatem ex infinitate Divinae Majestatis; tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur*; et revera non aliter a Deo optimo, et justissimo apud Inferos punitur, quam poenis sine fine; ideoque quoad durationem infinitis: ex quo sequitur, quod ad satisfaciendum, tametsi aequivalenter, eoque magis superabundanter pro peccatis totius Mundi, requirebatur satisfactio valoris infiniti, quam Christi actiones, passionesque non habuissent, nisi per eas infinitum consecutus esset meritum: Infinitum ergo meritum actionibus, ac passionibus suis esse consecutum, ideoque immensam meritorum segetem iis congessisse, consequens est.

Item ex illis Sacrarum Litterarum testimoniis, ubi dicitur Christus semetipsum pro nobis humiliasse, obtulisse, tradidisse; ut ad Philip. 2. *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset . . . humiliavit semetipsum*: ad Heb. 6., ubi de eo dicitur, quod *per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo*: ac demum ad Eph. 5., ubi dicitur, quod *tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo.* Humiliationem autem, oblationem, ac traditionem sui ipsius a Persona infinitae sanctitatis, ac dignitatis factam in Dei obsequium, quis totidem actiones non dicet infiniti meriti apud Deum? Iis ergo infinitum comparasse meritum, iisque congestis immensam quoque meritorum segetem congessisse, est dicendum.

Quod et demum confirmatur ex eo, quod ait D. Paulus ad Cor. ep. 1. c. 6. *Empti estis pretio magno.* Nec

non D. Petrus ep. 1. c. 1. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, et incontaminati.* Quo loquendi modo eos significasse, inextimabilem, atqne infinitum actionum, ac passionum Christi fuisse meritum, cuivis consideranti fit perspicuum. Et sane si per metaphoram pretii aequalitas designatur, per adjectivum *magnum* quid, nisi ejusdem superabundantia, datur intelligi?

Prob. 2.° ex PP., ex quibus sufficiat D. Chrysostomus hom. 10. in ep ad Rom. *Multo plura* (inquiens), *quam debebamus, pro nobis solvit, tantoque plura, quanto guttulam exiguam excedit Pelagus immensum.* Et D. Anselmus De satisfact. Chr. c. 14., inquiens de iis, quod *suffecissent ad solvendum quod debetur pro peccatis totius Mundi plusquam in infinitum.* Idemque confirmans Clemens VI., ait in Extravag., cuius initium *Unigenitus*, De Poenitentia, et remissionibus, *Christum Dominum acquisivisse Ecclesiae thesaurum infinitum constantem suis meritis, et operibus satisfactoriis. . . et non esse aliquatenus formidandum de corruptione, seu imminutione hujus thesauri, propter infinita ejus merita.*

Quod demum probatur ratione theologica; exurgit enim meritum ex bonitate actionis, et persona agentis, ex quo sequitur, quod eo meritum est majus, quo persona agens sanctior est, et dignior. Est autem Christi Persona una eademque, ac Persona Dei Verbi, ideoque sanctitatis, et dignitatis infinitae: Quaevis ergo ejus actio, aut passio ex sanctitate, et dignitate infinita ipsius Personae infinitum quoque valorem, et meritum consequebatur. Sive, ut idem paullo diversa ratione dicamus, cum actiones sint suppositorum, quo sanctior idcirco, et dignior est persona, eo etiam ejus actio, vel passio sanctior est, et dignior. Sanctitas autem, et dignitas Personae Christi est non minus, quam infinita: Et ejusmodo igitur cujusvis ejus actionis, ac passionis sanctitas, et dignitas; quibus proinde absque mensura, et fine promeruisse, magis, magisque perspicuum est.

Objicitur quidem 1.°, quod repugnat in terminis, Personam Divinam se submittere. Quod cum ita sit, ubinam in actiones, et passiones Christi valor ex Persona Divina Verbi se submittentis? Non ergo earum valor inde infinitus. 2.° in terminis quoque repugnare infinitum infinito majus. Ex hypothesi autem, quod quaevis

Christi actio, ac passio fuerit infiniti valoris, sequitur infinitum infinito majus, cum evidens sit, universas Christi actiones, ac passiones majoris valoris fuisse, quam fuerint singulae seorsim sumptae: Non ergo infiniti valoris. 3.º quod si fuissent infiniti valoris, frustra impendisset Christus tot absque numero actiones, ac passiones ad hominum redemptionem. Hoc falsum: Et falsum igitur, quod fuerint infiniti valoris. 4.º quod humanae Christi actiones, et passiones erant entitatis finitae, quippe quod naturae finitae, a qua eliciebantur, et quam afficiebant. Per actiones autem, et passiones entitatis finitae non videtur rationi consentaneum, meritum comparari infinitum: Non ergo Christus ejusmodi per eas meritum consecutus fuit. 5.º quod ut Christi merita nobis profuissent, necesse fuit, quod ejus actiones, et passiones Deus pro nobis acceptaret. Si autem ex se fuissent sufficientes ad satisfaciendum pro hominum peccatis, opus ad id non fuisset acceptatione Divina: Non ergo ex se, sed ex Divina acceptatione sufficientes ad satisfaciendum pro hominum peccatis, nec proinde earum valor infinitus. 6.º quod valor actionum ac passionum Christi profecto dici nequit aliquid increatum, cum, hoc posito, ab aeterno extitisset. Quod autem increatum non est, creatum sit, ideoque finitum; necesse est: Ejusmodi igitur. 7.º quod si earum valor fuisset infinitus, potentia Dei in ordine ad ejusmodi valorem fuisset exhausta. Hoc dictu absonum: Et illud igitur.

Sed resp. ad 1.m dist. maj.; repugnare scilicet in terminis, quod Persona Divina se submitteret secundum se, et in propria Natura, non tamen in Natura assumpta, seu prout terminans Naturam humanam. Et sane illa Ap. verba ad Philipp. c. 2. *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset . . . humiliavit semetipsum etc.*, aliaque id genus, quae in Novo Testamento occurrunt, humiliationem, obedientiam, etc. ad ipsum Christi suppositum referunt.

Ad 2.m dist. min.; universas nempe Christi actiones, et passiones majoris valoris fuisse, quam fuerint singulae seorsim sumptae, si sermo de iis fiat *materialiter*, seu abstrahendo a persona Christi, cujus juris erant; non vero *formaliter*, seu habita ratione ipsius Personae, sub qua ratione cuivis Christi actioni, ac minimae ejus Passioni, tantum meriti inerat, quantum

omnibus simul sumptis, quippe quod cuivis ejus actioni, ac passioni infinitum sub tali ratione meritum inerat, quo majus dari nequit.

Ad 3.m neg. sequ. maj.; tot namque egit, et passus est, tum ut peccati gravitatem, justitiam Divinam, suamque erga nos charitatem ostenderet; tum ne nostra Redemptio visa nobis esset vilis, utpote unica aliqua actione, eaque facili ab eo perfecta; tum ut magis, ac magis Patrem suum suis actionibus, passionibusque pro ejus gloria susceptis, glorificaret; tum denique, ut praeceptum sibi a Patre de redimendis hominibus perfectissime adimpleret. Qua super re animadvertendum, quod licet Christus singulis suis actionibus vere, ac de facto omnia, et singula gratiae, et gloriae dona nobis meruerit, nonnisi tamen respective ad mortem Crucis ea nobis meruisse, ita ut singula ejus merita per mortem compleri, et consummari deberent, communis Doctorum sententia est: non quia aliter fieri non poterat, cum minima ejus actio ob infinitam ejus Personae dignitatem ad redemptionem omnium hominum erat plus quam sufficiens, sed quia ab aeterno decretum fuerat, ut hominum redemptio non aliter, quam per ejus Passionem, et Mortem compleretur. Hinc vaticinatus de illo fuerat Isaias c. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu illius dirigetur.* Hinc Marci 8. ipse Christus de futura ejus Passione, et Morte verba ad discipulos faciens, *coepit docere eos, quoniam oportet, Filium hominis pati multa, et occidi.* Hinc etiam ait Jo. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Hinc demum Apostolus ad Coloss. de eo scripsit c. 1., quod *per sanguinem Crucis ejus pacificavit sive quae in Coelis, sive quae in Terris sunt.*

Ad 4.m dist. maj.; quod nempe humanae Christi actiones, et passiones erant entitatis finitae, habita ratione Naturae, a qua eliciebantur, et quam afficiebant; non tamen, habita ratione Personae, quae cum esset ipsius Verbi Dei, eas, ut sui ipsius proprias, sibi vindicabat, summumque, ac maximum, immo infinitum valorem illis tribuebat; quia scilicet non nudus homo agebat, et patiebatur, sed homo Deus, a cujus Majestate nec separa-

batur humanitas, neque eam ab illa segregare vel ipsa cogitatione fas est.

Ad 5.m dist. etiam maj.; necesse scilicet fuisse, ut illas Deus pro nobis acceptaret, non quia Christi actionibus, et passionibus infinitus valor non inesset, sed quia antecedenter ad Christi substitutionem, qui loco nostrum satisfaceret, poterat Deus ab ipso homine, qui peccaverat, exigere, ut offensam ejus Majestati peccato illatam lueret.

Ad 6.m dist. min.; quod nempe quidquid increatum non est, creatum sit, ac proinde finitum, necesse est, si sit Ens physicum, ac physica quadam entitate praeditum, non vero si sit dumtaxat aliquid morale, cum hoc esse nequeat creationis terminus. Ejusmodi autem est valor, de quo hic sermo.

Ad 7.m neg. sequ. maj.; 1.º quia saltem numerice, ac extensive potuisset Dei potentia valorem illum augere, illum nempe aliarum humanitatum assumptione multiplicem reddens, atque in longius protrahens. 2.º quia aliud est, Dei potentiam in ordine ad aliquod esse exhaustam, aliud est, nullum esse ulteriorem terminum possibilem, qui attingi possit. Prius defectum quidem virtutis argueret, supponeret namque, dari terminum ulteriorem possibilem, quo Dei potentia non posset pertingere: non tamen posterius, quod tantum ulterioris termini possibilitatem excludit.

Hanc demum meritorum infinitatem liberis tantum humanitatis actibus, iisque a primo ipsius ortu, indeque continuo usque ad vitae terminum congessisse, demonstrandum superest. Et quidem, quod Christus, ut operans per Divinitatem, creatione scilicet animarum, collatione donorum supernaturalium, etc., fuerit meriti incapax; ex eo est evidens, quod, ut taliter operans, superiorem non habebat, a quo mercedem acciperet. Liberis vero tantum humanitatis actibus eum promereri potuisse, ex eo patet, quod *ubi necessitas* (ut ait D. Hieron. l. 2 contra Jovinian.), *ibi nec corona, nec damnatio*. Cujus ratio est, ut diximus *in tract. de Act. hum. c.* 3., quia, ut actio imputetur ad meritum, ita nostra esse debet, ut illam dare possimus, velut pretium pro praemio. Ut autem ita sit nostra, necesse est, ut sit libera ab omni necessitate antecedente; necesse est namque, ut ita sit in dominio nostro, ut possimus de

illa pro arbitrio disponere, et illam dare, et non dare pro arbitrio. Diximus vero ab omni necessitate antecedente; necessitas enim consequens, liberam scilicet voluntatis determinationem, hoc ipso, quod liberam voluntatis determinationem consequens, nemo non videt, quod libertatem non laedit. Evidens ergo est, quod, ut actio imputetur ad meritum, necesse est, ut sit libera ab omni necessitate antecedente. Hinc neque per visionem intuitivam, neque per amorem Dei beatificum Christum meruisse, commune est; cum neutrum fuerit sub ejus dominio; sed per actus amoris, ac dilectionis Dei ex scientia infusa: quo sensu loquitur D. Thomas 3. p. qu. 19. art. 3., *Christum* (inquiens) *non meruisse per charitatem, in quantum erat charitas comprehensoris, sed in quantum erat viatoris*; quo loquendi modo innuit S. Doctor, duplicem Dei amorem in Christo fuisse, unum, qui intuitivae ipsius Dei visioni, alterum, qui infusae ei scientiae respondebat; nec non illum necessarium, hunc liberum, libertate scilicet, ut diximus, non contrarietatis, ita ut posset Deum odisse, sed specificationis, et exercitii, *poterat enim Christus* (ut idem S. Doctor ait l. cit. qu. 11. art. 5.) *uti scientia indita, quando volebat.* Nec solum per ejusmodi actus amoris, ac dilectionis Dei immensam illam meritorum segetem sibi, et aliis congessisse, dicendum est, sed et per actus obedientiae, humilitatis, patientiae; orationis, caeterarumque virtutum moralium, quippe quod omnibus id genus actibus nulla ex conditionibus ad meritum requisitis deerat.

Quam item a primo ipsius ortu congessisse, diximus; idque probatur ex Apostoli verbis ad Heb. 10. supra allatis: *Ingrediens Mundum dicit: Hostiam, et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam . . . In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi.* Si autem per illum suae erga Patrem obedientiae, et demissionis actum a primo ejus in Mundum ingressu sanctificati dicimur, profecto id promeritum per ejusmodi actum fuisse, manifeste patet. A primo igitur ipsius ortu ipsum quoque in eo agnoscendum est merendi principium.

Ejus vero meritorum cursum per totum quoque vitae cursum fuisse, subdidimus; numquam enim egit,

ut ipse testatus fuit, nisi quae placita erant Patri: *Ego* (inquiens), *quae placita sunt ei, facio semper* (*Io.* 8.). Aliunde vero cum illi fuerit merendi potestas, tam vigiliae, quam somni tempore per actus internos elicitos independenter a sensibus ratione scientiae infusae, dubitandum non est ob ejus perfectissimam charitatem, quod tam vigiliae, quam somni, omnique tempore promeritus fuerit; unde D. Ambrosius de ipsius infantiae tempore sermonem faciens l. in S. Luc., *me* (inquit) *illius infantiae vagientis abluunt fletus; mea lacrymae illae delicta laverunt.*

Quod merendi exercitium usque ad vitae terminum diximus quoque produxisse, non ultra; tum quia moriendo desiit esse viator, nec nisi in statu viae ex Dei dispositione possunt comparari merita; tum quia moriendo merita sua omnia consummasse, ait ipse Christus illis verbis: *Consummatum est.*

Objicitur contra hoc ultimum, eum quoque meruisse per vulnus illud, quod post mortem accepit; ut enim inquiunt D. Leo *ep.* 4. *c.* 6., D. Ambrosius *l.* 10. *in Luc.*, D. Augustinus *tract.* 15. *et* 120. *in Io.*, aliique, ex illo vulnere Sacramenta Ecclesia fluxerunt. Item quod resurgendo meruit, ajente Apostolo ad Rom. 4., quod *resurrexit propter justificationem nostram.* Demum, quod, ut idem docet ad Rom. 8., etiam modo, dum *est ad dexteram Dei, interpellat pro nobis*; utque addit ad Heb. 7., *semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Unde et ait D. Joannes ep. 1. c. 2. *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum.*

Sed resp. quoad 1.m, per vulnus illud Christum meruisse, ut ex aperto ejus latere Sacramenta Ecclesiae fluerent, non tamen illo instanti, quo illud accepit, sed dum adhuc vivens illud praeviderat, et ultro, ac sponte acceptaverat, et Deo Patri pro nostra salute obtulerat. Quoad 2.m, eum resurrexisse propter justificationem nostram, non quod ejus resurrectio fuerit causa meritoria nostrae justificationis, sed quatenus nostram resurrectionem spiritualem ad vitam gratiae repraesentans; ait enim Trident. sess. 6. cap. 7., *nostrae justificationis causam meritoriam esse Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum essemus inimici, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, sua Sanctissima Passione in ligno Crucis nobis justificationem meruit, et pro no-*

bis Deo Patri satisfecit. Quoad 3.m, sensum quoque allatorum textuum esse, non quod Christus per suas preces apud Patrem nova nobis mereatur, sed quod per illas impetrat, ut ejus Vitae, Passionis, ac Mortis merita nobis applicentur. Immo quamvis prae aliis D. Thomas doceat tum *lect. 7, in c. 8. ad Rom.*, tum *lect. 4, in c. 7. ad Heb.*, quod Christus per expressam petitionem pro nobis orat; neque tamen dicendum proinde est, ejus orationes esse impetratorias proprie loquendo; sed solum quatenus nunc a Deo Patre pro nobis exigit, quod praeteritis Passionis, ac Mortis suae meritis debetur, quodque jam per eadem olim nobis impetravit. Qua super re advertendum quoque cum D. Thoma *in Suppleml. 3. p. qu. 72. art. 2. ad 3.*, nec Ecclesiam solere, nec nos debere absolute petere a Christo, ut pro nobis oret; sed ut exaudiat nos; vel ut nostri misereatur; ne scilicet videamur Arianis, aut Nestorianis assentiri, qui Christi Personam, ad quam oratio dirigitur, creatam esse, et Deo inferiorem, blasphemabant.

Prop. III. Agnoscenda in Christo est veri nominis libertas, idest non tantum a coactione, verum etiam ab omni necessitate antecedenti. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; ut ex illis Isaiae verbis c. 7. *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum, et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.* Et c. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Nec non ex illis ipsius Christi verbis Jo. 10. *Ego pono animam meam... Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo ponendi eam.* Et electio autem, et positio actus, quia sic libet, eumque pro libito ponere, vel non ponere, sunt totidem veri, et genuini libertatis arbitrii characteres; ubi enim determinatio ad unum, seu necessitas, ibi nec electio, nec positio actus, quia sic libet, nec potestas illum pro libito ponendi, vel non ponendi locum habent. Quare Apostolus 1. ad Cor. 7. loquens de Virginitate necessitatem volendi opponit potestati volendi, ideo, inquiens, hominem *non habere* illius *necessitatem*, quia *potestatem habet suae voluntatis*, illam scilicet volendi, vel non volendi, eamque pro libito amplectendi, vel non amplectendi: Agnoscenda ergo est in Christo veri nominis libertas, idest non tantum a coactione, verum etiam ab omni necessitate antecedenti.

Quibus accedit ex Scripturis tum obedientia, quam illi tribuit Apostolus ad Rom. 5., *sicut* (inquiens) *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi :* Et ad Philip. 2. *Factus* (inquiens) *obediens usque ad mortem :* tum meritum, quod ejusmodi obedientia et sibi, et nobis eum, inquit, comparasse; sibi scilicet, *propter quod* (inquiens) *Deus exaltavit illum etc.*; nobis, quia, ut inquit, *per ejus obeditionem justi constituimur.* Nec obedientiae autem, nec merito locus est, ubi desit libertas ab omni necessitate antecedente; in eo enim, quod aliquis necessario agat, ita ut nequeat illud non agere, quisnam dixit, eum alteri obedire, vel aliquid apud illum promereri? Habetne se ad praemium, tamquam pretium ad mercedem, actus, cujus agens non sit Dominus, ita ut pro libito ponere illum queat, vel non ponere? Hinc ab Innoc. X., universa ei plaudente Ecclesia, damnata fuit, ut haeretica, tertia Iansenii propositio : *Ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur libertas a necessitate; sed sufficit libertas a coactione.* Nec refert, quod ibi agatur de statu naturae lapsae, non autem de statu naturae integrae, qualem Christus suscepit; hanc namque propositionis particulam *in statu naturae lapsae* restrictivam non esse, sed ampliativam, quasi dictum fuerit *etiam in statu naturae lapsae*, ex eo patet, quod si in statu naturae lapsae, in quo hominis voluntas est viribus per peccatum attenuata, non sufficit tamen ad merendum infimus libertatis gradus, qualis est immunitas a coactione, quanto minus sufficiens ad merendum judicandus est idem libertatis gradus in statu naturae integrae, in quo voluntas ejusmodi non erat?

Prob. 2.° auctoritate D. Aug., et D. Thomae, quin reliquos Ecclesiae Patres, ac Doctores in re tam dilucida congeramus; ita enim de Christo D. Aug. l. De praedest. SS. c. 15. *An ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato servire non poterat?* Quibus verbis solam contrarietatis libertatem ad bonum, et malum a Christo cum excludere, nemo non videt; ideoque in eo agnovisse nedum libertatem a coactione, verum etiam libertatem a quacumque necessitate. Ita vero D. Thomas in 3 Dist. 18. qu. unica art. 2. ad 5. *Liberum arbitrium Christi non erat determina-*

tum ad unum secundum numerum, sed ad unum secundum genus, scilicet ad bonum, quia malum non potest, sed tamen hoc potest facere, et non facere. Pergit quidem, *quod etiamsi esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest, tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, sive meriti, quia in illud non coacte, sed sponte tendit; et ita est actus sui dominus;* id tamen non obstat, immo et favet, per illa enim verba *non coacte, sed sponte* immunitatem non solum a coactione, sed et ab omni necessitate antecedenti eum exclusisse, ac significasse *non necessario, sed libere*, evidenter patet ex verbis immediate sequentibus: *Et ita est actus sui dominus*; ut enim docet idem S. Doctor 1. p. qu. 81. art. 1. ad 3., *sumus Domini nostrorum actuum secundum quod possumus hoc, vel illud eligere.* Passim vero tam ipse, quam alii ex Veteribus coactum pro necessario quacumque necessitate, et spontaneum, ac voluntarium pro libero accipiunt, quia ante exortas haereses, praefatas voces ad negandum in homine liberum arbitrium confundentes, promiscue sumptas fuisse, in comperto est.

Prob. 3.ª ex duplici ratione allata initio bujus capitis.

Objicitur, quod Christus fuit ad unum determinatus, ad bonum scilicet, nec nisi bonum semper operandum. Non est autem necessitas, nisi determinatio ad unum: Nulla ergo in eo veri nominis libertas.

Resp. tamen d. st. cons.; quod nempe nulla in eo fuit, ut non semel diximus, libertas contrarietatis ad bonum, et malum; non vero, quod nulla in eo fuerit libertas contradictionis, tum specificationis, hoc scilicet, vel aliud operandi bonum; atque ob hoc, vel aliud virtutis motivum; tum exercitii, hoc scilicet, vel illo instanti, hac, vel illa actus intensione, etc.: Cumque libertas contradictionis illa sit, quae necessario requiritur ad libertatis essentiam, quippe quod per eam homo vere, et proprie est dominus sui actus, ac de eo vere, et proprie disponit, non autem libertas contrarietatis, quae potius defectus libertatis est, ut supra ostendimus: ex eo idcirco, quod Christus fuerit determinatus ad bonum, nec nisi ad bonum operandum, consequens non est, quod in eo non fuerit veri nominis libertas.

Prop. IV. Libertas in Christo agnoscenda sese non

habuit circa substantiam praeceptorum sive naturalium, sive positivorum, sed circa eorum circumstantias: cumque liber fuerit circa eorum circumstantias, liber quoque fuit circa ipsam actuum substantiam. Ita communiter.

Prob. 1. pars. Et quidem eam se non habuisse circa praeceptorum sive naturalium, sive positivorum substantiam, ex ejus impeccantia, quam supra ostendimus, evidenter sequitur; libertas namque ejusmodi eadem fuisset, ac facultas ea infringendi, ideoque peccandi; quod dictu nefas. Simul autem libere illa implevisse, tum ex obedientia, quam per eorum observantiam exhibuit, tum ex merito, quod per eorumdem observantiam consecutus est, sequitur non minus evidenter: Restat igitur, ut libertas, qua illa implevit, nonnisi circa eorum circumstantias se habuerit. Et sane id, quod pugnabat cum ejus impeccantia, erat tantum facultas illa infringendi. Potest autem quodvis praeceptum affirmativum, quin ullatenus infringatur, potest, inquam, observari hoc, vel illo instanti, hac, vel illa actus intensione, ob hoc, vel illud virtutis motivum; ac ubi agatur de praecepto negativo, potest istud observari vel actu tantum negativo, vel negativo simul, et positivo, atque hae sunt praeceptorum circumstantiae, ea scilicet, quae praeceptorum observantiam comitantur: Et impeccabilis igitur, et simul liber circa praeceptorum circumstantias esse potuit; ideoque libertatem in eo agnoscendam circa praeceptorum circumstantias se habuisse, consequens est.

Prob. 2. pars, quod nempe cum Christus liber fuerit circa praeceptorum circumstantias, liber quoque fuit circa ipsam substantiam actuum. Sunt enim cujusvis praecepti circumstantiae, ut diximus, hoc, vel illud instans, quo praeceptum impletur, haec, vel illa intensio, qua impletur, hoc, vel illud virtutis motivum, ob quod impletur; ac ubi agatur de praecepto negativo, illius observatio per actum negativum simul, et positivum, cum enim ad illud implendum sufficiat actus carentia, praestantius profecto observatur, si actu simul et negativo, et positivo observetur. Libertas autem circa hujusmodi libertatem quoque circa ipsam actuum substantiam non modo numericam, verum etiam specificam fert, non enim est idem numero secundum substantiam actus sive hoc, sive illo instanti positus, itemque actus sive hujus, sive illius intensionis, ac demum actus sive elicitus ex motivo hujus, sive elici-

tus ex motivo alterius virtutis, in quo postremo casu actuum entitas, seu substantia non modo numerice, verum etiam specifice differt: Cum ergo Christus fuerit liber circa hujusmodi circumstantias, liberum quoque eum fuisse circa ipsam actuum substantiam, sequitur. Et sane, quod ut actiones sint liberae, cadantque sub meritum, sufficiat quod agens sit indifferens quantum ad earum circumstantias, licet in se absolute necessariae sint, et praeceptae, ex eo constat maxime, quemadmodum advertit Nicolaus L'Herminier, quod morbi, calamitates, et miseriae, quibus in hac mortali vita circumaguntur homines, sunt in se necessariae, et inevitabiles quoad rem ipsam; quae tamen omnia usu, fine, motivo, et libera voluntatis acceptione fiunt libera, et consequenter meritoria. Ac nonne etiam Martyres libere mortem oppetiisse, procul dubio est, quippe qua aeternum, ac supereffluens praemium a Deo consecuti sunt? Nonnisi autem propter circumstantias temporis, et motivi libera illis fuit mors, quia nempe poterant mortem tunc temporis declinare, eamque tamen ob fidei confessionem libenter oppetiere, non item absolute, et in re, cum omnibus hominibus statutum sit semel mori: Rursum ergo evidens, quod etiam cum Christus fuerit liber circa praeceptorum sive naturalium, sive positivorum circumstantias, liberum quoque eum fuisse circa ipsam actuum substantiam, dicendum est. Quibus demum accedit, quod cum praecisio circumstantiarum a substantia actus non sit, nisi per mentem, ita indivise idcirco substantia, et circumstantiae actus conjunguntur, ut non possit agens esse liber circa circumstantias actus, quin liber etiam concipiatur circa ipsam actus substantiam.

Prop. V. Praecepta quidem legis naturalis Christum hominem quoque afficiebant; at non item praecepta positiva, nisi tantum moriendi in Cruce praeceptum, ut nos salvos faceret, independenter a libera ejus acceptatione illi impositum. In qua tamen obeunda fuit liber, quia poterat ab eo petere dispensationem, eamque petendo obtinuisset.

Prob. 1. pars; praecepta enim legis naturalis, ut diximus *in tract. De legibus c.* 1., id praecipiunt, vel prohibent, quod suapte natura, vel saltem posito, qualis est, rerum ordine, bonum est, vel malum. Christus autem ob suam impeccantiam indeclinabiliter adhaerebat

bono, et aversabatur malum: Nedum ergo praecepta legis naturalis ipsum afficiebant, verum etiam declinare ab illis nullatenus poterat.

Prob. 2. pars; erant enim praecepta positiva ea, quae per Legem Mosaicam Judaeos obstringebant. Illis vero Christus non subjiciebatur, 1.° quia, ut diximus *in tract. De legibus c.* 6., cum nemo possit sibi ipsi imperare, Legislatores proinde suis legibus non tenentur vi ipsarum legum, sed tantum, ut caeteris Communitatis partibus conformentur. Erat autem Christus Legislator, prout conceptis etiam verbis appellatur apud Isaiam c. 33.: Non ergo praeceptis per legem Mosaicam latis obstringebatur. 2.° quia lex Mosaica edita non fuerat, nisi pro Israelitis, qui via ordinaria nascituri erant, utque esset Christi, ejusque Mysteriorum typus, ac homines ad ejus adventum disponeret. Christus autem natus non fuerat via ordinaria; itemque, ut typus totius legis, hoc ipso in eum tota lex desinebat: Rursum ergo ejus praeceptis non fuisse obstrictum, consequens est.

Prob. 3. pars, verum scilicet in Cruce moriendi praeceptum a Patre accepisse: quid enim 1.°, ipso teste, clarius? *Nemo tollit* (ita nempe ipse Christus Jo. 10.) *animam meam a me, sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo.* Quasi diceret, quemadmodum exponit Cornelius Alapide: Nemo vitam tollit a me invito per vim, sed ego sponte eam pono pro salute hominum; licet enim potestatem haberem omnem vim Judaeorum irritam reddere, eo modo, quo potestatem habeo iterum vitam sumendi per eam Divinitatis vim, qua tertia die resurgam, quia tamen Pater decrevit me crucifigi, et mortem oppetere pro hominum salute, mihique id jussit, ego ipsi obediens ex ejus amore ultro eam oppeto. Hinc de morte, quam perlaturus erat, verba item faciens ad Discipulos Jo. 14., *sicut mandatum* (inquit) *dedit mihi Pater, sic facio.*

Quod et probatur ex eo, quod ad Philipp. c. 2. ait Apostolus de Christo: *Factus* (inquiens) *obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Obedientia autem proprie dicta praeceptum supponit, suntque obedientia, et praeceptum correlata, cum aliud non sit obedientia, quam rei praeceptae voluntaria, et ex animo executio:

In Cruce ergo moriendi praeceptum a Patre accepisse, est dicendum.

Quod et ultro confirmatur ex eo, quod ait ad Rom. 5., quod *sicut per inobedientiam unius hominis* (idest Adae) *peccatores constituti sunt multi, ita et per unius* (idest Christi) *obeditionem justi constituentur multi.* Adae autem inobedientia fuit proprie dicta, idest rei praeceptae voluntaria, et ex animo transgressio: Ergo et Christi obedientia stricte accipienda est, qua nempe voluntarie, et ex animo executus fuerit praeceptum in Cruce moriendi.

Quod et demum evincitur ex eo, quod ait ad Heb. c. 10., Christum dixisse in ejus in Mundum ingressu: *Hostiam, et oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Quod autem voluntas illa esset lex, et praeceptum, patet ex Ps. 39., e quo Apostolus laudata verba, tamquam a Christo dicta, deprompsit: *Et legem tuam in medio cordis mei*: Veram ergo legem, verumque praeceptum Christum habuisse, ut hostiam se Deo exhiberet pro peccatis hominum, victimamque se faceret pro salute Mundi, magis, magisque perspicuum est.

Prob. 4. pars, quod scilicet, quamvis verum in Cruce moriendi praeceptum a Patre accepisset, nec ulla ei potentia inesset Patris praecemptum infringendi, liber tamen fuit in morte obeunda. Quod evincunt 1.° supra allata ejus verba: *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo ponendi eam.* 2.° quod Isaias de eo praedixerat c. 53., *oblatus est* (inquiens), *quia ipse voluit.* 3.° merita tum sibi, tum nobis sui sanguinis pretio comparata, cum nullus sit merito locus, ubi necessitas est, non libertas. 4.° obedientia, quam in illa obeunda exercuit, cum nullus quoque obedientiae locus sit, immo esse possit in eo, quod necessario, non libere fiat. 5.° demum Patrum concors sententia; ita enim D. Cyprianus serm. De Pass. Dom. *Voluntarie* (inquiens) *obedisti Patri, et non te, ut patereris, coegit necessitas.* Ita D. Chrysostomus hom. 28. in illa Apostoli verba ad Heb. *Proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem, confusione contempta*; ait enim: *Hoc est, licebat ei nihil pati, si voluisset .... Erat ei promptum, si voluisset, non venire ad Crucem.* Ita quoque D. Ambro-

sius l. 1. De Spir. S. c. 12. *Tradidit Pater Filium, et ipse Filius se tradidit . . . Tradidit* (Pater) *volentem, tradidit offerentem.* Item D. Augustinus l. 4. De Trinit. c. 13. *Qui posset non mori, si nollet, procul dubio, quia voluit, mortuus est.* Caeterisque praetermissis, ita demum D. Hieron. in c. 53. Is. *Non necessitate* (inquiens), *sed voluntate crucem subiit.*

Prob. 5. pars, liberum nempe fuisse in ea obeunda, quia poterat a praecepto in Cruce moriendi dispensationem petere, eamque petendo obtinuisset. Et sane quod id potuerit, patet ex ipsius verbis ad Petrum Matth. 26., dum a Judaeis captus esset: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?* Quod vero id non pugnaret cum ratione praecepti, ex eo liquet, quod nedum facultas petendi dispensationem veri praecepti rationem non destruit, quin immo nullus esse potest postulandae dispensationi locus, ubi nullum sit praeceptum. Porro si Christus poterat a praecepto in Cruce moriendi dispensationem petere, eamque si petiisset, obtinuisset quoque, idque utique cohaeret cum ratione praecepti, en simul Christus et praecepto moriendi obstrictus, et simul in obeunda morte plene liber: Licet ergo praeceptum in Cruce moriendi a Patre acceperit, liberum tamen fuisse in morte obeunda, dicendum est, quia poterat ab eo dispensationem petere, eamque petendo obtinuisset.

Quod et probatur refellendo aliorum hac super re opinationes. Sunt enim 1.° , qui, ut propositam quaestionem solvant, nullum, inquiunt, Christum accepisse verum, ac proprie dictum moriendi praeceptum, sed tantum manifestatum illi fuisse Patris placitum, quod pro salute Mundi moreretur. Ideo autem Apostolum scripsisse, quod factus fuerit obediens usque ad mortem, quia, ut docet D. Thomas. 2. 2. qu. 104. art. 2. in corp., *Voluntas Superioris, quomodocumque innotescat, est quoddam tacitum praeceptum; et tanto videtur obedientia perfectior, quanto expressum praeceptum obediendo praevenit, voluntate Superioris intellecta.* Quare S. Doctor explicans obedientiae gradus, *una* (inquit) *est sufficiens ad salutem, quae scilicet obedit in his, ad quae obligatur; alia perfecta, quae obedit in omnibus licitis.* Verum tamen, ac proprie dictum moriendi praeceptum Christum accepisse, ex supra allatis rationibus patet, quibus per-

pensis; videtur, vocari in dubium non posse, maxime cum Scripturae verba, proprie intelligenda esse, ubi evidens ratio non obstet, ostendimus *l.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. *prop.* 1 *pag.* 96.

2.° ajunt alii, quod nullibi dicitur Christus praeceptum a Patre accepisse, sed mandatum. Mandati autem natura non imperium, non legem, non praeceptum prae se gerit; ac etiamsi praeceptum dicatur; natura praecepti paterni non obligationem rigidam parit, non poenam comitatur, non formidinem, sed amorem, et spontaneam obedientiam petit. Ut tamen diximus, procul dubio videtur, verum, ac proprie dictum moriendi praeceptum Christum accepisse. Quod si illud nullam Christo minabatur poenam, nec cum poenae formidine illi inerat, id repetendum ex eo est, quod infallibiliter, atque indefectibiliter ob ejus impeccantiam cum obedientia connectebatur.

3.° ajunt alii, quod cum Decretum Patris fuerit et Filii Decretum, factumque deinde per Incarnationem Decretum Filii incarnati; quemadmodum proinde non necessario, sed libere decreverat, mandaverat, praeceperat Filius in se subsistens, ita non necessario, sed libere decreto illi, mandato, praecepto obediit Filius subsistens in humanitate. Haec tamen quaestionis solutio ab ejus statu egreditur; non enim quaeritur, an voluntate Divina, quae Christo communis est cum Patre, libere decreverit, quod esset in Cruce pro salute hominum moriturus; sed quomodo voluntate humana, quae illi inerat praeter Divinam, nec poterat obnoxia esse peccato, fuerit nihilominus liber in obeunda morte ei a Patre praecepta; posito enim praecepto, si poterat non mori, poterat igitur peccare, quod dictu nefas: si non mori non poterat, quomodonam liber in moriendo?

4.° ajunt alii, verum quidem, ac proprie dictum moriendi praeceptum accepisse, sed dependenter ab ejus libera acceptatione. Hinc cum libere illud acceptaverit, libere etiam mortem oppetiisse, consequens est. Quia tamen praeceptum proprie dictum, et obligatio obediendi sunt correlata, ubinam hujuscemodi praeceptum, dum tota ejus vis ponitur pendere a libera acceptatione illius, cui imponitur? Hoc ipso igitur, quod moriendi praeceptum Christo impositum fuit ex ostensis verum, et proprie dictum, hoc ipso, inquam, dicendum, impositum illi non fuisse dependenter ab ejus libera acceptatione.

5.° ajunt alii, Christum in sensu composito praecepti non potuisse non mori, at utique in sensu diviso; ideoque libere mortem oppetiisse. Nihili tamen faciendam esse hanc sensus compositi, et divisi distinctionem, nec revera esse, nisi verborum lusum, evidenter ostendimus *l.* 2. *tract.* 11. *cap.* 2. *prop* 1. *resp. ad* 1. *pag.* 182.

6.° ajunt alii, liberum fuisse Christum circa praeceptum moriendi, quia licet non fuerit liber circa ejus substantiam, liber tamen fuit quoad circumstantiam moriendi in Cruce. At si Apostolus ad Philipp. c. 2. nedum ait, quod Christus *factus est obediens usque ad mortem*, sed et addidit, *mortem autem crucis*, quis non videt, ipsam in Cruce moriendi circumstantiam illi fuisse praeceptam?

7.° ajunt alii, libere Christum fuisse mortuum, quia licet, stante Patris praecepto, non posset non mori, in quantum mors cum Patris praecepto connectebatur, spectata tamen morte secundum se; erat mors illius voluntati objectum indifferens, utpote propositum cum indifferentia judicii: ex quo sequitur, quod non ipsum medium, seu mors, sed finis, idest voluntas Patris adimplenda, ejus voluntatem necessario determinabat. At 1.° ubinam haec indifferentia judicii in morte a Patre praecepta, cum simul a praecepto Patris digredi nullatenus valeret, et manifesta intuitione Divinitatis in eum, et omnia ab eo volita naturali necessitate raperetur? 2.° ut ostendimus *l.* 2. *loc. cit. pag.* 194., oritur quidem libertas in homine ex indifferentia judicii, non tamen per eam constituitur, sed per vim in voluntate se flectendi per electionem ad utrumlibet oppositorum. Hinc si mors obeunda necessario cum voluntate Patris adimplenda connectebatur, sicut haec proinde Christi voluntatem necessario determinabat, ita eam necessario etiam determinabat ipsa mors; in qua idcirco obeunda non fuisset liber.

Quae cum ita sint, verisimilius dicendum sequitur, ideo libere mortem oppetiisse, quia potuisset, ut diximus, a moriendi praecepto ei imposito dispensationem petere, eamque si petiisset, obtinuisset quoque. Neque obstat, quod cum velle non posset ob suam impeccantiam, Prophetarum oracula esse falsa, neque etiam poterat a praecepto moriendi dispensationem petere. Resp. enim, eadem ratione non potuisse Christum velle ob suam impeccantiam, quod Prophetarum oracula essent falsa, qua Pro-

phetae cognoverant quod praedixerant. Cum autem Christus potuerit, ipso teste, dispensationem petere a moriendi praecepto ei a Patre imposito, futuram proinde ejus mortem cognoscere non poterant, nisi consequenter ad liberam ejus voluntatis determinationem non petendi ab ea dispensationem; cum enim nihili nulla sit scientia, omnis proinde scientia objectum supponit, eoque est posterior: Et consequenter igitur ad liberam ejus voluntatis determinationem non petendi dispensationem a moriendi praecepto ei a Patre imposito Christus velle non potuit, quod Prophetarum oracula essent falsa; quod impotentiae genus nullatenus libertatem laedere, eo ipso scilicet quod consequens liberam voluntatis determinationem, nemo est, qui non videat. Hinc quoque patet, quo sensu Christus locutus fuerit, quum postquam significasset, penes se esse rogare Patrem, et mortem declinare continenter addidit: *Quomodo ergo implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri?*

§. III.

De sanctitate Christi, aliisque gratiarum, quibus locuples fuit, ornamentis.

Quia voluntas est, ut ait D. Augustinus, qua peccatur, et recte vivitur, hic loci idcirco, ubi agendum suscepimus de Christi voluntate, agendum quoque de ejus sanctitate esse, recta methodus postulat. Duplex autem agnoscenda haec est in Christo; et quae scilicet ex unione hypostatica ejus humanitatis cum Verbo in eum manat; et quae ex gratia tum habituali cum comitatu omnium virtutum, et donorum Spiritus Sancti, tum actuali in eumdem fluit: Quod duplex sanctitatis genus caeteras quoque gratias, quae gratis datae appellantur, exornasse, paucis demonstrabimus. Sit itaque

Prop. I. Praedicanda de Christo est sanctitas quaedam naturalis, et substantialis ex unione hypostatica ejus humanitatis cum Verbo in eum manans. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Script.; ut ex Angeli verbis ad B. V. apud Lucam 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te, et Virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quo in loco advertendum cum Concilio Francofordiensi, et Sanctita-

tem Christi substantivo modo exprimi, et eamdem Christo Sanctitatem, ac Filio Dei tribui. Sanctitas autem substantivo modo expressa est sanctitas substantialis; qualis et est, atque ab ejus Natura indistincta sanctitas Filii Dei propria: Patet ergo propositum.

Quod et confirmatur tum ex appellatione, qua Jeremias c. 23. Christum nuncupaverat juxta Hebraicam lectionem, inquiens de eo, quod futurus esset *justitia nostra*; tum ex verbis Apostoli ep. 1. ad Cor. c. 1., ajentis de eodem, quod *factus est nobis Sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* Idem autem dictu est, quod Christus est justitia, et sanctificatio nostra, quodque omnis justitiae, et sanctificationis sit origo, et principium, ideoque ipsa justitia, et sanctitas: per quam intelligi nequit, nisi ipsa sanctitas Dei Verbi, ideoque naturalis, et substantialis: Rursum ergo haec de Christo praedicanda est.

Prob. 2.° ex Patribus; ex quibus ita primum D. Dionysius Alex. in ep. Synodica ad Paulum Samosatenum: *Ob id apparet, quod Christus magna puritate, et justitia incomparabili Joanni antecelleret, quia in Joanne erat opus, et labor justitiae, in Jesu vero natura.* Item D. Cyrillus Alex. l. 11. in Jo. c. 9. *Sanctum est quodcumque cernitur a Mundi sordibus immune, quod quidem est in Christo naturaliter, sicut in Patre; adscititium vero, et adventitium in Sanctis Discipulis, sanctificatione nimirum per gratiam.* Quod et confirmat c. 10., Christum, inquiens, non esse sanctum participatione, nec alienam a sua substantia sanctificationem habere. Caeterisque omissis, ita demum D. Aug. in Enchir. c. 40. *Ipse Filius Dei, qui filius hominis, et filius hominis, qui Filius Dei; ac si naturae humanae susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis.*

Prob. 3.° triplici ratione, 1.° enim quia ex ostensis contra Nestorium unica est in Christo persona, atque haec Dei Verbi, nemo non videt, ejus humanitatem ipsa Verbi Sanctitate coruscare debuisse, idem namque est, fuisse unitam personaliter Verbo, ac fuisse personaliter sanctam. Haec autem personalis Sanctitas Verbi naturalis est, et substantialis: Et Christi humanitatem igitur naturaliter, et substantialiter fuisse sanctam, consequens est. 2.° quia an non quidquid amitti nequit, et ad naturalem rei conditionem pertinet, substantiale, et naturale est

dicendum? Nonne enim aliud significat aliquid rei convenire accidentaliter, quam quod ita illi convenire, ut amitti possit? Ac nonne item quidquid ad naturalem rei conditionem non pertinet, aliter illi, quam naturaliter pertinet? Erat autem Christi sanctitas et inamisibilis, et ad naturalem ejus conditionem, seu dignitatem pertinens: Rursum ergo substantialis, et naturalis dicenda. 3.º demum ob hypostaticam humanitatis unionem cum Verbo est Christus, etiam ut homo, Filius Dei naturalis. Idem autem dictu est, quod natura est Filius, quodque naturalem, et substantialem sanctitatem habeat: Hanc igitur praedicandam de eo esse, magis, magisque perspicuum est.

Nec obstat quod diximus *c.* 5 *prop.* 10., Divina scilicet Omnipotentiae, Æeternitatis, et Immensitatis Attributa ejus humanitati nec fuisse communicata, nec communicari potuisse ex hypostatica ejus unione cum Persona Dei Verbi. Neque igitur naturalem, ac substantialem Verbi sanctitatem communicatam illi fuisse, dicendum est. Resp. eum neg. cons.; quia enim Natura humana limitibus circumscribitur, nec Omnipotentiae idcirco, nec Æternitatis, nec Immensitatis est capax. At non item sanctitatis ipsius Verbi, tum quia hoc ipso quod capax, ut ejus hypostasi subsisteret, ipsius quoque sanctitatis capax diceuda est; tum quia ambo unum idemque significant, nec unum ab altero distinguitur, quomodo enim, nisi ipsa Verbi sanctitate fulgeret, ipsi tamen Verbo hypostatice unita concipi posset?

Prop. II. Praedicanda item de Christo est plenitudo gratiae habitualis cum comitatu omnium virtutum, illis exceptis, quae cum intuitiva Dei visione pugnant, vel peccatum supponunt; nec non cum comitatu omnium donorum Spiritus Sancti, exceptis quoque imperfectionibus, cum quibus in nobis deprehenduntur. Est de fide quoad dona Spiritus Sancti, utpote quae aperte Scriptura tradit in Christo mansisse: in caeteris vero ita communis Catholicorum doctrina, Scripturae, et Patrum auctoritate suffulta.

Prob. 1. pars. Plenum namque fuisse gratiae, conceptis verbis testatur Joannes c. 1.; addens quoque ibidem, quod *de plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Gratia autem, de qua loquitur, dici nequit illa, de qua supra diximus, naturalis scilicet, et substantialis, tum quia eam distinguit ab ea, qua Verbum caro factum est, ideoque a gratia unionis cum Verbo, tum quia subdit, de

ejus plenitudine nos quoque accipere, nec proinde esse potest, nisi habitualis, quae ipsius meritorum intuitu in cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffunditur: Praeter gratiam ergo naturalem, et substantialem habitualis quoque gratiae plenitudo de eo praedicanda est.

Prob. 2. pars ex eo quod ejus humanitati tribuendum est quidquid perfectionis poterat suscipere, et Incarnationis finibus non adversabatur. Ergo et omnium virtutum comitatus tribui illi debet; illis exceptis, quae cum intuitiva Dei visione pugnant, non enim 1.° vel fides, vel spes sunt ipsi tribuendae, tum quia utraque pugnat cum intuitiva Dei visione, qua a primo ipsius ortu fruita est; tum quia melius est possidere, quam sperare, et videre facie ad faciem, quam in speculo, et in aenigmate. Quod si per Regium Psaltem dixerat Ps. 15. *Caro mea requiescet in spe*, qua nempe sperabat resurrectionem, et gloriam sui corporis, eam sperabat, seu expectabat, ut rem certo futuram, non autem spe theologica; hujus enim primarium objectum est Deus per visionem beatificam possidendus, qua Christus a primo ipsius ortu jam fruebatur. 2.° neque etiam tribuendae eidem sunt virtutes illae morales, quae vel ad depellendas ignorantiae tenebras, vel ad coercendos concupiscentiae stimulos dantur, cum nulla in eo fuerit ex ostensis vel ignorantia, vel concupiscentia; sicut neque poenitentia, quatenus est pravi consilii mutatio, et de propriis peccatis dolor, et detestatio, cum nulla in eo fuerit peccati labes. Nec demum tribuendae illi sunt virtutes ullae acquisitae hoc sensu, quod aliquas virtutes repetitione actuum comparaverit, cum omnes a primo ipsius ortu habuerit infusas.

Prob. vero 3. pars tum ex ratione supra allata, tum ex vaticinio, quod de eo ediderat Isaias c. 11. *Requiescet* (inquiens) *super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiae, et pietatis; et replebit eum spiritus timoris Domini.* Exceptis tamen, ut diximus, imperfectionibus, cum quibus spiritus Sancti dona in nobis deprehenduntur, non enim donum consilii in eo erat, ut in nobis, cum animo ancipiti, et per aliquod tempus deliberante, sed quatenus infert rectum de agendis judicium; nec donum timoris vel cum poenae formidine, vel cum salutis futurae incertitudine; sed filialis, castus, reverentialis, qualis est quoque in Sanctis Deo aperte

fruentibus, et quatenus ex charitate, reverentia, et obsequio erga Deum oritur.

Prop. III. Praedicanda demum de Christo est, praeter supra dicta gratiarum, et donorum ornamenta, gratia etiam actualis; nec non illarum gratiarum copia, quae gratis datae appellantur. Ita quoque communiter.

Prob. Quoad 1.m enim, quemadmodum nequit elici ullus actus naturalis sine naturali Dei concursu, ita nec ullus actus supernaturalis elici potest sine Dei concursu supernaturali. Quod cum ita sit, agnoscendus quoque in Christo est supernaturalis, et specialis hujusmodi concursus cum ipsius intellectu, et voluntate, ideoque gratia actualis: Patet ergo propositum. Qua super re advertendum tantum cum Tournelio, quod gratia actualis in Christo operans dumtaxat, et cooperans fuit ob allatam rationem, non tamen excitans, quae nos quasi sopitos ad bonum excitat, hac quippe gratia Christus non eguit, ad optima quaeque semper vigil, et erectus, ac nulla difficultate, obice nullo retardatus.

Quoad alterum vero, jam non semel diximus, tribuendas Christi humanitati esse omnes perfectiones, quas suscipere poterat, atque Incarnationis finibus non adversabantur. Ejusmodi autem sunt gratiae, quae vocantur gratis datae, et quas Apostolus memorat 1. ad Cor. c. 12. *Unicuique* (inquiens) *datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae secundum eumdem spiritum. Alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum in uno spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum*: quae item Incarnationis finibus apprime respondebant. Iis ergo Christi humanitatem quoque fulsisse, consequens est.

CAPUT VII.

De Christi satisfactione.

Licet quotquot haeretici Christi Divinitatem negare ausi sunt, ejus quoque satisfactionum dogma eo ipso impetierint, quod ejus operibus infinitum valorem detraxerint; licet illud impetierint etiam Pelagiani, in eo totum Christi Missionis fructum reponendo, quod viam salutis

exemplis, praeceptisque nobis monstravit, quin ulla interioris gratiae auxilia nobis meruerit: omnium tamen maxime illud aggressi sunt Sociniani, audacter ajentes, neque Christum pro nobis satisfecisse, neque ullatenus necessarias fuisse ejus satisfactiones, cum omnino gratis decreverit Deus poenitentibus peccata dimittere, prorsusque gratis illa poenitentibus reapse dimiserit, et dimittat. Ita Socinus *l.* 1. *de Servatore Christo c.* 1., Crellius *l.* 1. *de Satisfact. Christi*, Volkelius *l.* 5. *de vera Relig. c.* 22., etc. Ut tamen omnium haereticorum more incautos deciperent, apertisque Scripturarum hac super re testimoniis contradicere non viderentur, haec metaphorice accipienda esse, docent; ajuntque, Christum pro nobis satisfecisse, quia illas omnes conditiones adimplevit, quibus Deus gratuitam nostrorum delictorum veniam alligaverat; ideoque etiam appellari Redemptorem nostrum, non ob pretium nostrae Redemptionis persolutum, sed quia nos praefato modo a perditione liberavit: item pro nobis passum, et mortuum esse, quia ut nobis daret fortitudinis, et patientiae exempla, doctrinamque traditam confirmaret, passionibus, et morti se subjecit: Sacerdotis demum, ac Mediatoris functum esse muneribus, eo quod Dei mandatorum apud homines interpres fuit; et advocatum apud Deum agens, pro nobis intercesserit, etiamque intercedat.

Contra eos tamen docet fides catholica, vere et proprie pro nobis Christum satisfecisse, ac Redemptorem nostrum appellari, quoniam cum essemus per peccatum sub Daemonis captivitate, aeternisque suppliciis addicti, condignam Divinae ultrici Justitiae satisfactionem pro nobis exhibuit, et pretium nostrae Redemptionis solvit: pro nobis passum, et mortuum esse, quia vice, et loco nostro, ac per veram substitutionem, et subrogationem, tamquam sponsor noster, qui debita nostra in se transtulit, cruciatus omnes, quos sustinuit, acerbamque Crucis necem oppetiit: Sacerdotis demum, ac Mediatoris functum esse muneribus, quia super lignum Crucis omnium nostrum iniquitates perferens, ac poenas illis debitas luens, seipsum Deo Patri hostiam, et sacrificium expiationis pro nobis obtulit, eique nos per passionem, et mortem suam reconciliavit.

Ut autem eo, quo par est, ordine res agatur, in quatuor paragraphos totum hoc caput dispescimus; in quorum primo de necessitate satisfactionis Christi, in al-

tero de ejus veritate, in tertio de ejus ad strictos juris apices perfectione, in quarto demum de Christi Sacerdotio, nec non de munere Mediatoris, quo perfunctus fuit, loquemur. Sit igitur

§. I.

De necessitate satisfactionis Christi.

Absoluta necessitate compulsum fuisse Deum, ut Incarnationem Verbi decerneret, et hominem a perditione redimeret, blasphemavit Joannes Wiclefus *in Trialogo*, quemadmodum etiam videre est apud Bossuetium *l.* 11. *De Variat. n.* 152. . Cum tamen in operibus ad extra plenissima Deum libertate frui, demonstraverimus *l.* 2. *tract.* 12. *c.* 2. *prop.* 1., hic tantum adversus eum sufficiat, quod Incarnatio fuit opus ad extra, quodque idcirco, liberum Deo fuisse, consequens est. Fueritne autem absolute necessarium, supposito hominis lapsu, ac libero ejus reparationis Decreto, Verbum carnem fieri, ejusdemque Redemptionis pretium persolvere, propterea quod absque condigna satisfactione Deo exhibita, non sinebat incommutabilis ejus justitiae aequitas, ut homini parceret, eumque salvum faceret, existimarunt nonnulli; quos inter ex veteribus Richardus Victorin. *c.* 8. *De Incarn.*, et ex recentioribus Honoratus Tourn. *qu.* 4. *de Inc. concl.* 4., patronum uterque sibi adsciscens D. Anselmum in libris *Cur Deus homo.* Communis tamen TT. sententia docet, congruum quidem fuisse, ut hominem lapsum per condignam satisfactionem ipsi exhibitam Deus redimeret, non tamen absolute necessarium, quia utique poterat, salva ipsius Justitia, quemadmodum hominem non redimere, ita offensam ejus Majestati illatam liberaliter illi condonare.

Quidnam autem per condignam satisfactionem intelligatur, breviter praemittendum est: scilicet *redditio voluntaria, et libera honoris, et reverentiae aequivalentis ex propriis, et alias indebitis ad compensandam injuriam alicui illatam.* Utque probe intelligatur, singulas definitionis partes expendamus: *Redditio*, utpote actus justitiae ad alterum, debitumque connotans. *Voluntaria, et libera*, tum quia nonnisi per actum voluntarium, et liberum compensari potest offensa per actum quoque vo-

luntarium, et liberum illata; tum quia absque voluntaria, et libera submissione illius, qui offensam intulit, nequit ulla satisfactio concipi; tum quia omnis virtutis actus voluntarius, et liber esse debet, estque satisfactio actus virtutis justitiae. *Honoris, ac reverentiae aequivalentis*, quia, ut satisfactio sit condigna, seu perfecta, necesse est, ut inter offensam illatam, et id, quod datur in satisfactionem, aequalitas arithmetica secundum aestimationem, et appretiationem intercedat, ita ut non sufficiat, quod is, qui offensam intulit, satisfaciat tantum ad aequalitatem geometricam, seu juxta suas vires, et quantum potest. *Et propriis, et alias indebitis*, quisnam enim satisfacere potest ex iis, in quae jus, seu dominium non habeat, vel ex alio titulo debeat? *Ad compensandam injuriam alicui illatam*, hinc enim satisfactio differt a merito, cujus finis est alicujus praemii consecutio; sicut etiam differt a restitutione, cujus finis est alterius in bonis fortunae indemnitas. Quibus praemissis, sit.

Prop. I. Nec in hypothesi hominis lapsi, nec in hypothesi ipsius reparationis necessarium fuit, quod pro eo Deus homo satisfaceret: utique tamen fuit necessarium in hypothesi condignae satisfactionis Deo exhibendae; per quam etiam congruum fuit, ut homo repararetur.

Prob. 1. pars; quam ut certam habendam esse, docet Suaresius *in* 3. *S. Th. Disp.* 4. *sect.* 1., necessarium nempe non fuisse, quod a malo culpae, et poenae, in quod homo inciderat, liberaretur; idque prob. 1.° ex Scripturis, quae et Incarnationis, et Redemptionis opus plane gratuitum, et merae Dei Bonitatis, ac Misericordiae foetum fuisse praedicant, ut Sap. 12., ubi: *O quam bonus, et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus: . . His tamquam hominibus pepercisti . . semen enim erat maledictum ab initio . . . Quis imputabit tibi, si perierint nationes, quas tu fecisti?* Item Isaiae 54. *In Misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit Redemptor tuus Dominus.* Et ad Rom. 11. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per Redemptionem, quae est in Christo Iesu.* Et ad Eph. 2. *Deus, qui dives est in Misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit in Christo, cujus gratia estis salvati, ut ostenderet divitias gratiae suae in bonitate super nos in*

Christo Iesu; gratia enim estis salvati. Et ad Titum 5. *Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum Misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam.* Ejusmodi autem non fuisset, si ad illud Deus necessitate compulsus esset: Patet ergo propositum.

2.° ex disertissimis D. Aug. verbis l. de nat., et gr. c. 5., ubi: *Universa massa poenas debet, et si omnibus damnationis supplicium redderetur, non injuste procul dubio redderetur... Quis igitur usque adeo dementissime insaniat, ut non agat ineffabiles gratias misericordiae quos voluit liberantis, qui recte nullo modo posset culpare justitiam universos omnino damnantis?*

3.° demum multiplici ratione, nonne enim hominis Redemptio opus ad extra? Omne autem ejusmodi opus est Deo liberum: Et liberum ergo, quod hominem perditum redimeret. Item nonne homo libere peccaverat? Nulla ergo in Deum imperfectio, vel indecentia resultasset, si eum in suo lapsu reliquisset. Item quaenam perspicitur necessaria connexio inter hominis lapsum, et voluntatem in Deo illum reparandi? Non ergo necessario, sed libere, et ex mera bonitate eum reparasse, est dicendum. Quibus demum accedit, quod ita potuisset Deus hominem in suo lapsu relinquere, quemadmodum in suo reliquit lapsu Angelos, qui ab eo recesserant. Hos autem in suo lapsu reliquisse, fide constat: Et in eo igitur hominem relinquere poterat.

Nec obstat quod ait D. Athan. De Incarn. Verbi Dei n. 6 *Indecorum, ac Divina bonitate indignum prorsus erat, res a Deo factas ob fraudem, qua homines Diabolus circumvenit, destrui... Satius erat eos omnino non fieri, quam factos negligi, et interire.* Quibus similia habet quoque D. Anselmus l. 1. Cur Deus homo c. 4. *Non decebat* (inquiens), *ut quod Deus de homine proposuerat, penitus annihilaretur, nec idem ejus propositum ad effectum duci poterat, nisi genus humanum ab ipso Creatore suo liberaretur.* Resp. enim 1.° cum Suaresio l. cit. sect. 2., utrumque id dixisse de majori quadam decentia, et congruentia, eamque *per exaggerationem, et figuram* perinde expressisse, ac si ejus oppositum quid *indecorum*, atque *indignum* fuisset; ut patet quoad D. Athan. ex eo quod id dixerit *satius*; quoad D. Anselmum vero ex ejus verbis l. 2. c. 5.,

quod nihil Deus necessitate facit, *et bonitate sua hominem creando sponte, se, ut perficeret incoeptum bonum, quasi obligavit.* 2.° utrumque etiam locutum fuisse de necessitate consequente, liberum scilicet reparandi hominis Decretum; ut patet quoad D. Anselmum ex ipsis ejus verbis.

Prob. 2. pars; quod scilicet neque etiam in hypothesi reparationis hominis necessarium fuit, quod pro eo Deus homo satisfaceret; idque etiam Suaresius l. cit., tamquam certum, definit, ita *ut negari non possit sine temeritate, et aliquo fidei incommodo.* Probatur autem 1.° ex Scripturis, ex quibus nihil, quod manifeste non repugnet, detrahendum Dei Omnipotentiae est. Non est autem manifeste repugnans, quod Deus citra condignam satisfactionem ei exhibitam veniam homini concessisset, vel gratis peccatum ei condonando, vel quamcumque acceptando satisfactionem, licet non condignam: Patet ergo propositum.

Ait hic quidem Tournelius, quod quum dicitur, non potuisse Deum absque condigna satisfactione ei exhibita homini veniam concedere, id tantum dicitur de ejus potentia ordinaria, quae nempe ab ejus Justitia non abstrahit, at non item de ejus potentia extraordinaria, quae nempe abstrahit ab ejus Justitia. Quod cum ita sit, nihil prorsus ejus Omnipotentiae detrahitur, dicendo, quod, salva ejus Justitia, non poterat absque condigna satisfactione ei exhibita homini veniam concedere, multa enim Deus nequit efficere potentia ordinaria, quae tamen posset potentia extraordinaria efficere: Nullius ergo roboris allatum supra argumentum.

Sed resp. neg. sequ. min.; cum enim Deus negare seipsum non possit, ideoque nullatenus possit, quod vel minimum suis perfectionibus adversetur, per ejus potentiam extraordinariam idcirco non illa intelligenda est, quae abstrahit ab ejus Attributis, sed quae abstrahit ab ejus immutabilibus Decretis; ideoque nec ordinaria, nec extraordinaria potentia potuisset homini absque condigna satisfactione ei exhibita Deus veniam concedere, si id vel minimum ejus justitiae adversaretur.

2.° ex Patribus; pro quibus sufficiant D. Athan. Or. 2. contra Arian., ubi: *Etiam sine ullo ejus adventu poterat Deus tantummodo dicere, et ita solvere maledictionem. Verum attendere oportet, quid sit homini-*

bus utile, non autem quid in omnibus possit Deus. Item D. Greg. Nazianz. or. 9. *Haec* (inquiens) *Salvator fecit; idque cum voluntate sola nobis, utpote Deus, salutem afferre posset, quemadmodum et universam rerum machinam solo jussu, atque imperio procreavit.* Item D. Cyrillus Alex. ap. Euthymium tit. 13. *Ne corpore quidem* (inquiens) *indiguit Deus Verbum, cum nulla re egeat, et solo jussu potuit salutem nostram peragere.* Demum D. Aug. l. De Agone Christiano c. 11. *Sunt stulti, qui dicunt: Non poterat aliter Sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, et a peccatoribus omnia illa pateretur. Quibus dicimus: Poterat omnino.*

3.° quia in eo non consistit Dei Justitia, quod teneatur a peccatore illatae ei offensae proportionatas poenas repetere, sed quod eas absque injustitiae labe repetere queat. Et sane quisnam injustitiae aliquem arguet, eo quod absque ulla satisfactione illi exhibita ejus offensori parcat? Quod cum ita sit, en quod Deus absque ulla injustitiae labe poterat quoque homini peccatori veniam, et gratiam concedere, quin ab eo condignam satisfactionem exigeret; utpote quod efficiens, non expressisset quidem suam justitiam, at eam non negasset; simulque expressisset alias ejus perfectiones, puta Misericordiam, Bonitatem, ipsamque Sanctitatem, quatenus illi quidem pepercisset absque condignâ satisfactione ipsi exhibita, sed nonnisi per suam gratiam ad se converso: Rursum ergo patet propositum. Accedit, quod nonne, salvis suae justitiae juribus, potuit Deus tali amore, ac dilectione peccatores prosequi, ut Filium suum ad satisfaciendum pro illis mitteret, ejusque satisfactiones ex mero beneplacito illorum loco acceptaret? Eos autem gratis condonare fuisset profecto beneficium multo inferius: A fortiori igitur iisdem gratis condonare potuisset. Quibus accedit, quod sicut per injuriam is constituitur debitor, qui injuriam infert, non qui eam recipit, ita per eamdem nulla Iudici Supremo accedere potest ratio debiti, per quam teneatur de culpa vindictam sumere, ad id enim tenentur alii Judices, quia Superiorum leges custodire debent, aliorumque offensas ulcisci: itemque accedit, quod verum quidem est, Deum necessario odio habere peccatum, at non item verum, ex odio necessario consequi vindictam, si id, quod odio habetur, possit

sine vindicta deleri. Quibus perpensis, adhaeremus Vasquesio 1. *p. disp.* 85. *c.* 4., Suaresio *opusc. de Iust. sect.* 5., Bertio *l.* 28. *De Theol. Discipl c* 3., aliisque, negantibus, quod Justitia vindex sit de numero Attributorum Divinorum, ac de conceptu essentiali Divinitatis, ita ut nequeat Deus male agentibus debitam poenam non retribuere; cum enim Deus sit Supremus Dominus sub nullo Iudice constitutus, negari illi nequit, quod liberam poenas condonandi potestatem habeat.

Objicitur quidem 1.° auctoritas multorum Patrum, 2.° quod sicut Deus naturae necessitate est Sanctus, ita etiam naturae necessitate tum peccatum, tum peccatorem odio habet. Quod cum ita sit, veniam illi, et gratiam dare non poterat, quin condigna pro peccato satisfactio ei esset exhibita. 3.° quod nequit sibi Deus denegare, quod ex justitia sibimet debet. Sibi autem ex justitia debet, ut condignam de peccato satisfactionem exigat. 4.° quod nonne injustus esset Iudex, qui scelus impunitum dimitteret? Ergo et Deus liberaliter peccatum homini dimittens.

Resp. tamen quoad 1.m, de praesenti rerum ordine Patres locutos esse; idque solum significasse, quod cum poenas peccato debitas Deus repetere ab aeterno decreverit, ut ex Scripturis infra demonstrabimus, posita idcirco hac lege, profecto non poterat citra condignam satisfactionem illi exhibitam peccatum homini dimittere, quin suam immutabilitatem laederet. Quoad 2.m dist. maj.; naturae scilicet necessitate tum peccatum, tum peccatorem Deum odio habere, hunc tamen, quatenus peccatorem, non vero quatenus ejus manuum opus, ac Divinae ejus gratiae adhuc susceptibilem; quidnam enim peccator sub hoc respectu, nisi ejus creatura, quam tali amore, ac dilectione prosequi potuit, ut pro eo ipsum ejus Filium traderet? Quid clarius, quam quod si Deus, ut hominem lapsum salvum faceret, Filium suum misit, illum profecto nec naturae necessitate odit sub omni respectu, nec odium necessarium, quo peccatum, ipsumque peccatorem, ut peccatorem, prosequitur, necessariam cum condigna satisfactione repetenda connexionem absolute habet? Quoad 3.m, neg. min.; licet enim potuerit Deus condignam pro peccato satisfactionem poscere, ideoque homini per se impari ad illam reddendam non parcere, quare in Scripturis semper ac sermo fit de Redemptionis

opere, de opere sermo fit prorsus gratuito, quodque unice agnoscendum est a Dei Misericordia, et pietate: falsum tamen est, ex justitia sibi Deum debere, ut condignam pro peccato satisfactionem poscat, cum id tantum sibi Deus debeat extra se agendo, ut nihil agat, quod alicui ejus Attributo vel minimum adversetur, quodque aliquod ex ejus Attributis in aliquo gradu non manifestet; jamque vidimus, quod si Deus voluisset homini lapso veniam, et gratiam concedere, quin condignam pro peccato satisfactionem posceret, nec ulli ejus Attributo se opposuisset, nec alias ejus perfectiones desiisset patefacere. Quoad 4.m neg. cons.; cum enim Deus sit suamet Iustitia, nec summa ejus Iustitia sit alteri subjecta, nulli proinde factus esset debitor remittendo absque condigna satisfactione ipsi exhibita illatam sibi iniuriam. Ubinam ergo paritas cum Iudice in humanis, qui si scelus impunitum dimitteret, justitiae Dei subjiceretur?

Prob. 3. pars, nullam scilicet creaturam quantavis gratia praeditam potuisse condigne pro quovis peccato lethali satisfacere; ideoque in hypothesi condignae satisfactionis Deo exhibendae, necessarium fuisse, quod pro eo Deus homo satisfaceret. Diximus *quantavis gratia praeditam*, de fide enim est contra Pelagianos, puram creaturam sibi relictam nullatenus satisfacere posse pro quovis peccato, licet veniali. Diximus quoque *pro peccato lethali*, secus enim de veniali disserendum esse, ex infra dicendis patebit. His vero positis, contradicunt quidem Scotistae, ajentes, quod cum peccati lethalis malitia objective tantum sit infinita, entitative tamen, etiamque in genere moris finita, secus namque sicut repugnat infinitum infinito majus, ita repugnaret peccatum altero majus, sed omnia peccata essent aequalia; purus proinde homo gratiae donis instructus utique potuisset ex absoluta Dei potentia, et per extraordinariam ejus dispositionem condignam pro peccato, immo pro peccatis totius generis humani satisfactionem reddere. Nos tamen adhaerentes Thomistis, qui illis e diametro adversantur, probamus assertum

1.° ex Scripturis; ait namque Apostolus 2. ad Tim. c. 5., nedum quod Christus Jesus est *Mediator Dei, et hominum*, verum etiam, quod *unus est Mediator Dei, et hominum*. Idem autem dictu est, quod Christo tantum competit, ut sit Mediator Dei, et hominum, quodque

nemo praeter eum Dei, hominumque Mediator esse poterat: Patet ergo propositum. Item ad Eph. c. 2., quod *ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum*; quia nempe Naturam Divinam, et humanam in unitatem personae assumpsit. Id autem nulli purae creaturae quantavis gratia praeditae convenire posse, nemo est, qui non videat: Neque ergo ulli purae creaturae quantavis gratia praeditae convenire potuisse, ut nos Deo reconciliaret, consequens est. Item ad Heb. c. 7., quod ideo nobis est Pontifex, quia *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior Coelis factus*. Et haec autem cuivis purae creaturae quantavis gratia praeditae convenire non posse, manifestum est; quisnam enim vel segregatam a peccatoribus Naturam dicet per se defectibilem, cujusmodi est quaevis pura creatura, vel excelsiorem Coelis eam, quae de numero caeterarum rerum creatarum sit? Neque ergo puram creaturam quantavis gratia praeditam Sacrificium potuisse offerre, quo Deum nobis placatum redderet, est dicendum. Ad quod demum ex Sacris Litteris refertur, quod Regius Psaltes dixerat Ps. 46. illis verbis: *Frater non redimit, redimet homo; non dabit Deo placationem suam, et pretium redemptionis animae suae*. In quae ita praeclare D. Basilius: *Neque enim fratrem in redemptionem quaerit, sed unum aliquem, qui nostram exsuperet naturam. Non item hominem nudum, sed hominem Deum Jesum Christum, qui solus pro nobis omnibus Deo propitiationem dare poterat*. Quae de praesenti rerum ordine interpretari quia gratis omnino esset, satius dicendum videtur, quod in hypothesi condignae satisfactionis Deo exhibendae nec etiam per extraordinariam Dei potentiam fieri poterat, quod pura creatura quantavis gratia praedita par esset condigne pro peccato lethali satisfacere.

2.° ex Patribus; accedit namque D. Irenaeus l. 3. c. 18. *Nisi homo* (inquiens) *conjunctus fuisset Deo, non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis*. Et c. 20. *Oportebat, Mediatorem Dei, et hominum per suam cum utroque propinquitatem ambos in amicitiam, et concordiam adducere*. Item D. Athan. or. 3. contra Arian. *Nisi* (inquiens), *quae propria sunt carnis, Verbi esse dicerentur, ab his homo non penitus fuisset liberatus*. Et l. De Nat. hum. suscepta: *Mediatoris partibus functus est inter Deum, et homines, quia non solum homo, sed etiam Deus*. Item D. Aug. ser. 14. de Temp. *Transgres-*

sio (inquiens) *primi hominis totum deceperat Mundum, ut nullum esset salutis remedium, nisi Christus adveniret e Coelo.* Item D. Cyrillus Alex. Dial. De Incarn, *Apprehendit* (inquiens) *Deus semen Abrahae, sicut scriptum est; ita enim, et non aliter, genus ad perniciem devolutum instaurandum erat.* Ac ita demum, praeterinissis caeteris, D. Leo Magnus ser. 1. De. Pass. Dom. *Talibus* (inquiens) *vinculis tenebamur obstricti, ut nisi per hanc opem non possemus absolvi.*

3.° ex ratione, eaque multiplici; est enim 1.° cujusvis Mediatoris proprium, ut extremorum, inter quae mediare debet, naturam habeat: *Mediator* (ita apposite D. Chrysost. in ep. 1. ad Tim.) *cum ambobus commune aliquod habere debet, quorum mediator est. Quod si unum quidem propinquitate contingat, ab altero vero distractus sit, non jam Mediator est.* Non ergo, nisi Deus homo, Mediator Dei, et hominum esse poterat. 2.° quia nemo poterat se offerre, ut sanguinem pro hominibus funderet, nisi qui potestatem in propriam vitam haberet. Soli ergo Deo homini, qui ejusmodi potestatem in vitam humanam a se assumptam haberet, potestas quoque inerat se offerendi, ut sanguinem pro hominibus funderet. 3.° quia quidquid creatura quaelibet ex suo penu habet, vel elicit, nequit illud umquam in jus suum vindicare, cum omnia ex liberalitate Creatoris habeat, et eliciat, cui idcirco adeo omnia referuntur, ut ea, tamquam Supremus omnium Dominus, sibi supremo jure vindicet. Quantavis ergo gratia quaevis creatura esset praedita, numquam tamen habere poterat, quod Deo solveret ex propriis, et ex alias indebitis, ideoque illi condignam pro peccato satisfactionem redderet. 4.° quia per peccatum lethale non minus, quam poena absque fine duratura, a Deo Optimo, et Justissimo infligitur; quare et illi debetur. Nulla ergo temporalis poena, et quae finibus circumscripta esset, cujusmodi fuisset satisfactio a quavis pura creatura reddita, illam expiare poterat. 5.° demum, quia omne peccatum lethale *habet quamdam infinitatem* (ut ait D. Thomas 3. p. qu. 1. art. 2. ad 2.) *ex infinitate Divinae Majestatis, tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur.* Et sane sicut dubitari nequit peccatum secundum entitatem esse finitum; ita non videtur dubitandi locus, quod secundum malitiam sit infinitum, quippe quod contemptus Divinae Majestatis,

cui nihil comparari potest ; et , qua idcirco perspecta , ut inde infert D. Anselmus *l.* 1. *Cur Deus homo c.* 21., nemini illud patrare liceret, quamvis Universi moles rueret, atque in nihilum redigeretur. Nulla ergo finiti valoris satisfactio , cujusmodi etiam fuisset satisfactio a quavis pura creatura reddita , illius malitiam exaequare , et exhaurire poterat.

Objic. quidem 1.° , quod si lethalis peccati malitia esset moraliter infinita ex infinitate Divinae Majestatis , ipsa etiam malitia peccati venialis dicenda esset moraliter infinita. Hoc falsum: Et illud igitur. 2.° quod si lethalis peccati malitia esset infinita , in hoc casu quemadmodum repugnat infinitum infinito majus , ita repugnaret peccatum peccato majus , sed omnia peccata essent aequalia. Hoc quoque falsum : Et falsum ergo quod lethalis peccati malitia sit infinita.

Sed resp. ad 1.m neg. sequ. maj. ; cum enim peccatum veniale , ut diximus *in tract. De pecc. act. c. I.*, consistat vel in violatione alicujus levis praecepti , vel in violatione alicujus praecepti gravis , sed in parva materia, vel tandem in violatione alicujus praecepti gravis , et in materia gravi , sed absque sufficienti voluntatis deliberatione , ideoque nequeat amicitiam inter Deum , et hominem solvere , quippe quod id genus peccata neque etiam amicitiam solvunt hominem inter , et hominem : peccatum veniale idcirco haberi nequit absolute , velut Dei offensa, sed tantum , velut aliquid inconveniens , et Deo displicens , actus namque absolute offensivus amicitiam solvit , nec proinde ejus malitia dicenda est infinita. Hinc etiam cum non habeat infinitam gravitatem , commune item est apud DD. , posse justum pro eo ad aequalitatem satisfacere. Nec ideo satisfactio ad aequalitatem non est , quia non ex propriis , sed ex gratia ; ut enim disserit Suaresius *Disp.* 4. *qu.* 1. *art.* 2. *sect.* 9. , utique satisfieri potest ad aequalitatem ex bonis dono acceptis , dummodo accepta non fuerint post contractum debitum , et eo fine , ut istud deleretur. Sic ex. gr. nonne pecunia dono accepta solvitur quoque inter homines debitum aliunde proveniens ? Porro cum per peccatum veniale non amittatur gratia sanctificans , nec proinde haec conferatur post ejusdem venialis perpetrationem , habetur a pari , quod utique justus pro peccato veniali potest satisfacere ex propriis.

Ad alterum vero resp. neg. etiam sequ. maj. ; licet enim omnium peccatorum malitia sit aequalis , quatenus peccatum est Dei offensa ; alia tamen aliis sunt majora quoad malitiam petitam ex objecto , fine , et circumstantiis , quemadmodum loco cit. declaravimus ; gravius scilicet , quod longius a lege recedit , ut homicidium prae contumelia , perjurium prae mendacio , latrocinium prae furto ; gravius quod intensius , levius quod remissius a voluntate proficiscitur ; gravius quod a doctiore , levius quod ab ignaro perpetratur ; gravius in homine donis coelestibus cumulato , levius in eo , qui in tenebris vivit, pagano , infideli pure negativo , etc. Hinc etiam valor meritorum Christi , qui oriebatur ex objecto , et circumstantiis ipsius actuum , erat inaequalis pro ratione objecti , et circumstantiarum ; qui vero oriebatur a dignitate ipsius Personae , eratque infinitus , in omnibus ejus actibus aequalis erat.

Caeterum licet lethalis peccati malitia esset tum entitative , tum moraliter finita , nemo etiam praeter Deum hominem poterat satisfaciendo illius malitiam exaequare : 1.° enim nemini dubium esse potest , offensam , quae per peccatum Deo infertur , longe superiorem esse quavis offensa , quae cuivis purae creaturae inferri posset. Cum autem satisfactionis valor personae satisfacientis dignitati respondeat , pura idcirco creatura poterat quidem ad aequalitatem satisfacere pro offensa , quae illata esset alteri purae creaturae , non antem pro offensa , quae utpote Deo illata , superior proinde erat quavis alia , quae alteri purae creaturae inferri potuisset : Tametsi ergo lethalis peccati malitia esset tum entitative , tum moraliter finita , nemo etiam praeter Deum hominem poterat illius malitiam satisfaciendo exaequare. 2.° nonne quo major est dignitas personae offensae super dignitate personae satisfacientis , eo minor aestimatur satisfactionis valor ? Dignitas autem cujusvis purae creaturae ad Dei dignitatem se habet , velut finitum ad infinitum , quin proinde unius ad aliam ulla sit proportio : Et valor igitur sive actionum , sive passionum cujusvis purae creaturae aliter se non habet ad compensandam offensam Deo per peccatum illatam, quam velut finitum ad infinitum , quin in iis ulla umquam ad illam compensandam proportio habeatur. 3.° cum peccato lethali illud Dei jus laeditur, ut a suis creaturis obediatur , et ametur , quovis autem

actu bono, quem pura creatura eliciat, illud Deo reddatur, quod debitum est; majus proinde absque ulla comparatione est demeritum, quod peccato lethali contrahitur, quam sit meritum, quod quovis actu bono a pura creatura acquiratur: eo fere modo, quo in exhibendis obsequio, et amore proprio Principi debitis parum est meriti, dum e contrario in ipsum rebellio crimen est extremo supplicio puniendum. Hoc ipso autem quod majus absque comparatione est demeritum, quod peccato lethali contrahitur, quam sit meritum, quod quovis actu bono a pura creatura acquiratur, hoc ipso, inquam, patet, numquam dici posse pro quovis actu bono a pura creatura elicito, quod ipsa Deo satisfecerit ad aequalitatem pro peccato lethali: Rursum ergo, licet lethalis peccati malitia esset tum entitative, tum moraliter finita, nemo etiam, nisi Deus homo potuisset ad aequalitatem pro eo satisfacere.

Objic. quidem 1.°, quod sicut peccatum, ita actus charitatis Deum quoque pro objecto habet. Quod si ex infinitate Divinae Majestatis infinita objective est lethalis peccati malitia, ex eadem quoque infinita objective est actus charitatis bonitas: Per hunc ergo utique satisfieri poterat ad aequalitatem pro peccato lethali. 2.° quod quemadmodum peccatum lethale poena aeterna, ita charitatis actum praemium aeternum sequitur. Quod si tantum in actu charitatis habetur meriti, quantum demeriti habetur in peccato lethali, utique pro hoc satisfieri poterat ad aequalitatem per charitatis actum: Ita ergo rursum. 3.° nonne actu contritionis, et charitatis perfectae gratiam sanctificantem peccator consequitur? Si actus autem contritionis, et charitatis perfectae ad aequivalentem satisfactionem non esset sufficiens, neque etiam peccator consequi posset ejusmodi actu gratiam sanctificantem: Sufficiens igitur. Accedit, quod si debitor tantum creditori restituat, quantum ei abstulit, illi profecto ad juris apices satisfacit. Actum autem contritionis perfectae peccator eliciens tantum Deo reddit, quantum peccando illi abstulit, quemadmodum namque per peccatum a Deo se averterat, et ad creaturam conversus fuerat; ita per actum contritionis perfectae a creatura se avertit, et ad Deum convertitur: Habetur ergo in actu contritionis perfectae ad omnes juris apices satisfactio pro peccato lethali. Quibus etiam accedit, quod actu contritionis per-

fectae meretur peccator remissionem peccati, cumque hac infusionem gratiae habitualis, per quam efficitur de numero filiorum Dei, ipsiusque haeres. Ad tantum autem meriti culmen non perveniret per actum contritionis perfectae, nisi per eum condigne Deo satisfaceret; Condigne igitur per eum Deo satisfacere, est dicendum.

Resp. tamen 1.° omnia, quae objecta sunt, Christi satisfactiones supponere, tum quia quemnam valorem actus perfectae charitatis, et perfectae contrictionis haberent, nisi Christus pro nobis satisfecisset? Tum quia undenam gratia ad ejusmodi actus necessaria, nisi ex Christi satisfactionibus? Non ergo aliud, nisi mera petitio principii. Sed et resp.

Ad 1.m neg. cons.; cum enim, ut diximus, eo minor sit valor satisfactionis, quo major est dignitas personae offensae super dignitate personae satisfacientis, valor proinde actus charitatis nedum ab infinita objecti, ad quod refertur, dignitate infinitatem non haurit valoris in ratione operis satisfactorii, verum etiam inde sequitur, quod ad compensandam offensam Deo per peccatum illatam se habet, velut finitum ad infinitum.

Ad 2.m neg. sequ. min.; cum enim ad merendum de condigno vitam aeternam non requiratur actus, qui sit aequalis pretii cum praemio, sed tantum, quod homo in statu sanctificantis gratiae constitutus opus supernaturaliter bonum eliciat; idque quia meritum de condigno non tam fundatur in opere bono, quam in promissione Dei, qui aeternam mercedem ejusmodi operibus promisit; ad satisfactionem vero aequivalentem necesse sit, ut actus satisfactionis sit aequalis pretii cum gravitate offensae: licet proinde tantus sit valor charitatis in ratione operis meritorii, quantum est peccati lethalis demeritum, idem tamen dicendum de eo non est in ratione operis satisfactorii, sed dicendum potius, quod cum offensa, quae per peccatum Deo infertur longe superet omnem offensam, quae quocumque modo, et quocumque in statu cuivis creaturae irrogari potest, semper proinde ejus malitia superioris ordinis censenda est ad omnes purae creaturae satisfactiones.

Ad 3.m neg. etiam sequ. min.; gratiam namque sanctificantem peccator consequitur per actum contritionis, et charitatis perfectae in praesenti rerum ordine, et ex Dei liberalitate, non vero absolute, et quasi id esset

suapte natura, et ad ejusmodi effectum sufficiens. Ad id vero, quod additum est, resp. dist. min.; quod nempe actum contritionis perfectae peccator eliciens tantum Deo reddit, quantum peccando illi abstulit, spectata tantum injuria reali illi per peccatum illata; non tamen spectata injuria personali; cum enim duplex in peccato lethali distinguenda sit injuria, et quae nempe aestimatur ex offensa in se spectata, et quae aestimatur ab excellentia Dei, cui infertur, nemo non videt, quod tametsi post peccatum actum contritionis perfectae eliciens tantum Deo reddat, quantum ei abstulit, habita ratione injuriae realis, non tamen facta offendentis, offensique comparatione, et habita ratione injuriae personalis; sed sicut a Dei Majestate, ita ab expianda injuria ejus Majestati illata non minus, quam infinitis intervallis deprehenditur distans. Paullo aliter, Si in peccato adesset sola injuria realis, ad condignam pro eo satisfactionem sufficeret redditio cum aequalitate rei ad rem. At cum in eo adsit quoque injuria personalis, ad condignam pro eo satisfactionem requirebatur redditio cum aequalitate personae ad personam, idest redditio facta a persona aequali, cum numquam in restitutione honoris laesi habeatur aequalitas, nisi persona satisfaciens sit aequalis personae laesae, cui fit satisfactio. Praeterquamquod ipse contritionis actus, per quem peccator injuriam realem Deo illatam delet, ipsius Dei donum est, per quod peccator novo erga Deum beneficio obstringitur. Quaevis autem satisfactio, ut sit condigna, esse debet ex propriis: Neque igitur, ipsa spectata injuria reali per peccatum Deo illata, condigne Deo satisfieri per actum perfectae contritionis, consequens est. Nec magis habet roboris quod fuit superadditum, ad quod resp. dist. maj.; quod nempe cum Justificatio sit gratia, non corona, vel merces, per actum proinde contritionis perfectae meretur peccator remissionem peccatorum de congruo, non de condigno. Ac 2.° etiam neg. min., non enim eadem est merendi, ac satisfaciendi ratio, nam in merito attenditur praesertim Dei promissio, per quam dumtaxat fieri Deus poterat hominis debitor; in satisfactione vero attenditur personae offensae excellentia, ex quo sequitur, quod cum peccator infinito intervallo a Deo distet, eodem quoque intervallo quaevis satisfactio ipsi exhibita ab inhonoratione illi per peccatum illata distans dicenda est.

Prob. 4. pars, scilicet congruum maxime fuisse, ut per Christi satisfactiones homo repararetur. Congruum namque erat, ita eum reparari, ut in ejus reparatione eluceret simul Misericordia, et Iustitia; quo enim magis Divinae elucent perfectiones in aliquo opere ad extra, eo etiam illud praestantius est, et perfectius, ideoque et congruentius est dicendum. Ita autem hominis reparatio peracta est per Christi satisfactiones, impletumque in ea, quod Regius Psaltes praedixerat Ps. 84., *Misericordia, et veritas* (inquiens) *obviaverunt sibi, justitia, et pax osculatae sunt*; dum enim in ejus reparatione per meram offensae condonationem sola apparuisset Misericordia, et relaxatio debiti; in ejus reparatione per Christi satisfactiones Misericordia; et simul inflictio poenae apparuit, et quin a Justitia sejungeretur Misericordia, in ipsa Misericordia mirabiliter emicuit Justitia. Emicuit nempe Misericordia, quia ob suam Misericordiam Pater misit Filium suum, qui pro hominibus satisfaceret; ac simul emicuit Justitia, quia cum satisfacere non posset debitor, condignum pretium exegit a Filio. Eoque magis utraque emicuit, quia si Deus omnino gratis peccata condonasset, vel satisfactionem exegisset ab homine, quae ambo potuisset, utpote supremus omnium Dominus, minus quoque apparuisset Misericordia, quia non donasset hominibus proprium Filium; et minus quoque Justitia, quia condignam non exegisset, nec potuisset ab iis exigere satisfactionem. Patet ergo propositum. Cui accedit, quod dum in hominis reparatione per Christi satisfactiones mirabiliter emicuit *misericors, et justus Dominus*, apparuit simul quanta sit peccati gravitas, quantumque vitandum; *sine quo holocausto* (ait proinde Auctor de Cardinalibus Christi operibus inter D. Cypriani scripta ser. 14.) *poterat Deus tantum condonasse peccatum, sed facilitas veniae laxaret habenas peccatis effrenibus, quae etiam vix Christi cohibent passiones*. Sicut etiam apparuit, quibus dilectionis vinculis magis, magisque Deo obstringamur, revolventes animo, quod Deus ita nos *dilexit, ut Filium suum Unigenitum daret* (Jo. 3.), et *in eo poneret iniquitates omnium nostrum* (Is. 53.); hic vero cum *oblatus esset, vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, et livore ejus sanati sumus* (Is. ibid.)

Prop. II. Nonnisi per condignam satisfactionem de-

cretum ab aeterno fuerat, ut homo lapsus repararetur. Est de fide.

Prob. Et. 1.° ex Scripturis, ubi Micheae 7. illustre illud vaticinium legitur: *Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum Salvatorem meum, audiet me Deus meus. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, et faciat judicium meum.* Quibus similia ait quoque Christus passioni proximus, ut legitur Jo. 12. *Nunc judicium est Mundi; nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foras.* Quid autem clarius, habitis prae oculis praefatis duobus testimoniis inter se collatis, quam quod in hominum redemptionis negotio nedum vices offensi, sed et Judicis Deus gesserit? Hinc Christus suam, propriamque dicens hominum causam, ad hunc quoque modum Patrem alloquens Ps. 7. inducitur: *Judica me, Domine, secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me. Consumetur nequitia peccatorum.* Et Jer. Thr. 3. *Judicasti, Domine, causam animae meae; vidisti, Domine, iniquitatem illorum adversum me: judica judicium meum.* In quem locum ita Auctor Comment. inter opera Hieron. tom. 5. pag. 829. *Judicavit Dominus causam animae Christi, quando innocentis mortem pervenire fecit ad salutem generis humani.* Quibus perpensis, Deum nonnisi per condignam satisfactionem a Christo exhibendam hominem reparare voluisse, consequens est.

Huc quoque ex Sacris Litteris referuntur omnia earum testimonia, quibus docemur, severum Deum esse peccatorum, peccantiumque ultorem. Nedum enim primo homini comminatus fuerat mortem statim ac peccasset: *In quocumque die* (illi inquiens) *comederis ex eo, morte morieris,* ut legitur Gen. 2.; nedum *videns, quod multa malitia hominum esset in terra*, omnes, praeter Noe, ejusque familiam, ultricibus aquis submersit, ut legitur Gen. 6.; nedum Sodomitas propter eorum scelera flammis voravit, ut legitur Gen. 18.; verum etiam peccata semper se ulturum decrevisse, eaque ulturum, prout merentur, identidem Sacrae Litterae testantur; id namque significant Exodi 34. *Nullus apud te per se innocens est*, idest, ut in Hebraeo legitur: *Sontem impune non dimittes*. Id verba Levitici 26. *Sin autem audieritis me . . . ego incedam adversus vos in furore contrario . . . et abominabitur vos anima mea.* Ubi etiam pro peccatis hominum expiandis

passim Deus postulat, instituitque varia sacrificia, futurus alioquin scelerum ultor. Id Numerorum verba 14. *Nullum innoxium derelinques.* Id Deuteronomii verba 7. *Reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos, et ultra non differat, protinus eis restituens, quod merentur.* Id Regii Psaltis verba Ps. 5. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum, et dolosum abominabitur Dominus.* Et Ps. 93. *Deus ultionum Dominus.* Id verba Sapientiae 14. *Similiter odio sunt Deo impius, et impietas ejus.* Nec non verba Isaiae 10. *Vae Assur, virga furoris mei, et baculus ipse est: in manu eorum indignatio mea . . . adhuc enim paululum, modicumque, et consummabitur indignatio, et furor meus super scelus eorum.* Et Ieremiae 51. *Fortis ultor Dominus, reddens retribuet.* Et Nahum 1. *Deus aemulator, et ulciscens Dominus; ulciscens Dominus, et habens furorem . . . et mundans non faciet innocentem*; idest, ut supra: *Sontem impune non dimittet.* Quibus similia essent quoque alia sexcenta. Quod si peccata ulturum, eaque, prout merentur, ulturum ab aeterno docreverat, quid clarius, quam quod nonnisi per condignam satisfactionem decreverat quoque ab aeterno, ut homo lapsus repararetur? Ita igitur.

2.° ex Patribus, quorum testimonia produximus prop. ant. parte 3.

3.° ex dicendis §. sequ.; si enim Christus vere, et proprie pro nobis satisfecit, quemadmodum sequ. §. demonstrabimus, dicendum profecto, quod absque condigna satisfactione ei exhibita noluerit Deus hominibus peccata dimittere.

Allatis quidem Scripturarum testimoniis, quibus de Dei ira in peccatores docemur, objiciunt Sociniani, 1.° quod non semel quoque in Scripturis exhibetur Deus erga eos benevolus, eximiaque charitate eos prosequens; ait enim Ezech. 33. *Nolo mortem impii, sed ut convertatur.* Et c. 3. Jo. legitur: *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* Et Ap. ad Rom. 2. *Ignoras* (inquit), *quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit?* 2.°, quod nonne ante Christi adventum, ideoque absque Christi satisfactionibus salutem consecuti fuere Abel, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, aliique permulti, tametsi eos originali labe inquinatos dicamus? Nonne et Deut. 4., et Ps. 31., et Jer. 2.,

aliisque in locis et venia, et salus peccatoribus promittitur, sub conditione tantum, quod ingemiscant, et convertantur? Nonne aliud necesse fuit Ninivitis, ut eorum Deus misertus esset? Nulla ergo accepta satisfactione, sed per solam poenitentiam Deum peccata condonaturum decrevisse, dicendum est.

Resp. tamen quoad 1.m, nihil aliud inde sequi, quam quod Deus, ut ait Regius Psaltes Ps. 76. in ipsa ira sua *Misericordias continet*; utque ait Habacuc c. 3., etiam *cum iratus fuerit*, *Misericordiae recordatur*. Quoad alterum vero, salutem quidem permultos assecutos esse ante Christi adventum; at nonnisi per virtutem futurae Christi Passionis, ejusque meritorum intuitu: eo fere modo, quo intuitu fidejussoris pollicentis definito tempore debitum persoluturum absolvitur debitor. Hinc Christus dicitur Apoc. 13. *Agnus occisus ab origine Mundi.* Cujus proinde meritorum intuitu pollicetur quoque, tribuitque Deus quavis aetate veniam, et salutem peccatoribus per poenitentiam ad se conversis.

Prop. III. Necessarium fuit, ut homo lapsus repararetur, quod pro eo Deus homo satisfaceret. Ita communius.

Prob. In hypothesi enim, quod nonnisi per condignam satisfactionem homo lapsus repararetur, necesse erat ex ostensis prop. 1. parte 3., ut pro eo Deus homo satisfaceret. Ex ostensis autem prop. ant. nonnisi per condignam satisfactionem decretum ab aeterno fuerat, ut homo lapsus repararetur: Patet ergo propositum.

§. II.

De veritate Satisfactionis Christi.

Quaenam hac super re Socinianorum sint deliramenta, jam diximus. Contra quos idcirco, ut dogma catholicum clarescat, non metaphorice scilicet, et improprie, sed vere, et proprie pro nobis Christum satisfecisse, persoluto pro nobis sui sanguinis pretio, et poenis nobis debitis se substituendo in Ara Crucis, ubi omnium nostrum iniquitatibus onustus seipsum Deo Patri hostiam, et Sacrificium expiationis pro nobis obtulit, sit

Prop. I. Christus pro nobis vere, et proprie sa-

tisfecit, persoluto pro nobis sui sanguinis pretio. Est de fide.

Prob. Et 1.º ex illis Isaiae verbis, quae de Christo Sacrum Vatem dixisse, ex se patet, et alibi ostendimus: *Oblatus est, quia ipse voluit . . . Et posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum. Vere languores nostros* (sive ut legunt Septuaginta Interpretes *peccata nostra*) *ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus . . . Et ipse peccata multorum tulit* (53.). Quibus similia habet D. Petrus ep. 1. c. 2., ubi: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum . . . cujus livore sanati estis.* Portare autem peccata idem esse secundum Scripturae usum, ac pro iis poenas dare, patet ex Lev. c. 5. v. 1., c. 17. v. 16., c. 19. v. 8., c. 20. v. 17. 19. et 20., c. 24. v. 15.; nec non ex Num. c. 9. v. 13., et c. 14. v. 34.; ex Ezech. c. 14. v. 10., et c. 18. v. 19, etc.: Cum ergo Christus portasse dicatur peccata nostra, eorum poenas pro nobis dasse, ideoque pro iis vere, et proprie satisfecisse, persoluto pro nobis sui sanguinis pretio, consequens est. Cui accedit, quod non solum dicitur peccata nostra portasse, verum etiam ea portasse per vulnerationem, attritionem, conjectionemque in eum iniquitatum nostrarum; quodque non dicimur per ejus doctrinam, vel aliud sanati, sed livore ejus, idest ejus vulneribus. Quid autem clarius, quam ejusmodi loquendi modo exprimi, ipsum peccata nostra portasse, suscipiendo in se peccatorum nostrorum poenas? Pro illis ergo vere, et proprie satisfecisse, persoluto pro nobis sui sanguinis pretio, magis, magisque perspicuum est.

Inquiunt hic Sociniani, 1.º quod Vulgatae Latinae verba: *Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum*, verti possunt in haec: *Deus occurrit per ipsum iniquitati omnium nostrum*; quodque apposite ad hanc lectionem intelligi etiam possunt quae subsequuntur verba. 2.º illum Isaiae versiculum: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit*, referendum esse ad miracula, quibus Christus plurimorum morbos sanavit, ipso D. Matthaeo interprete, qui ita illum reddit c. 8. *Ipse infirmitates nostras accepit, et aegrotationes nostras portavit.* Pro iis autem Christum satisfecisse,

quis dicet? 3.°, quod verbum *nasa*, quo Hebraeus utitur, ubi Vulgata Latina usurpat *tulit*, significare etiam potest *abstulit*, *condonavit*: verbum vero *sabal*, quo Hebraeus utitur, ubi Vulgata Latina usurpat *portavit*, significare etiam potest afflictiones quacumque occasione toleratas. Porro quovis modo dicatur Christus pro nobis satisfecisse, salva semper veritate, etiam dicitur, peccata nostra abstulisse, eorumque occasione pertulisse quot pertulit. 4.° quod etiam Judaei dicuntur Jer. Lam. c. 5. portasse in captivitate Patrum suorum peccata, pro quibus ullamne Deo satisfactionem dederunt? Et Christus ergo dici potuit, quod peccata nostra esset laturus, quin tamen pro illis ullateuns satisfecerit. 5.° quod Lev. 16. dicuntur populi peccata hirco expiatorio imposita. Hunc autem nullas pro illis dedisse poenas, tum ipsa ratio poenae, quae in bestias nequit cadere, ostendit; tum id quod Apostolus dicit ad Heb. c. 9., quod nulla sine sanguinis effusione fiebat remissio. Hircus autem ille in desertum quidem abigebatur, non tamen interimebatur. 6.° quod in relato D. Petri loco ubi nos legimus *pertulit*, Textus graecus significat *auferre*. Quovis autem modo Christus pro nobis satisfecerit, salva semper veritate, dicitur, quod peccata nostra abstulit. Cui accedit, quod eadem vox, quae in Textu graeco occurrit in relato D. Petri loco, occurrit quoque in ep. ad Heb. c. 9., ubi Christus dicitur mortuus *ad multorum exhaurienda peccata*. Hic autem significat *auferre*: Et illic igitur.

Resp. tamen quoad 1.m, falso Isaiae verba: *Posuit Dominus etc.*, verti posse in illa: *Deus occurrit per ipsum etc.*, tum quia Textus originalis verba alium non patiuntur sensum, quam hunc; *Deus fecit occurrere in illum iniquitates omnium nostrum*, quae verbis Vulgatae Latinae ad unguem respondent; tum quia ex antecedentibus, et consequentibus idem quoque liquet sensus, nec secus Textus cum contextu cohaeret. Quoad 2.m, quod si Isaiae verba: *Vere languores nostros etc.* referuntur in relato Matthaei loco ad miracula, quibus Christus plurimorum morbos sanavit, id fit, et quia plures sensus litterales uni Scripturae loco aliquando insunt, et quia morbi corporales sunt quoqne peccati appendices, atque inter ejus poenas recensentur. Ab iis autem, quatenus peccati poenis, nos quoque Christum liberasse, pro peccatis nostris satisfaciendo, idque adimpleri coeptum mira-

culis, quae tunc patravit, perfecte vero complendum fore post corporum resurrectionem, fide profitemur. Quoad 3.m, verbum *Nasa* tum Exodi c. 28. v. 43., tum Ezech. c. 30. v. 19., aliisque plurimis in locis alium non habere sensum, quam *poenam luere*; eumdemque in loco Isaiae, de quo agimus, habere, ex antecedentibus, et consequentibus manifeste liquet; pergit namque Sacer Vates: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Nec non: *Disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus.* Sive, ut Hebraeus legit: *Castigatio pacificationum nostrarum super eum, et in livore ejus medicatum est nobis.* Quibus similia habet Syriacus: *Castigatio pacis nostrae ipsi imponitur, et cicatricibus ejus curabimur.* Nec non Arabicus: *Castigatio pacis nostrae imposita est ei, per ejus vulnera nos sanati sumus.* Verbum vero *Sabal* nullibi aliud significare, quam *bajulare*, *sustinere*, *onustum esse*, exploratum est omnibus hebraice peritis. Quoad 4.m, nedum de Christo dici, quod peccata nostra portaverit, quemadmodum de Judaeis dicitur, quod in captivitate portaverint patrum suorum peccata, verum etiam, quod ita illa portaverit, ut livore ejus sanati simus. Patet ergo disparitas. Quoad 5.m, utique poenas generali quadam acceptione sumptas in ipsas bestias cadere, ut patet ex Gen. c. 8. v. 21., Exodi c. 21. v. 28., nec non Lev. c. 20. v. 15.. Cumque praeterea is fuerit sacrificiorum in expiationem institutorum scopus, ut loco nocentium substituerentur, et interimerentur, quemadmodum infra declarabimus, quis non videt, ideo dictum fuisse, quod hirco expiatorio imponebantur populi peccata, quia poenis pro illis debitis quasi onerabatur, ac pro iis in sacrificium offerebatur? Eas vero sustulisse, tradunt Rabbini, ajentes, eum e celsiori loco praecipitem, atque ita neci datum fuisse. Sed quidquid de hoc sit, in vastam profecto solitudinem abigi non poterat, quin certae morti exponeretur. Tandem quoad 6.m, quod in relato Petri loco, ubi nos legimus *pertulit*, vox graeca significat non jam *auferre*, sed *sursum ferre*; eaque ab Apostolorum Principe usurpata fuit, ut alluderet ad ritum oblationis victimarum, quae ferebantur super Altare, antequam immolarentur. Nec magis habet roboris quod additum est; cum enim in ep. ad Heb. opponat Apostolus secundum Christi adventum priori, ac in eo utriusque dis-

crimen constituat, quod Christus in secundo venturus sit *sine peccato*, seu peccatis non gravatus, cum in primo venerit *ad multorum exhaurienda peccata*, quomodonam constabit antithesis, ubi cum Socinianis legatur *ad multorum auferenda peccata?* Legendum ergo cum Vulgata Latina: *Ad multorum exhaurienda peccata*, peccatis scilicet alienis gravatus, non quidem quoad maculam, sed quoad debitum, et poenae repetitionem. Sed ad propositum redeamus.

Prob 2.° ex illis Ap. verbis ep. 1. ad Cor. c. 6. *An nescitis, quoniam non estis vestri, empti enim estis pretio magno?* Quibus similia habet quoque Apostolorum Princeps ep. 1. c. 1. *Scientes* (inquiens), *quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine, quasi Agni immaculati Christi, et incontaminati.* Si autem et empti, atque ad Christi jus translati dicitur per ejus mortem, et Christi sangnis comparatur quoque auro, et argento, quo redimuntur captivi, profecto sicut in auro, et argento vera inest ratio pretii, et valoris respectu rei temporalis venalis, ita in sanguine Christi vera pretii ratio agnoscenda est respectu humanae redemptionis, dicendumque idcirco, vere, et proprie Chsistum pro nobis satisfecisse, persoluto pro nobis sui sanguinis pretio. Rursum ergo patet propositum.

Prob. 3.° ex illis omnibus locis, ubi Christi sanguine redempti dicimur; ut Matth. 20. *Venit Filius hominis dare animam suam redemptionem* (graece *pretium redemptionis*) *pro multis.* Item ad Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ejus ad ostensionem justitiae suae.* Et ad Eph. 1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae ejus.* Et ad Tim. ep. 1. c. 2. *Qui dedit redemptionem* (graece *pretium redemptionis*) *semetipsum pro omnibus.* Et ad Tit. 2. *Expectantes beatam spem, et adventum gloriae Magni Dei, et Salvatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* Et ad Heb. 9. *Et ideo Novi Testamenti Mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, aeternae haereditatis.* Ut enim ipse Socinus fate-

tur l. 2. De Servatore c. 1., *redimere aliquem nihil aliud proprie significat, quam captivum e manibus illius, qui illum detinet, dato pretio liberare.* A propria autem Scripturarum significatione non licet recedere ex ostensis *l. 1. tract. 1. c. 5. prop. 1. pag.* 96., dum ad id evidens ratio non cogat: Christum ergo dato sui sanguinis pretio nos redemisse, est dicendum.

Inquiunt hic Sociniani, quod per redemptionem significatur etiam non semel in Scripturis liberatio a quavis miseria, nullo soluto pretio; ut patet ex c. 15. Exodi, ubi Israel dicitur ex Ægypto redemptus, quod certe actum a Deo fuit, nullo ejus redemptionis soluto pretio; ex Ps. 30., ubi Regius Psaltes redemptum se a Domino fatetur, quin in ejus redemptione ullum quoque fuerit pretium solutum; ex c. 7. Actuum, ubi Moyses appellatur quoque Redemptor populi, quin etiam pro illo educendo ex Ægypto ullum pretium solverit, vel sanguinem fuderit. Quod cum ita sit, neque etiam ex eo quod dicimur a Christo redempti, consequens est, quod fuerimus ab eo redempti, satisfaciendo pro peccatis nostris persoluto sui sanguinis pretio: Nulla igitur ex allatis locis data a Christo pro nobis satisfactio sequitur. Crescitque, ut pergunt, argumenti robur, advertendo, quod humani generis redemptio cum Israelitica confertur, atque hanc ejus typum, et figuram fuisse dicitur Lucae c. 1. v. 68. In redemptione autem Israel nullum persolutum fuit pretium: Et nullo igitur dato pretio nos redemptos fuisse, est dicendum. Accedit, quod redimere, et vendere sibi opponuntur. Dicitur autem homo sub peccato venumdatus Deut. c. 32. v. 30., nec non Iudic. c. 3. v. 8., et Isaiae c. 50. v. 1. in quo certe nullum intervenit pretium: Neque igitur redemptio pretii solutionem necessario praesefert. Quod demum confirmans Isaias l. cit., *gratis* (inquit) *venumdati estis, et sine argento redimemini.*

Resp. tamen ad 1.m neg. sequ. min.; nihil enim absonum magis, quam quod, quia redemptio metaphorice aliquando accipitur, metaphorice etiam sit semper accipienda. Eam vero in allatis a nobis locis methaphorice accipiendam non esse, ex adjunctis patet, non enim tantum redempti dicimur, sed redempti sanguine, empti pretio magno, ac facta etiam comparatione sanguinis Christi cum auro, et argento, quo captivi redimuntur.

Quis autem non videt, longe differre hunc loquendi modum ab eo, qui in objectis locis usurpatur, ubi redemptio absque ullo addito ponitur, per quam utique intelligi potest liberatio a miseria quovis modo acta? Ad 2.m vero resp. neg. cons.; tum quia redemptio Israel ex Ægypto expressis verbis dicitur, quod acta a Deo fuit *in brachio excelso, in manu forti, in Misericordia, in fortitudine*; tum quia eo ipso, quod liberatio Israel ex Ægypto per Moysen facta fuit typus redemptionis humani generis per Christum perfectae, idque quia Agnus Paschalis tunc immolatus fuit typus Christi, cujus morte redempti sumus, ejusdemque fuit quoque typus Moyses; eo ipso, inquam, necesse non est, quod omnino cum veritate conveniat; ut enim disserit D. Hieron. in c. 11. Oseae, *si totum praecedat in typo, jam non typus, sed historiae veritas est appellanda.* Praeiverat D. Chrysost. hom. 61. in Gen., *Oportet* (inquiens), *figuram minus habere, quam veritatem, quia alioqui non fuisset figura eorum, quae post haec futura erant.* Ratio autem est, quia similitudo inter duo per quamdam convenientiam, non per identitatem constituitur. Ad 3.m neg. min., dum enim homo venumdatur sub peccato, pretium quoque aliquod intervenit, unde scripsit Polybius l. 4., *mala quaelibet esse venalia.* Et sane quaenam ab improbo amatore non extorquet libido? Quaenam ab avaro auri fames, etc.? *Gratis* demum Isaias ait, nos esse venumdatos, quia, ut explicat D. Aug. *qu.* 17. *in lib. Judic.*, nihil prodest peccatum, quod immo cum ingenti, atque inexplicabili peccantis damno patratur. Ait vero, *sine argento* redemptos nos esse, non tamen *gratis*, quia, ut scripsit deinde Apostolorum Princeps, *non corruptibilibus auro, vel argento redempti sumus, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, et incontaminati.*

Prob. 4.° ex Patribus; ita enim ex iis D. Hilarius in Ps. 85. *Redemit nos, cum se pro peccatis nostris dedit; redemit nos per sanguinem suum, per passionem suam, per mortem suam. . Haec magna vitae nostrae pretia sunt.* Item D. Basilius in Ps. 48. *Quid enim usquam tanti est momenti, quod homo poterit dare pro redemptione animae suae? Inventum tamen unum est pro omnibus simul hominibus dignum pretium; nempe sanctus, et omni pretio superior pretiosus sanguis Domini nostri Jesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit: quamo-

brem pretio sumus empti. Item D. Aug. in Ps. 45. *Venit Redemptor, et dedit pretium: fudit sanguinem suum. Quaeritis, quid emerit? Videte, quid dederit, et invenite, quid emerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti valet? Quid, nisi totus Orbis; quid, nisi omnes Gentes?* Quae Patrum testimonia sufficiant.

Prop. II. Christus pro nobis vere, et proprie satisfecit, poenis nobis debitis se substituendo. Est quoque de fide.

Prob. Et 1.° ex c. 11. Jo., ubi distinguuntur 1.° verba Pharisaeorum, qui mortem Christi machinabantur, ut se a futurorum militum Romanorum incursione liberarentur, *si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem*; 2.° verbis Caiphae, qui illis contradicens, *Vos* (inquit) *nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.* Pergit autem Evangelista, quod talia a *semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*; declarans scilicet, ab alia servitute, quam a servitute Romanorum, liberandum populum, omnesque gentes fore per Christi mortem, sed a servitute poenarum aeternarum, eas omnium loco expiando, ac seipsum pro hominibus substituendo. Hanc vero Christi substitutionem qui non agnoscit in relatis verbis, oculos profecto luci claudat, necesse est.

Prob. 2.° ex ep. ad Rom. 5., ubi Apostolus, *ut quid* (inquit) *Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? Vix enim pro justo quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori? Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Quisnam autem in his Apostoli verbis praefatam substitutionem tum ex ejus scopo, tum ex verbis antecedentibus, et subsequentibus non deprehendit? Ex scopo scilicet, inde enim, ait, nobis innotuisse charitatem Dei in nobis, quod, tametsi fueri-

mus inimici, et peccatores, tali nihilominus charitate prosecutus est nos, ut propriam vitam profunderet, ut nos salvos faceret. Ex antecedentibus vero, et consequentibus, *vix enim* (antecedenter ait) *pro justo quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori*? Quidnam autem mori pro altero, quam pro illius incolumitate propriam vitam substituere? Subsequenter vero pergit: *Multo igitur magis nunc justificati etc.*; quibus profecto verbis nonnisi per sanguinem, et mortem Christi, qui se loco nostrum substituit ad placandam Dei in nos indignationem, erutos nos fuisse ab aeternis suppliciis, ac transiisse in gratiam Dei, cui per peccatum inimici, et infensi eramus, significari, caecus omnino est, qui non videt.

Prob. 3.° ex plerisque aliis Sacrarum Litterarum testimonis. Praefatam namque substitutionem exprimunt quoque Christi verba apud Matthaeum 26. *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et Jo. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro Mundi vita.* Item quod ait Ap ad Cor. ep. 2. c. 5. *Pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* Et ibidem paullo infra: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Et ad Gal. c. 3. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*, maledictionem scilicet, seu punitionem nobis debitam in se transferens. Et ad Eph. c. 5. *Dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis.* Et ad Tim. ep. 1. c. 2. *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Quibus demum respondet et quod ait D. Petrus ep. 1. c. 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo.* Et quod inquit D. Jo. ep. 1. c. 2. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius Mundi.* Tametsi autem praepositio *pro* causam quandoque significet vel finalem, vel motivam, idemque sonet, ac *propter*, id tamen solum contingit, ubi subjecta materia, vel quae adjunguntur, substitutionis ideam excludunt; per se vero, et juxta usum receptum, ac maxime quum de personis res agitur, substitutioni significandae, eique exprimendae alligatur: Cum ergo nec subjecta materia, nec alia, quae adjiciuntur, substitutionem ex allatis excludant, immo et subjecta materia,

et adjuncta substitutionem indicent, vere idcirco, et proprie Christum pro nobis satisfecisse, poenis nobis debitis se substituendo, consequens est.

Facilis proinde est responsio ad id, quod Sociniani regerunt, scilicet, quod non semper particula *pro* substitutionem significat, sed non raro etiam, ut supra innuimus, causam finalem, vel motivam; ut quum dicitur ep. 1. Jo. c. 3., quod *debemus pro fratribus animas ponere*; quum Paulus ad Coloss. c. 1. ait, se gaudere in passionibus pro fratribus; quumque Christus dicitur pro peccatis nostris mortuus, ac traditus. Neque ergo (inquiunt) in allatis textibus Christum seipsum pro nobis substituisse intelligere cogimur; ac apte etiam illud *pro nobis* exponitur *ad utilitatem nostram*, idest ut nobis daret fortitudinis, humilitatis, et patientiae exempla, salutarem suam doctrinam confirmaret, etc.

Resp. enim neg. cons.; ex eo quippe, quod particula *pro* non semper substitutionem significat, sed quandoque etiam causam finalem, vel motivam, sequitur solum, quod ex adjunctis determinandum est, an alterutrum significet. Porro, quum de personis agitur, frequens ejus significatus est, ut substitutionem designet; ut quum 2. Reg. c. 18. David plorans ob mortem filii sui Absalonis, *Absalon* (ajebat), *fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te*, loco scilicet tuo mortuus essem! Quum Deus ait Moysi de Aaron Exodi 4. *Ipse loquetur pro te* (idest loco tuo) *ad populum, et erit os tuum*. Quum Matth. 2. dicitur de Archelao, quod *regnaret in Judaea pro Herode patre suo*, idest loco Herodis Patris sui. Quum Ap. 2. ad Cor. c. 5. *Pro Christo*) inquit) *legatione fungimur*, idest Christi vice, ac loco: Cum ergo in allatis textibus sit quoque sermo de personis, nec solum dicatur Christus pro nobis mortuus, sed et mortuus, ut nos redimeret, ut nos justificaret, ut nos Deo reconciliaret, et quemadmodum additur in ep. ad Heb. c. 9. v. 14., et c. 10. v. 14., ut victima esset apud Patrem pro peccatis nostris, quis non videt, particulam *pro* sensum substitutionis, et subrogationis, non vero causae finalis, vel motivae exhibere?

Nihil deinde insulsius, quam quod additum est; si enim hoc sensu diceretur pro nobis passus, et mortuus, ut nobis daret fortitudinis, humilitatis, et patientiae exempla, ac salutarem suam doctrinam confirmaret, di-

cendum quoque esset, quod Apostoli, et Martyres passi, et mortui fuerint pro nobis, cum et nobis eadem exempla dederint, et quae voce docuerant, sanguine confirmaverint: nec salus nostra esset Christi sanguini magis tribuenda, quam ejus miraculis, et Resurrectioni, immo his potius, cum ab his potius, quam ab ejus sanguine doctrina ab eo tradita confirmata, et roborata fuerit. Dicitur autem ab Ap. ep. 2. ad Cor. c. 5., quod *unus* (nempe Christus) *pro nobis mortuus est*; nec umquam salus nostra ejus miraculis, sed ejus sanguini tribuitur; ut quum ab eodem dicitur ad Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per Redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Et c. 5. *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus* Et ad Coloss 1. *Reconciliavit nos in corpore carnis ejus per mortem.* Sed ad propositum redeamus, quod

Prob. 4.° ex eo quod Christum substitutum antiquis victimis fuisse, identidem docent tum Veteris, tum Novi Testamenti paginae; ac praesertim Apostolus ep. ad Heb. c. 10., ubi Christum ab ipso ejus ingressu in Mundum dixisse, scribit: *Hostiam, et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi: Ecce venio . . . ut faciam Deus voluntatem tuam . . . in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel*: nec non c. 9. *Si sanguis* (inquiens) *hircorum, et taurorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo. emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis etc.*. Offerebantur autem veteres illae victimae in expiationem peccatorum; utque ait D. Justinus Martyr in resp. ad qu. 99 ad Orthod., *perinde atque animam suam hoc modo legis praevaricator offerret.* Quare et scribit D. Thomas 1. 2. qu. 102. art. 3. ad 5. *Per occisionem animalium significabatur destructio peccatorum, et quod homines erant digni occisione pro peccatis suis, ac si illa animalia loco eorum occiderentur ad significandam expiationem peccatorum.* Hinc c. 1. Lev. praecipiebatur, quod Levitae super caput vituli immolandi manus imponerent; et c. 16., quod super caput hirci confiteretur Sacerdos omnes iniquitates filiorum Israel, et imprecans

capiti ejus illum in solitudinem emitteret, ut eo ritu scilicet demonstraretur, victimam illam esse hominum iniquorum loco, eorumque loco immolari: Et Christum ergo in expiationem peccatorum nostrorum, et loco nostrum victimam sese in Cruce obtulisse, poenis nobis debitis se substituendo, consequens est.

Quod ut demum auctoritate Patrum confirmemus, D. Iustinus Martyr in Dial. cum Tryph., Christum, scribit, *ex omnium mortalium genere omnium maledictionem suscepisse*. Item D. Athan. De Incarn. Verbi Dei n.º 10., *Mortem* (inquit), *in quam homines incurrerunt, proprio oblato corpore delevit*. Et paullo infra: *Idcirco ipsum Verbum sibi corpus accepit, ut victima pro similibus corporibus fieret*. Aliisque praetermissis, *quod nos* (ait D. Hieron. in c. 53. Isaiae) *pro nostris debebamus sceleribus sustinere, ille pro nobis passus est*.

Prop. III. Christus pro nobis vere, et proprie satisfecit, perferendo in Ara Crucis iniquitates omnium nostrum, ibique seipsum Deo Patri hostiam, et sacrificium expiationis pro illis offerendo. Est quoque de fide.

Probatur. Et 1.º non semel, sed pluribus in locis id docet Apostolus; ut 2. ad Cor. c. 5. illis verbis: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*; quo in loco D. Aug. tum in Enchir. c. 41., tum qu. 12. super Num., tum l. 1. cont. Maximinum c. 2. ait, *peccatum* dici ab Apostolo *sacrificium*, *quod pro peccato offertur*; ad id idem S. Doctor referens quod legitur ad Rom. c. 8. *De peccato damnavit peccatum in carne*. Quod caeterum ipse Apostoli scopus de peccatorum reconciliatione loquentis confirmat, subdit namque: *Ut efficeremur justitia Dei in ipso*. Item ad Eph c. 5., ubi: *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis*. Ait vero *oblationem*, *et hostiam*, tum quia in Ara Crucis fuit Sacerdos simul, et victima; tum quia nedum se obtulit pro peccatis nostris charitate, et amore, verum etiam sanguinis effusione, seipsum pro illis victimam tradens. Ac ita demum in ep. ad Heb., ut diceres, unum ejus scopum fere fuisse propositam fidei veritatem tradere; cum enim dixisset c. 7., quod *talis decebat, ut nobis esset Pontifex* . . . *qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi*, continenter pergit: *Hoc enim fe-*

cit semel seipsum offerendo. Et c. 9. *Nunc autem semel in consummatione saeculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori . . , sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*. Demum c. 10., quod cum *impossibile esset sanguine taurorum, et hircorum auferri peccata, ideo ingrediens Mundum*, ait: *Hostiam, et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio . . . ut faciam, Deus, voluntatem tuam . . . In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. Et omnis quidem Sacerdos praesto est quotidie ministrans, et easdem saepe offerens hostias. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam . . . una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, Concludens tandem: *Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, etc.* Quibus in locis advertendum, nedum dixisse Apostolum, quod Christus semetipsum obtulit, ad multorum exhaurienda peccata per hostiam suam, et per oblationem Corporis, et Sanguinis sui, verum etiam *semel* seipsum obtulisse, *semel* in consummatione saeculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuisse, *semel* Corporis sui oblationem fecisse, ac *unam* pro peccatis obtulisse hostiam, eaque *una oblatione* consummasse in sempiternum sanctificatos. Haec autem accipi non posse, nisi de cruenta ejus oblatione in Ara Crucis, nemo non videt, siquidem incruenta illa oblatio, qua Christus se in Coelis offert, et ad quam Sociniani praefata verba detorquent, jugis, ipsis fatentibus, est, et perpetua: Christum ergo in Ara Crucis seipsum Deo Patri obtulisse hostiam, et sacrificium expiationis pro peccatis nostris, ibique omnium nostrum iniquitates in se perferendo vere, et proprie pro nobis satisfecisse, consequens est.

Advertendum quoque, fuisse Christum ex relatis Apostoli verbis c. 10. antitypum victimarum legalium. Erat autem oblatio illarum victimarum sacrificium cruentum in expiationem peccatorum: Et Christus ergo de se obtulit ejuscemodi sacrificium; quod ubinam, nisi in Ara Crucis? Ubi idcirco seipsum Deo Patri obtulisse hostiam, etc.

Idque, ut Patrum quoque auctoritate confirmemus,

ita ex iis D. Epiph. l. 2. haer. 55. n. 4 *Semetipsum obtulit, ut perfectiore, vivaque pro totius Mundi salute mactata hostia, veteris Testamenti Sacrificium aboleret. In quo quidem ipse victima fuit, ipse Sacrificium, ipse Sacerdos, ipse Altare, ipse Deus, ipse homo, ipse Pontifex, ipse Agnus, etc.* Item D. Hieron. in c. 53. Is. *Hic Agnus est, in cujus typo immolabatur Agnus, cujus cruor linitus in postibus exterminatorem fugabat Ægypti.* Item D. Aug. in Ps. 129. n. 7. *Sacerdos noster a nobis accepit, quod pro nobis offerret. Accepit enim a nobis carnem: in ipsa carne victima factus est, sacrificium factus est. In passione sua sacrificium factus est, etc.* Item D. Greg. Magnus l. 17. Moral. c. 30. *Fecit pro nobis sacrificium, Corpus suum exhibuit pro peccatoribus, victimam sine peccato.*

Quid modo ad haec Sociniani regerunt, audiamus; 1.° scilicet, quod si nullatenus Christus fuit Sacerdos, priusquam Coelum ingrederetur, neque etiam in Cruce sui ipsius Sacrificium obtulisse, est dicendum, non enim, nisi Sacerdos, offerre sacrificium potest: Nullatenus autem Sacerdotem fuisse, priusquam Coelum ingrederetur, patet ex Ap. ad Heb., ait enim c. 2., debuisse eum *per omnia fratribus assimilari, ut Pontifex fieret.* Per omnia autem assimilatus nobis est per mortem: Nondum ergo in Cruce Pontifex fuerat constitutus. Ubi et pergit c. 5., quod *non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Haec autem postrema verba de ejus Resurrectione esse interpretanda, Actus Apost. docent c. 13.: Neque ergo ante ejus Resurrectionem Pontifex. Addit quoque c. 7. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior Coelis factus.* Quid clarius magis magisque, quam quod donec Coelos ascendit, neque etiam Pontifex? Demum c. 8. expresse de eo docet, quod *si esset super Terram, non esset Sacerdos*: Neque ergo super Terram ullum sui ipsius sacrificium obtulit. 2.° quod, ut docet ibidem Apostolus c. 7., Christus est Sacerdos, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech: Sicut ergo Melchisedech nullum de se obtulit sacrificium, immo nec cruentum aliud sacrificium obtulisse fertur, ita nec Christus.

Sed resp. ad 1.m neg. min.; quod enim primo loco

ait Apostolus, detruncatum Sociniani objiciunt, quippa quod non ait, debuisse Christum per omnia fratribus assimilari, ut fieret Pontifex; sed *ut misericors fieret, et fidelis Pontifex*, idest, quemadmodum explicat Duhamelius, ut miseriarum nostrarum sensu motus nos Deo Patri reconciliaret. Vel etiam, quia debuit conditionis, ac mortalitatis nostrae particeps fieri, ut nobis condoleret, et pro nobis sacrificium sui ipsius offerret. Quo autem sensu illa verba secundo loco allata, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, dicantur de Christi Resurrectione c. 13. Actuum, explicavimus jam *l.* 3. *tract.* 1. *c.* 5. *prop.* 2. *pag.* 72., et rursum hic *c.* 5. *prop.* 12. *pag.* 291. Nullatenus ergo ex illis sequitur, quod ante ejus Resurrectionem non fuerit Pontifex. Quoad verba vero, quae allata sunt tertio loco, nedum Apostolus non ait, quod priusquam Coelos conscenderet, non fuit Sacerdos, quin immo, quod cum esset Pontifex Sanctus, innocens, impollutus, et segregatus a peccatoribus, excelsior Coelis factus est. Eorum demum quae postremo allata sunt loco; sensus est Christi Sacerdotium non fuisse ejusdem generis cum Sacerdotio illorum, quibus datum fuerat sacrificium offerre, neque hoc Sacerdotii genere fungi potuisse, cum non fuerit de Tribu Levi, sed de Tribu Juda. Tandem in figura non omnia, quae in figurato sunt, inveniri, jam diximus.

Ad 2.^{m} vero neg. cons.; licet enim Christus in Ara Crucis verum de se obtulerit sacrificium, fueritque illud cruentum, et praesignatum in veterum victimarum mactatione, non fuit tamen Sacerdos secundum ordinem Aaron, 1.º quia non fuit de Tribu Levi, sed de Tribu Juda. 2.º quia res in Ara Crucis oblata eadem non fuit cum illa, quae offerebatur super altare Levitarum, sive spectata rei oblatae substantia, sive spectata ejus specie, ac similitudine. 3.º quia, ut ait Ap. ad heb. c. 9., Sacerdos secundum ordinem Aaron *praesto erat quotidie ministrans, et easdem saepe offerens hostias. Ipse autem unam pro peccatis offerens hostiam* (de se scilicet in Ara Crucis), *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, omnia scilicet nobis meruit. Fuit autem Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quamvis hic nullum de se obtulerit sacrificium, immo nec cruentum ullum sacrificium obtulisse feratur, quia sicut Melchisedech, ut legitur Gen. 14., sacrifi-

cium Deo obtulit in pane, et vino, ita cruentum sacrificium, quod Christus de se in Cruce obtulit, idem cum eo fuit, quod in ultima coena obtulerat, quodque modo offert quotidie Sacerdotum ministerio sub speciebus panis, et vini, *sola* (ut docet Trid. sess. 22. c. 1.) *offerendi ratione diversa*, quia nempe illud fuit cruentum, hoc incruentum, dumque in illo mors vera, et physica intercessit, in hoc intercedit mors tantum mystica; quemadmodum enim disseruimus *in tract. De Euchar. c.* 8., cum vi verborum consecrationis sub speciebus panis constituatur solum Corpus, et sub speciebus vini solus sanguis, totus quippe Christus sub utraque specie reperitur, non tamen vi verborum consecrationis, sed per concomitantiam, en proinde separatio quaedam mystica Corporis a Sanguine, vivaque simul repraesentatio illius realis separationis, quae Passionis tempore accidit. Neque id obstat, ut ibidem disseruimus, quominus utrumque unum idemque sit; ut enim constat ex Sacrificiis Aaronicis, aliquando in iis oblatio immolationem praecedebat, quemadmodum in Sacrificio hirci, qui prius offerebatur vivus, deinde mittebatur in desertum ibi periturus; aliquando vero immolationem sequebatur, ut cum victimae sanguis extra Sanctuarium fundebatur, quem deinde colligens Pontifex deferebat in Sancta Sanctorum illum ibidem oblaturus: ex quo sequitur, nihil rationem Sacrificii inficere, dum de eo agatur, quod Christus in ultima coena obtulit, quod oblatio praecessit mactationem, sicut etiam dum de eo agitur, quod offert quotidie per Sacerdotes, quod oblatio post mactationem fiat, sitque utrumque unum idemque cum Crucis Sacrificio, sola offerendi ratione diversa.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Allatis hactenus, quae veritatem satisfactionis Christi ostendunt, disjectisque Socinianorum machinamentis, ut prolatorum argumentorum robur infringerent, ad ea nunc pergimus diluenda, quae directe adversus eam congerunt.

Objic. 1.° quod Deus, Joanne teste ep. 1. c. 4., *ipse prior dilexit nos*, atque ob hanc ejus erga nos dilectionem Filium suum Unigenitum ad nos redimendum misit. Quod cum ita sit, antecedenter profecto ad Christi missionem, Deum condonare nobis voluisse peccata, ma-

nifestum est ; quod idem dictu est , ac ea nobis condonare voluisse citra ullas Christi satisfactiones , quaenam enim antecedenter ad Christi Missionem satisfactiones , cum hae juxta nos ejus actiones , et passiones consecutae fuerint ? Nullam ergo pro illis satisfactionem exegisse , est dicendum.

Resp. dist. min. ; quod nempe Deus citra ullas satisfactiones a Christo actu exhibitas nobis peccata condonare voluit ; Christi enim satisfactiones , prout actuales , consequenter se habuere ad ipsius Missionem. At non item citra ullas satisfactiones ab eo exhibendas : satisfactionum enim Christi intuitu Deum nobis impertiri peccatorum nostrorum veniam , atque in statu salutis post peccatum constituere , non semel , atque iterum , sed semper Scripturae docent , ut ex allatis inter probationes Sacrarum Litterarum textibus manifeste patet.

Objic. 2.° , quod cum ex Scripturis , et ex ratione ipsa evidens sit , Deum nonnisi ob ejus infinitam erga nos charitatem decrevisse Filium suum pro peccatis nostris propitiationem mittere , evidens aeque est idcirco , antecedenter quoque ad passionem , et mortem Christi inimicum , et iratum in peccatores non fuisse , quomodo enim inimicitia , et ira in eo adversus peccatores cum tanta erga eosdem charitate potuisset consistere ? Quod si Deus antecedenter ad passionem , et mortem Christi inimicus , et iratus in peccatores non fuit , antecedenter quoque ad passionem , et mortem Christi , ideoque etiam ad Christi satisfactiones nos sibi reconciliasse, consequens est, quin proinde locus Christi pro nobis satisfactionibus superesset: Figmentum ergo hae Christi satisfactiones.

Resp. dist. maj. ; quod nempe antecedenter ad passionem , et mortem Christi inimicus, atque iratus in peccatores non fuit sub omni respectu , et ita ut eorum perditionem absolute voluerit ; eos enim antecedenter ad passionem , et mortem Christi , non quidem , ut peccatores, sed ut opus manuum suarum , ac suae gratiae recipiendae adhuc capaces respiciens, misericorditer decrevit, per passionem , et mortem Filii ejus in statum salutis restituere. Non ita tamen antecedenter ad passionem , et mortem Christi inimicus , atque iratus in eos non fuit , ut nec eos , quatenus peccatores , odisset , et citra omnem satisfactionem condonare illis voluisset eorum delicta ; haec enim illis nonnisi per condignam satisfactionem remissurum decrevisse , luculenter §. 1. prop. 1. ostendimus.

Objic. 3.° quod si Christus vere, et proprie pro nobis satisfecisset, nec gratis delicta nobis condonarentur, nec gratis justificaremur. Dicitur autem in Scripturis et quod delicta gratis nobis condonantur, et quod gratis justificamur; ut nobis nempe innuitur Matth. 18. illis verbis: *Dominus servi illius dimisit eum, et debitum dimisit ei.* Et paullo infra: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me.* Expressis vero verbis id docet Apostolus ad Rom. 3., ubi dicimur *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Et 2. ad Cor. c. 5. *Deus* (inquiens) *erat in Christo Mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* Quid clarius, quam quod sola non imputatione peccati, non vero per aliquam satisfactionem exhibitam reconciliati ipsi sumus? Ac demum ad Coloss. 2. exhibetur Deus *donans nobis omnia delicta*: Non ergo Christum vere, et proprie pro nobis satisfecisse, est dicendum.

Resp. neg. sequ. maj.; quamvis enim Christus vere, et proprie pro nobis satisfecerit, adhuc tamen peccatorum nostrorum remissio, nostraque justificatio dicenda est gratuita, tum quia citra omne nostrum meritum, quod nullum esse potest, delicta nobis condonantur, et justificamur; tum quia nonnisi ex gratuita Dei benignitate, et charitate misit Deus Filium suum Unigenitum, ejusque pro nobis satisfactiones acceptavit, cum enim de debito per offensam contracto, ideoque personali ageretur, potuisset Deus exigere, ut ipsemet peccator poenas debitas lueret. Hinc l.cit. ad Rom., dum dicimur *justitificati gratis per gratiam ipsius*, immediate subditur, *per redemptionem, quae est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiae suae.* Dum item l. cit. ad Cor. dicitur, quod *Deus erat in Christo Mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum,* subditur, quod *eum, qui non non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* (idest *victimam pro peccato*), *ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Et demum ad Coloss., dum exhibetur Deus *donans nobis omnia delicta*, haec tamen nobis nonnisi meritorum Christi intuitu donari, statim datur intelligi per verba immediate subsequentia: *Delens quod adversus nos erat chirographum decreti . . et ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci.*

Inst., quod, solutione totius debiti creditori facta,

quamvis illi ab alio, quam a debitore, facta fuerit, nullatenus dici potest, quod creditor gratis remiserit debitori debitum. Æque ergo si Christus vere, et proprie pro nobis satisfecisset, nullatenus dici posset, quod Deus gratis nobis peccata dimittat.

Resp. neg. cons., et parit; quum enim agitur de debito reali, solius rei ad rem aequalitas attenditur, ac nihil refert, utrum debitor ipse, vel alter pro eo debitum solvat. At non ita, quum agitur de debito personali ex offensa alicui illata, res se habet; cum enim ejusmodi debitum ipsam personam offensoris adstringat, ipse etiam debitor tenetur per seipsum solvere, nisi juri suo creditor cedat, et misericorbia motus alterius substitutionem acceptet. Ejusmodi porro erat debitum a peccatoribus solvendum: cumque idcirco potuisset Deus ab ipsis peccatoribus eorum peccatorum poenas repetere, gratuitae ejus Misericordiae adscribendum est, quod eas in Christum conjicere dignatus fuerit, atque ab eo sibi oblatas satisfactiones pro nobis suscipere.

Objic. 4.°, quod, ut legitur Jo. 3., misit Deus Filium suum in Mundum, *ut omnis, qui credit in eum, non pereat*: Non ergo, ut hominum debita dissolveret. Item, quod, ut ait idem Joannes ep. 1. c. 3., ad Christi exemplum, *qui animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere*: Quemadmodum ergo nos ponendo animas pro fratribus nostris, utilitatem quidem afferre illis possumus, non tamen pro illis satisfacere, ita et Christus ponendo animam suam pro nobis, utilitatem quidem nobis attulit fortitudinis, humilitatis, et patientiae exemplis, quin tamen pro nobis satisfecerit. Apostolus quoque ad Eph. c. 2. hortatur nos, ut simus *invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit nobis.* Quod et repetit c. 5., et ad Coloss. c. 3.. Quemadmodum ergo injurias condonare nobis praecipitur, quin ullam de iis satisfactionem reposcamus, eodem quoque modo, quin ullam scilicet satisfactionem umquam repetierit, peccata Deum nobis condonare, est dicendum.

Resp. neg. cons.; quoad 1.m enim, dum dicitur Deus misisse Filium suum in Mundum, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, non excluditur redemptio ab eo peracta, sed insinuatur tantum necessitas fidei, ut ejus nobis merita applicentur. Quoad 2.m, aitne Joannes,

quod ad Christi exemplum debemus pro fratribus animas ponere, ut eos a maledicto solvamus, ut eos Deo reconciliemur, etc.? Nihil ejusmodi. Nos ergo tantum ad charitatem adhortans, ait, quod sicut Christus animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere. Quoad 3 m, Apostoli adhortationem nedum cum dogmate satisfactionis Christi consistere, verum etiam ab eo vim accipere; si enim, ut disserit D. Chrysostomus in relata Apostoli verba, *ut tibi ignosceret, Deus sacrificavit Filium, tu potens condonare sine sumptu, non facis?*

Objic. 5.°, injustum esse, idque maxime in causa capitali, ut innocens reo substituatur, ac pro eo det poenas. Id autem supponit Christi satisfactionis dogma: Figmentum igitur.

Resp. 1.°, quod si argumentum aliquod haberet robur, solvendum quoque esset a Socinianis, a quibus Christus dicitur morti traditus, ut conditionem peccatorum liberationi in praesenti ordine utilem, vel necessariam impleret. Quod si ad id opus decernere ejus mortem Deus potuit absque injustitia, quomodonam injustum dicendum, si illam praeterea ad compensandas peccatorum offensas, ac poenas ab ipsis debitas extinguendas ordinari, ac referri voluerit? 2.° neg. maj.. Et sane non esse contra naturam poenae, quod publicae salutis causa illa afficiantur innoxii, patet ex c. 20, et 24. Exodi, et ex Thren. Jer. c. 1., ubi Deus dicitur visitare parentum peccata in filiis quoque, et posteris; nec non ex c. 9. Gen., et c. 21., et 24. l. 2. Reg., ubi edocemur, ob peccatum Chami punitum Chanaan, ob crimen Saulis crucifixos septem filios, et ob peccatum Davidis septuaginta hominum millia periisse. Quod si in causa capitali injustum inter homines est, ut innocens reo substituatur, id ex eo oritur, quod nihil juris est homini in vitam suam, vel alterius, sed tantum in alias res, quae in proprietatem veniunt, et quarum transfertur dominium. Cum tamen Deus supremo jure polleat in ipsam hominum vitam, utique potuit et Christus se morti offerre, ut ejus sanguis Deo gloriam, hominibusque salutem, ac vitam aeternam compararet, et Deus eum, tametsi innocentem, morti tradere. 3.° idcirco resp. etiam dist. maj.; injustum nempe esse in causa capitali, ut innocens reo substituatur, ac pro eo det poenas, si innocens non consen-

tiat, ac fiat absque auctoritate legitima, nec substitutio ejuscemodi in bonum commune vergat: non tamen, cum et innocens consentiat, volenti enim, et consentienti nec fit, nec fieri potest injuria; et fiat ab auctoritate legitima, et substitutio vergat in bonum commune. Fides porro satisfactionis Christi supponit quidem, quod in causa capitali humano generi reo substitutus fuit, ac pro eo poenas dedit innocens Christus: at si in humanis nec licet, ut innocens mori consentiat pro reo, cum nemo sit suae vitae dominus, nec fieri potest, ut id deinde legitima intercedente auctoritate, atque universitatis bono executioni detur, omnis enim, quae sub Coelo est potestas, data non est, ut loquitur Apostolus 2. ad Cor. c. 13., nisi *in aedificationem*, seu ad bonum commune, nec vergere potest, nisi in damnum commune, quod innocentes capitali poena loco reorum plectantur, sicque malefici, ac noxii serventur, boni vero, ac innoxii abscindantur; in satisfactione tamen Christi habetur 1.° quod Christus vitae suae Dominus, utpote ipsa Persona Dei Verbi in utraque Natura subsistens, sponte se obtulit, ut vitam pro peccatoribus funderet, ac sua morte poenas pro illis daret, juxta id, quod Isaias de eo praedixerat c. 53. illis verbis: *Oblatus est, quia ipse voluit*; quodque ipse testatus fuit Jo. 10., *Nemo* (inquiens) *tollit animam meam a me, sed ego pono eam a me ipso.* 2.° quod factum id fuit legitima intercedente auctoritate, accedit namque, quod Dominus, in cujus ditione cuncta sunt posita, ac vitae, et necis uniuscujusque potestatem habet, ipse *posuit in eo iniquitates omnium nostrum, voluitque eum conterere in infirmitate*, ut idem Isaias loquitur l. cit.; utque Apostolus addit ad Rom. 8., idem fuit, *qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* 3.° demum, quod substitutio ejusmodi in bonum totius Mundi cessit, inde enim ortum habuit totius Mundi salus, quodque *cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo*, ut l. cit. idem Apostolus scribit. Quod et in bonum ipsius Christi cessit; die siquidem post suum obitum tertia gloriose a mortuis resurgens, et e sepulchro egressus, omnem potestatem in Coelo, et in Terra obtinuit (Matth. 28.); atque in gloriam suam ingressus (Luc. 23.) a Deo exaltatus fuit, nomenque accepit super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur (Ad Philipp. 2.). Accedit

demum, quod salus animae aeterna adeo vitae corporis praeferenda est, ut nos *debeamus pro fratribus animas ponere*. Jure ergo Christus vitam temporalem tradidit, ut aeternam nobis mereretur.

Objic. 6.°, quod si Christus vere, et proprie pro peccatis nostris satisfecisset, necesse non esset, ut et nos pro iisdem satisfaceremus. Profitemur autem, quod pro illis satisfacere tenemur: Non ergo Christus pro illis vere, et proprie satisfecit.

Resp. dist. sequ. maj.; quod nempe post satisfactionem pro illis a Christo redditam, necesse non esset, ut et nos pro iisdem satisfaceremus, si voluisset item Christus nobis etiam non agentibus, et cooperantibus valorem satisfactionum suarum applicari; non autem cum voluerit, quod nonnisi agentibus, et cooperantibus nobis ille applicaretur. Eadem igitur fides, qua docemur, Christum pro peccatis nostris vere, et proprie satisfecisse, nos etiam docet, quod ad percipiendum ejus satisfactionum fructum necessaria nobis sunt bona opera, fides nempe, spes, charitas, poenitentia, Sacramentorum usus, etc., quodque otiosis, et torpescentibus vitam aeternam tribuere Deus non vult. Neque id veritatem Satisfactionum Christi impetit, tum quia omnis Sacramentorum efficacia, omnis bene operandi vis nobis concessa, omnis denique satisfactionum nostrarum valor, ac meritum ex satisfactionibus, ac meritis Christi Domini derivatur; tum quia bonis operibus opus habemus, non ut quidquam perfectionis, vel complementi Christi satisfactionibus adjiciamus, sed ut eas nobis applicemus. Quare sicut exquisiti medicamenti vi nihil detrahit necessitas applicationis, ita nihil detrahit Christi satisfactionibus bonorum operum necessitas.

Objic. 8.°, quod, posito satisfactionis Christi dogmate, voluisset Deus, quod Christus occideretur a Judaeis, ut pro peccatis hominum satisfaceret, eorumque salutem operaretur; ideoque voluisset scelus omnium, quae a Judaeis patrata fuerint, ac patrari possent, maximum. Id autem dictu nefas: Quidnam igitur satisfactionis Christi dogma, nisi figmentum?

Resp. neg. maj.; neque enim, ut finem, neque ut medium, quo salus hominum operata esset, voluit umquam Deus horrendum scelus a Judaeis patratum, Christum occidendo: sed utpote ipsarum *malarum voluntatum*

(quemadmodum ait D. Aug. l. de Gen. ad lit. c. 5.) *Sapientissimus ordinator*, idque, quia cum sit aeque omnipotens, ac sapiens, de ipsis malis, ut scribit idem S. Doctor in Enchir. c. 11., *novit bona facere*; praevisa idcirco Judaeorum malitia, et nequitia in Christum, utramque ordinavit ad omnium Redemptionem, quatenus Christus probra, vulnera, Crucem, mortem, aliaque illi a Judaeis illatura sponte, ac libere oppetiens, ut pro peccatis omnium condigne ipsi satisfaceret, salutem omnium, qui fide, spe, charitate, poenitentia, aliisque bonis operibus ejus sanguinis pretium sibi applicarent, promereretur, et operaretur.

§. III.

De perfectione satisfactionis Christi.

Perfectas adeo fuisse Christi satisfactiones, ut fuerint etiam superabundantes, certa, et communis est Theologorum sententia. E contrario autem Calvinistae, et caeteri Novatores, superabundantes eas fuisse, negant, ne superabundantes eas dicendo, Indulgentiarum doctrinam ipsis invisam admittere cogerentur. Perfectas vero fuisse, inquiunt: sed inde ducentes, necessaria nobis non esse bona opera, ut salutem consequamur. Statuendum proinde contra eos hic loci esset tam Indulgentiarum, quam necessitatis bonorum operum dogma. Quia tamen utrumque ostendimus *in tract. De Sacram. Poenit. c. 7.*, et *in tract. de actibus humanis c. 3.*, superest tantum, ut cum Catholicis, perfectas eas fuisse, ac superabundantes, demonstremus, quatenus peccatorum totius Mundi debita nedum exaequantes, verum etiam superexcedentes. Fuisse vero ad strictos quoque juris apices, quatenus etiam ex propriis, et ex alias indebitis, nec non, quantum satis, ad alterum, id quidem Catholica fides non exigit, commune tamen est inter Theologos, contradicentibus tantum Vasquesio *Disp.* 8. *c.* 4., *et* 5., aliisque perpaucis. Quibus praemissis, sit

Prop. I. Satisfactio pro nobis a Christo exhibita et perfecta, et superabundans fuit. Est de fide.

Prob. Et. 1.° quod fuerit perfecta, patet ex illis Isaiae verbis c. 53. *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Idem autem dictu est, Christum

sustulisse languores, doloresque, non quidem peccatorum nostrorum, idest quos nos poteramus pro illis reddere, sed languores, doloresque nostros, idest, quos nobis incumbebat pro peccatis nostris perpeti, idem, inquam, dictu, ac pro illis aequivalentis pretii solutione satisfecisse: Patet ergo propositum. Item ex illis Ap. verbis ad Coloss. 2. *Delens, quod adversus nos erat, chirographum decreti, et illud tulit de medio, affigens illud Cruci.* Chirographum autem delet, qui perfecte illud solvit, ita ut solutio exaequet debitum: Taliter ergo pro peccatis nostris Christum satisfecisse, est dicendum. Item ex ejus verbis ad Rom. 3., ubi satisfactionem pro nobis a Christo exhibitam appellat justitiam, Deum, inquiens, proposuisse Christum *propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae.* Et c. 5. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem.* Eam autem appellando justitiam profecto designat, quod perfecta fuerit: Talis igitur. Itemque ex ejus verbis ad Heb. c. 10., ubi comparatione facta inter legales hostias, et Christi mortem, de illis inquit; numquam eas potuisse *auferre peccata*; de hac vero, quod, semel oblata, *consummavit in sempiternum sanctificatos*; ducens exinde rationem; cur olim Sacerdos quotidie praesto esset ministrans, easdemque semper offerens hostias, Christus vero unam semel obtulerit. Nihil autem hic ejus sermo valeret, nisi satisfactio pro nobis a Christo exhibita omne prorsus debitum persolvisset, ejusque sanguis, licet semel oblatus, omnium prorsus peccata exhausisset: Ejusmodi ergo, ideoque perfecta.

Quod vero fuerit etiam superabundans, expresse praedixerat Regius Psaltes Ps. 129. illis verbis: *Copiosa apud eum redemptio*, qua nempe, ut subditur, *ipse redempturus esset Israel*: expressisque verbis idem ait et Christus ipse Jo. 10. *Ego* (inquiens) *veni, ut vitam habeant, et abundatius habeant*; et Apostolus ad Rom. c. 5., *ubi* (inquiens) *abundavit delictum, superabundavit gratia, ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam aeternam per Iesum Christum Dominum nostrum*: nec non 1. ad Cor. c. 6., ubi satisfactionem pro nobis a Christo exhibitam nedum simpliciter emptionem, sed

et emptionem *pretio magno* factam appellat. Quidnam autem per emptionem *pretio magno* factam datur intelligi, quam quod nedum perfecta, sed et superabundans fuerit?

Probatur modo utrumque triplici etiam ratione; 1.° enim ex ostensis *c.* 6. §. 2. *prop.* 2. *pag.* 322., *et sequ.*, cuivis Christi actioni, ac passioni infinitus inerat valor. Quod cum ita sit, innumerabilibus ejus actionibus, passionibusque, et opprobriis, quibus saturari voluit, ut pro nobis satisfaceret, nedum aequivalenter, sed superabundanter satisfecisse, est dicendum: Ita igitur. 2.° quia quantum Deus creaturam, tantum satisfactio hominis Dei omnem creaturae offensam superare concipitur; ac major ex satisfactione hominis Dei sese humiliantis, ac patientis redundans in Deum honor, quam sit dedecus ex peccato in eum redundans. Quod enim ita sit, potior plane dicendus ad Divinam Justitiam ab hominum peccatis excitatam placandam Deus homo se humilians, et patiens, quam potens fuerit ad illam excitandam purus homo adversus Deum se erigens: Magis ergo Christi humiliationibus, et passionibus tribuendum ad Divinam Justitiam ab hominum peccatis excitatam placandam, quam ipsa hominum peccata potuerint Dei Justitiam ad iram movere; quibus proinde nedum aequivalentem, sed et superabundantem satisfactionem Christum pro iis dedisse, consequens est. 3.° quia peccati malitia est infinita objective tantum, et extrinsece, ex infinitate scilicet Divinae Majestatis, quae per peccatum offenditur, quemadmodum cum D. Thoma diximus; at valor satisfactionum Christi infinitus est subjective, et intrinsece, ob unionem scilicet personalem Verbi Divini cum humanitate. Quod autem infinitum est subjective, et intrinsece, magis aestimatur, quam id, quod infinitum est objective, et extrinsece: Et valor igitur satisfactionum Christi magis aestimandus est, quam aestimanda sit peccatorum omnium malitia; pro quibus proinde nedum aequivalenter, sed et superabundanter Christum satisfecisse, magis, magisque perspicuum est. Demum consulantur quae scripsimus *cap.* 6. §. 2. *prop.* 2. *pag.* 323., *et sequ.*, ubi et iis respondimus, quae ex adverso objiciuntur. Sed et praeterea

Objic. 1.°, quod Christus oraverit, ut peccatorum veniam hominibus impetraret, *Pater* (inquiens Luc. 23.),

dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt. Quisnam autem precibus petit id, pro quo condignum pretium exsolvit? Nedum ergo satisfactio pro nobis a Christo exhibita dicenda non est superabundans, sed nec condigna, seu perfecta. 2.° quod ait Ap. ad Coloss. 1. *Adimpleo ea, quae desunt passionum Christi in carne mea.* Si autem illis aliquid deest, quorsum satisfactio per illas reddita perfecta, et superabundans? Non ergo ejusmodi, immo deficiens. 3.° quod quum creditor ipse dat sponsorem, qui loco debitoris illi satisfaciat, relaxatio habetur debiti, non vero stricta ejusdem satisfactio. Ita autem dicimus, quod nobiscum Deus se gessit, dum Filium suum misit, qui pro nobis satisfaceret: Deum ergo debitum nobis relaxasse, non vero strictam pro eo satisfactionem accepisse, est dicendum.

Sed resp. ad 1 m neg. cons.; tametsi enim satisfactio pro peccatis a Christo exhibita et perfecta, et superabundans fuerit, voluit tamen Christus peccatoribus veniam precibus exorare, tum ut ipsam satisfactionem interfectoribus applicandam impetraret, tum ut Mediatoris munus impleret, tum ut nobis daret orandi exemplum, tum denique, ut ipsa sua oratione eam quoque nobis impetraret, ac mereretur, ejusque oratio esset alia pro nobis submissio, et satisfactionis pars. Quibus accedit, omnia illi fuisse, quae postulabat, cum Patre communia, ipso teste apud Joannem, dum Patrem alloquens, *omnia* (inquit) *tua mea sunt.*

Ad 2.m dist. sequ. min.; quod nempe satisfactio pro nobis a Christo exhibita non esset perfecta, et superabundans, si illi aliqnid deesset ex parte Christi, non autem dum id, quod illi deest, est tantum ex parte carnis nostrae, quae affligenda, et castiganda est, ut merita Passionis Christi per conformitatem cum eo nobis applicentur. Sensit quidem Calvinus, per solam fidem illa nobis applicari. Eorum tamen applicationem per spem quoque, charitatem, poenitentiam, aliaque bona opera faciendam esse, Scripturae nos docent; ut quum inquiunt Matth. 3., quod *omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Et Luc. 3., quod *faciamus fructus dignos poenitentiae.* Et Jac. 2., quod nihil prodest, *si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, numquid enim poterit fides salvare eum?* Et ibidem, quod *fides sine operibus mortua est.*

Et c. 4. , quod *scienti bonum facere , et non facienti , peccatum est illi.* Fuit namque nostrae Redemptionis pretium perfecte , et superabundanter a Christo solutum ; sub hac tamen conditione , quod illius participes fiamus per bona opera , utque ait Ap. ad Rom. 8. , simus *cohaeredes Christi , si tamen compatimur , ut et conglorificemur.*

Ad 3 m dist. maj. ; quod nempe quum creditor ipse dat sponsorem , qui loco debitoris illi satisfaciat , relaxatio habetur debiti , non vero stricta ejusdem satisfactio respectu ipsius debitoris , non tamen respectu sponsoris , a quo plena , et stricta accipitur satisfactio. Hinc cum ita Deus nobiscum se gesserit , dum Filium suum misit, qui pro nobis satisfaceret , habetur simul , et quod misericorditer nobiscum se gessit , et quod a Christo plenam , ac strictam peccatorum nostrorum satisfactionem accepit.

Prop. II. Satisfactio pro nobis a Christo exhibita fuit ex propriis , atque ex alias indebitis. Ita communius, paucis immerico contradicentibus.

Prob. Et 1.° ex Scripturis , ubi satisfactio pro nobis a Christo exhibita designatur nominibus emptionis , redemptionis , pretii , aliisque id genus , ut 1. ad Cor. c. 6. , 1. Pet. c. 1. ; etc. . Haec autem vocabula aequalitatem rigorosae justitiae exprimendae vim habent ; nec Christi satisfactiones aequalitatem rigorosae justitiae attigissent , si non fuissent ex propriis , atque ex alias indebitis : Ejusmodi igitur.

2.° quia licet quaevis rationalis creatura teneatur Deo omne obsequium , omnemque reverentiam reddere , supposita tamen ipsius Dei ordinatione , ut mors sit peccati stipendium , profecto si creatura omnino innocens , ac vitae suae potestatem habens , mortem in Dei obsequium sponte oppetiat , ipsi id faciens exhibet quid proprium , nec alio titulo debitum. Hoc autem pacto mortem Christus sustinuit ; omnino enim innocens , ac vitae suae potestatem habens , illam sponte oppetiit , ut pro hominibus seipsum Deo victimam offerret : Pro nobis igitur moriendo obtulit Deo quid proprium , nec alio titulo debitum ; quo proinde ex propriis , atque ex alias indebitis eum pro nobis satisfecisse , consequens est.

3.° ideo dicitur , quod pura creatura nequit ex propriis satisfacere , tum quia valor omnium satisfactionum

purae creaturae oritur ex gratia, quae non est aliquid proprium ipsius creaturae, sed gratuitum Dei donum, tum quia, ut aliquis satisfaciat ex propriis, necesse est, ut id, quod in satisfactionem offert, sit sub ejus pleno dominio, quod nullis purae creaturae actibus, qui omnes subsunt Dei dominio, convenire potest. At 1.ª ratio, dum de Christo fiat sermo, non militat; etsi enim valor accidentalis ejus actuum fuerit ex gratia, eorum tamen valor personalis ab ejus Personae dignitate oriebatur: quo valore personali dicimus, eum pro nobis satisfecisse, idest non quatenus ejus actus fuerunt supernaturales et quoad motivum, et quoad principium, sed quatenus ejus actus fuerunt actus Personae Filii Dei sese per Naturam assumptam humiliantis, et deprimentis. Altera vero ratio infirma videtur; cum enim in satisfactione nullum dominium transferatur, sed solum per actus liberos tantum reddatur alteri honoris, quantum fuerit injuriae ei illatae pondus, ad satisfaciendum proinde ex propriis non requiritnr plenum dominium in id, quod datur in satisfactionem, sed tantum requiritur, ut actus satisfactorii sint liberi, seu in eos illud habeatur dominium, quod omne agens liberum in suos actus habet. Ita prae aliis advertit Suaresius *Disp.* 4. *sect.* 6., inquiens, quod cum per restitutionem reparandum sit damnum alteri illatum in bonis, ideoque agatur de rebus in alterius dominium transferendis, ad restituendum proinde secundum rigorem necesse est, ut id, quod in restitutionem datur, sit sub pleno dominio illius, qui restituit. At non item in satisfactione, per quam cum intendatur recompensatio injuriae alteri illatae per actus liberos, ideoque non agatur, nisi de actibus liberis, quibus alteri reddatur honor aequivalens illatae injuriae, ad satisfaciendum proinde secundum rigorem necesse non est, ut id, quod datur in satisfactionem, sit sub pleno dominio illius, qui satisfacit, sed illud sufficit dominium, quod cuivis operi libero est insitum. Quod cum in iis, quibus Christus pro nobis satisfecit, extiterit, in iis quoque extitisse quod necesse erat ad satisfaciendum secundum rigorem, ideoque ex propriis, consequens est. Cui accedit, quod cum eorum pretium prodierit, ut diximus, a Persona Verbi nemini subjecta, nullius etiam dominio subjiciebatur, sed erat sub ipsius Verbi dominio. En igitur 1.º satisfactiones Christi fuisse ex propriis.

Fuerunt autem et ex alias indebitis. Si enim justitiae, gratitudinis, ac religionis tituli valorem actuum Christi nec expostulabant, nec absorbere poterant, dicendum profecto, eum quoque ex alias indebitis satisfecisse. Ita autem res se habet, cum enim valor ille esset infinitus, perspicuum est, quod justitiae, gratitudinis, ac religionis tituli illum nec expostulabant, nec satis erant absorbere, ita ut ejusmodi actibus non potuerit et pro peccatis nostris satisfacere, et simul explere, quae justitia, gratitudo, et religio ab eo requirebant ob dona a Deo accepta, quae utpote in ejus humanitate recepta, quantumvis ingentia, et eximia, non erant demum, nisi finita: En igitur Christi satisfactiones nedum ex propriis, verum etiam ex alias indebitis. Accedit; quod licet in Christo caro operata fuerit quae carnis erant, et Divinitas quod erat ei proprium, utraque tamen Natura, et humanitatis scilicet, et Divinitatis, operata fuit in una Persona Dei Verbi *inconfuse*, *et indivise*; ex quo sequitur, spectanda in eo non esse opera carnis in seipsis, sed attendendam esse in illis aestimandis infinitam ejus Personae dignitatem. Erat autem haec a quovis debito immunis: Dum proinde in ligno pependit, dum sanguinem fudit, dum spiritum a corpore emisit, pretium hisce passionibus solvit Persona a quovis debito immunis; ideoque etiam ejus satisfactiones nedum fuerunt ex propriis, verum etiam ex alias indebitis.

Prop. III. Satisfactio pro nobis a Christo exhibita fuit, quantum sufficiebat, ad alterum. Ita etiam communius, paucis quoque immerito contradicentibus.

Prob.; quod enim obstare videtur, est, quod Christus sibi etiam, ut Deo, satisfecit, tum quia in Sacris Litteris dicitur nos Deo reconciliasse, ut ad Rom. 5., quodque fuerit Mediator Dei, et hominum, ut 1. ad Tim. c. 2., ubi nomen *Dei* absque restrictione sumptum Christum quoque complectitur; tum quia non minus Patris, et Spiritus Sancti, quam sui ipsius Majestas, quatenus Deus, fuerat per peccatum laesa; tum demum quia non minus Patris, ac Spiritus Sancti, quam sui ipsius voluntas, quatenus Deus, erat peccatoribus irata. Id autem non obstat, quin dicatur, quod satisfactio pro nobis ab eo exhibita fuerit, quantum satis fuit, ad alterum, quamvis enim realiter non sit alter a Verbo, quatenus tamen satisfecit, satis considerari potest ab ipso

Verbo distinctus ; tum scilicet propter Naturam , voluntatem , et operationes humanas , quibus pro nobis satisfecit , quae realiter distinguebantur a Natura , voluntate , et operationibus Dei Verbi, tum propter dominium ejus voluntatis humanae in ejus operationes humanas , quo domnio realiter distincto a Dei Verbi dominio in suas operationes Divinas impendit pro peccatis nostris totum , quod impendit , nobisque peccatorum veniam , justificationis gratiam , aliaque id genus parabat : Nemo ergo non videt , satisfactionem pro nobis a Christo exhibitam fuisse etiam , quantum satis fuit, ad alterum. Sic Ærarii publici Minister suam solvendo quotam , eam , quantum satis est, alteri solvit, quia licet realiter non sit alter ab Ærarii publici Ministro, quatenus tamen eam solvit , satis considerari potest ab ipso distingui ; est enim, quatenus solvit, persona privata , quatenus vero Ærarii publici Minister , est persona publica , quae duo sunt realiter inter se distincta ; itemque solvit , quatenus bonorum suorum dominus , quae realiter distinstinguntur a bonis Reipublicae , cujus est Minister. Sic etiam tutor , qui creditor sit pupilli , potest pupilli nomine sibi ipsi satisfacere. Æque ergo Christus , quatenus homo , poterat sibi ipsi , quatenus Deo , satisfacere ; ob distinctionem namque unius Naturae ob altera , vindicabat sibi et Divinitatis , et humanitatis jura.

§. IV.

De Christi Sacerdotio , nec non illi attributo Mediatoris munere.

Quod nedum metaphorice , et improprie ad sensum Socinianorum, sed vere etiam , et proprie fuerit Christus Sacerdos , ac Mediator , et quomodo , id demum est, quod in hoc cap. videndum superest. Etiam namque Sociniani admittunt , quod Christus dicendus sit Sacerdos , quia Sacra nos docuit , ac preces pro nobis fudit , et fundit ; Mediator vero , tum quia voluntatis Dei nobis Interpres, tum quia Advocatus, et intercessor noster apud Patrem. Nedum tamen his modis , sed praeterea , et maxime Sacerdotem ,ac Mediatorem dicendum esse sensu infra explicando , docet fides catholica ; juxta quam sit

Prop. I. Christus fuit , atque est vere, et proprie

Sacerdos ob sacrificium, quod in Ara Crucis pro nobis de seipso obtulit, quodque sub speciebus panis, ac vini obtulit in ultima cum discipulis suis coena, et quotidie offert per Sacerdotum ministerium. Fuitque, et est Sacerdos secundum Naturam humanam quidem, sed quatenus Divina subsistentia subsistentem. Prima pars est de fide: altera communis.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex eo, quod Apostolus de Christo ait ad Heb. 7. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior Coelis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi, hoc enim fecit semel seipsum offerendo*: quodque ipse est *secundum similitudinem Melchisedech alius Sacerdos . . . per eum, qui dixit ad illum: Iuravit Dominus, et non poenitebit eum: Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Quid clarius, quam quod ideo maxime Sacerdos, quia seipsum in Ara Crucis sacrificium Deo obtulit, id enim est, quod fecit *semel*; et quia juxta ritum Melchisedech idem Deo obtulit sacrificium in ultima illa Coena per seipsum, idemque illi pergit quotidie offerre per Sacerdotum ministerium sub speciebus panis, et vini?

2.° ex eo quod Sacerdos vere, et proprie ille dicitur, qui legitima auctoritate deputatus est ad offerendum Deo Sacrificium proprie dictum; praecipuum namque Sacerdotis munus esse sacrificium pro hominibus offerre, expresse Apostolus docet c. 5. ad Heb. *Omnis Pontifex* (inquiens) *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis.* Et c. 8. *Omnis Pontifex ad offerendum munera, et hostias constituitur.* Ex ostensis autem §. ant. prop. 3. Christus in Ara Crucis seipsum Sacrificium pro nobis obtulit; fuitque ad id ab ipso Deo Patre missus, ut l. cit. c. 5. Apostolus subdit: *Nec quisquam* (inquiens) *sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te*: Cum enim Deus, ut diximus, ab ipsis peccatoribus potuisset eorum delictorum poenas repetere, opus fuit, quod ipse Deus eum mitteret, ut peccatorum loco seipsum sacrifi-

cium offerret : Cum ergo seipsum in Ara Crucis sacrificium pro peccatoribus obtulerit, fueritque ad id ab ipso Deo Patre missus, seu deputatus; dicendum profecto, quod fuit in Ara Crucis nedum victima, sed et victima, et Sacerdos.

Objicitur hic, quod cum Sacerdotis sit proprium victimam immolare, ut Christus proinde in Ara Crucis esset Sacerdos, necesse fuisset, quod ipse se immolasset, seu occidisset. Immolatus autem fuit, et occisus, non ipse se immolavit, seu occidit : Neque igitur Sacerdos.

Sed resp. dist. min.; quod ipse nempe se non immolavit, seu occidit physice, utique tamen ipse se immolavit, seu occidit moraliter, quatenus ipse voluit immolari, et occidi, utque ex plagis sibi inflictis mors consequeretur. Hinc dixerat Jo. 10. *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a meipso*; quia nempe ipse per se animam suam in Cruce sejunxit a corpore, ipseque, non tortores, sibi vitam eripuit. Hinc quoque, ut legitur Marci 15., *clamans voce magna emisit spiritum* (ubi non legitur *amisit*, ut de hominibus dicendum est; immo alius Evangelista adhibuit verbum *tradidit*), ut nempe ostenderet, non vi dolorum obire, sed proprio nutu : quod sane adstantes adeo cognovere, ut videns Centurio, quia sic clamans expirasset, ait : *Vere hic homo Filius Dei erat.*

Probandum modo superest, Sacerdotii quoque munere functum esse, etiamque fungi, dum in ultima cum discipulis suis Coena se obtulit, ac deinde per Sacerdotum ministerium quotidie se offert sub speciebus panis, et vini. Verum namque, et proprie dictum Sacrificium tunc obtulisse, et quotidie offerre per Sacerdotum ministerium, declaravit, ac definiit Tridentinum *sess.* 22. *c.* 1., *et can.* 1., ac nos ostendimus *in tract. De Euch. c.* 8.; intelligitur enim, ut ibi disseruimus, per sacrificium vere, et proprie dictum *oblatio rei sensibilis simul cum ejus destructione Deo facta per legitimum Ministrum ad recognoscendum supremum ejus in omnes creaturas dominium.* Porro dum in ultima illa Coena se obtulit, ac deinde per Sacerdotum ministerium quotidie se offert sub speciebus panis, et vini, adfuit, atque adest *oblatio rei sensibilis*, ejus nempe Corporis, et Sanguinis sub speciebus panis, et vini, quod antiquarum victimarum instar super Altari constituitur. Haec vero oblatio tunc fa-

cta fuit per ipsum Christum, cui Deus Pater cum jurejurando dixerat, teste Apostolo ad Heb. c. 7. *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*: modo autem Deo fit *per Ministrum legitimum*, fit namque per Sacerdotem, qui est Minister ad id consecratus, et deputatus ab Ecclesia ex ipsius Christi institutione, cum ait, eodem teste 1. ad Cor. c. 11. *Hoc facite in meam commemorationem.* Oblationem quoque comitatur *destructio*, seu immolatio; cum enim vi verborum sub speciebus panis constituatur solum Corpus, et sub speciebus vini solus sanguis, etsi enim totus Christus sub utraque specie reperiatur, totus tamen sub utraque specie reperitur non *vi verborum*, sed *per concomitantiam*, hinc en mystica separatio Corporis a Sanguine, vivaque simul repraesentatio illius realis separationis, quae Passionis tempore acccidit. Sive, ut Fromondus loquitur, cum seorsim consecretur et substantia panis, et substantia vini, *si vi verborum* proinde stemus, sub speciebus panis constituitur Christi Corpus, velut exsangue, et mortuum, et Sanguis dumtaxat sub speciebus vini. Qua ratione recognoscitur denique *supremum Dei in omnes creaturas dominium*, cum in ejus honorem ipse ejus Filius constituatur in quodam mortis statu; quod per futuram Sacerdotis, aliorumque cum eo participantium multo magis completur, fuitque similiter completum in ultima illa Coena per ipsius Christi, ejusque discipulorum sumptionem: Patet igitur, Sacerdotii munere functum esse, etiamque fungi, dum in ultima illa Coena se obtulit, ac deinde per Sacerdotum ministerium quotidie se offert sub speciebus panis, et vini. Hinc dictus fuit Sacerdos *secundum ordinem Melchisedech*, solus enim hic legitur Gen. 14. Sacrificium Deo obtulisse in pane, et vino: Sacerdos vero *in aeternum*, non quoad actum, sed quoad effectum, et repraesentationem pretii semel oblati, *una enim oblatione* (ut ait Ap. ad Heb. 10.) *consummavit in sempiternum sanctificatos*. Ait vero Tridentinum l. cit., cumque eo et nos diximus, *per Sacerdotum ministerium*, non enim Christus Successores in Sacerdotio habet, sed tantum Ministros, per quos ipsemet Patri se offert; unde ait Apostolus 1. ad Cor. c. 4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi.* Et ad Eph. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos*, . . *alios autem Pastores, et Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii*: quos

proinde *Sacerdotes Ministeriales*, ut loquitur Ludovicus Habert De Incarn. c. 16. §. 2., potius quam Christi successores appellandos esse, consequens est.

Prob. 2. pars, Sacerdotii scilicet munus exercuisse, et exercere, non, ut Deum, sed, ut hominem; non enim 1.° nisi, ut homo, potest compati infirmitatibus nostris, fuitque tentatus per omnia pro similitudine absque peccato. Sub tali autem respectu Sacerdos ab Apostolo dicitur ad Heb. 4. illis verbis: *Habentes ergo Pontificem magnum . . . Iesum Filium Dei, teneamus confessionem. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*: Patet ergo propositum. 2.° quia, ut Sacerdos, semetipsum in victimam Deo obtulit, et quotidie offert, juxta ejusdem Apostoli verba: *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex . . . qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi, hoc enim fecit semel seipsum offerendo.* Quod et iterum, atque iterum repetit in eadem epistola. Porro non, ut Deus, sed, ut homo tantum, potuit, ac potest seipsum in victimam offerre: Neque ergo, ut Deus, sed, ut homo tantum, Sacerdos. 3.° quia Sacerdos, quatenus Sacerdos, seu quatenus Deo Sacrificium offert, necesse est, quod Deo, cui offert Sacrificium, sit inferior. Christus autem, non, ut Deus, sed, ut homo tantum, est Deo inferior: Rursum ergo non, ut Deus, sed, ut homo tantum, Sacerdos.

Diximus tandem, fuisse, atque esse Sacerdotem secundum Naturam humanam quidem, sed quatenus Divina subsistentia subsistentem; a Persona enim Dei Verbi, qua subsistit, meritum, ac valorem suum Christi sacrificium hausit.

Prop. II. Christus fuit, atque est Mediator Dei, et hominum, maxime quia sanguinis sui pretio nos Deo reconciliavit, ac semper interpellat pro nobis. Idque nec **juxta solam Naturam humanam, ut ait Stancarus Mantuanus; nec juxta solam Naturam Divinam, ut placuit quibusdam ex Lutheranis; nec juxta utramque Naturam simul, ut deliravit Calvinus: sed quatenus homo Deus; ita ut Natura humana agnoscenda sit principium *quo*, et Persona Dei Verbi principium *quod* Mediationis Christi. Prima pars est de fide; altera communis.**

Prob. 1. pars. Et 1.° ex Apostoli verbis 1. ad Tim. c. 1. *Unus enim Deus, unus et Mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus: qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Utque addit ad Heb. 7. *Salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Quid item clarius, quam quod ideo maxime Mediator, quia sanguinis sui pretio nos Deo reconciliavit, ac modo sedens a dextris Dei semper interpellat pro nobis? Hinc ait quoque D. Joannes ep. 1. c. 2 *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum: et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

2.° quia Mediator in stricto sensu ille dicitur, ut ait D. Thomas, in quo junguntur extrema; et talis fuit Christus, in quo Deus, et homo una sunt Persona: nec non ille, qui medius fit inter partes dissidentes, ut eas reconciliet. Christus autem ex ostensis §. ant., persoluto pro nobis sanguinis sui pretio, poenisque nobis debitis se substituendo, ac Deo Patri seipsum hostiam, et sacrificium expiationis pro nobis offerendo in Ara Crucis, nos Deo reconciliavit; ac modo etiam semper vivens ad interpellandum pro nobis, ut ait Ap. l. cit., advocatum pro nobis agit, ut l. cit. ait D. Joannes, apud Patrem, ut peccatis nostris propitietur: Stricto igitur sensu Mediator noster est dicendus; ejusmodi scilicet, quia sanguinis sui pretio nos Deo reconciliavit, ac semper interpellat pro nobis.

Prob. 2. pars; ut enim nos Deo reconcialiaret, necesse fuit ex ostensis §. 1. prop. 2., ut condignam Deo satisfactionem pro nobis redderet. Hanc autem reddere non potuit per solam Naturam humanam, tum quia in nostrae Redemptionis negotio non debet humanitas considerari a Divinitate sejuncta, tum quia humanitas impar ex se erat, ut ejus actionibus, et passionibus pretium Redemptioni nostrae necessarium tribueret. Hinc D Aug. in Enchir. c. 108., *Neque per ipsum* (inquit) *liberaremur unum Mediatorem Dei, et hominum Christum Jesum, nisi esset et Deus.* Neque etiam reddere illam potuit per solam Naturam Divinam; cum enim haec nec subjici, nec pati per se potuerit, neque etiam per se orationes, obedientiam, Sacrificium Crucis, ac caetera Mediatoris officia elicere potuit, sed per Naturam assumptam, ita ut hujus fuerint *elicitive*, ac simul Persona Dei Verbi exequendo quae carnis erant, pretium, valo-

rem, ac dignitatem illis tribueret. Hinc neque etiam reddere illam potuit per utramque Naturam, cum neutiquam Natura Divina obire per se potuerit praefata Mediatoris munera, tamquam principium *quo*, seu elicitivum: Superest ergo, ut dicendus sit Mediator noster, quatenus homo Deus, ita ut Natura humana agnoscatur, tamquam principium *quo*, et Persona Dei Verbi, tamquam principium *quod* ipsius Mediationis.

TRACTATUS IV.

De Incarnationis Mysterio inter Theologos.

Iam tractatio de Incarnatione Verbi Divini scopulos praetervecta est; Judaeis namque, Haereticisque devictis, quaestiones tantum supersunt, quas Scholis placuit praeterea submovere. Quaenam autem hae sint, ex infra dicendis patebit.

CAPUT I.

An ad opus Incarnationis fuerit Deus ab ejus Sapientia, et Bonitate certo, atque infallibiliter inductus?

Fuit haec Leibinitii sententia in suis *Theodiceae tentaminibus*; cui et Wolfius, et Bulfingerus, et Clarckins deinde adhaeserunt. Contra quos sit

Prop. Praefatum Leibinitii placitum, quod Deus ad Incarnationis opus certo, atque infallibiliter inductus fuit ab ejus Sapientia, et Bonitate, ad Wiclefi errorem accedit.

Prob. Fuit Wiclefi error, quod Incarnationis opus fuerit absolute necessarium. Ejusmodi autem dicendum esset, si Deus ad illud certo, atque infallibiliter inductus esset ab ejus Sapientia, et Bonitate; 1.° enim cum Dei Sapientia, et Bonitas sit ipse Deus, idem proinde dictu est, Deum ad Incarnationis opus certo, atque infallibiliter inductum fuisse ab ejus Sapientia, et Bonitate, ac illud fuisse ipsius Dei emanationem eo fere modo, quo Verbi generatio, ac Spiritus Sancti processio. Et sane, ut diximus *l.* 2. *De Trinit.*, Dei Sapientia

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.°, quod cum nihil esse possit absque ratione sufficienti, ad Incarnationis quoque opus induci Deus debuit a rationibus sufficientibus. Has autem praevalentes esse debuisse, ex eo patet, quod secus non haberetur ratio sufficiens, cur Verbum potius caro factum sit, quam non: illas vero fuisse ejus Sapientiam, et Bonitatem ex eo, quod nihil Deus operatur ad extra, nisi, nisi duce Sapientia, et ob motiva Bonitatis; ac tandem certo, et infallibiliter ab illis inductum fuisse, ut caro fieret, ex eo quod, nisi Deus operatus esset id, ad quod inducebatur a rationibus sufficientibus, et praevalentibus suae Sapientiae, et Bonitatis, nec summe bonus, nec summe sapiens fuisset: Patet ergo, quod ad id opus a rationibus sufficientibus, et praevalentibus sui ipsius Sapientiae, et Bonitatis certo, et infallibiliter inductus fuit.

Resp. 1. dist. maj.; quod nempe cum nihil esse possit sine ratione sufficienti, induci Deus debuit ad Incarnationis opus a rationibus sufficientibus, quae se habuere ex parte ipsius arbitrii, non vero, quae se habuerint ex parte ipsius operis, seu Incarnationis: nihil enim quidem absque ratione sufficienti; sed quum agitur de agentibus liberis, haec ratio sufficiens tota se habet ex parte arbitrii ipsius agentis, non vero ex parte operis, seu objecti. Porro Deus in Incarnationis opere fuit, quemadmodum nempe in omnibus operibus ad extra, Agens liberum; cum enim sit summum, et infinitum Bonum, se solum necessario amat, ac nihil extra se necessario expetit, nec aliud discrimen est inter hominum, Deique libertatem in operibus ad extra, quam quod nostra quidem, non tamen Dei libertas deflectere umquam potest ab eo, quod est rectum, et bonum: quodque nostrae libertatis origo est appetitus beatitudinis, idest perfectae felicitatis, unde oritur, quod cum nullum bonum finitum, immo nec infinitum, dum hanc mortalem vitam transigimus, utpote abstractive cognitum, ejusmodi appetitum expleat, perfecta idcirco indifferentia erga quodvis bonum fruimur; in Deo autem libertatis origo quoad opera ad extra ipsa est ejus beatitudo, unde oritur, quod cum sit sibi sufficientissimus, nequit, nisi indifferentissime, se habere erga quodvis aliud sibi extraneum.

2.° neg. min ; ad eligendum namque unum prae alio requiruntur rationes praevalentes, ne electio scilicet sit insipiens ; non vero ad volendum aliquod simpliciter, ad quod tantum requiritur objecti bonitas, seu ut objectum sit bonum. Hinc si e tot mediis, quibus Deus potuisset homines redimere, Incarnationem elegit, eam quidem elegit ob rationes praevalentes, ut mirabilius nempe ejus perfectiones emicarent, ejusque praesertim Misericordia simul, et Iustitia; ut vero eam simpliciter vellet, satis fuit ipsius operis praestantia, quin simul nec ab illa ejus perfectionum manifestatione, nec ab ipsius operis praestantia certo, et infallibiliter determinari potuerit ad illud volendum, idque ob rationem supra allatam, quia, utpote sibi sufficientissimus, solo amore, quo seipsum diligit, ejus libertas constringitur; quare cum ejus Attributa idem cum eo sint, id solum proinde velle non potest, quod suis Attributis aliquatenus adversetur.

Ad id autem, quod additum est, dicimus, nihil quidem Deum operari ad extra, nisi duce sapientia, et bonitate ; ita tamen, ut si illud non operaretur, aeque sapiens esset, ac bonus, non vero ita, ut ejus Sapientia, et Bonitas illud opus postulent, nec, nisi seipsum negando, ab eo se abstineret. Hinc quoad ultimum, non esset Deus summe sapiens, et bonus, si id non efficeret, quod ejus Sapientia, et Bonitas essentialiter postulant, non vero quum id tantum non agit, sine quo aeque sapiens est, et bonus.

Objic. 2.°, quod cum absolute necessarium id dicatur, cujus oppositum absolute repugnat, seu contradictionem implicat, omnis proinde necessitas nonnisi a contradictione oriri potest. Ex eo autem, quod ad opus Incarnationis inductus Deus fuit certo, et infallibiter ab ejus Sapientia, et Bonitate, nulla sequitur contradictio, idest quod, nisi Verbum caro factum esset, idem simul fuisset, ac non : Neque ergo exinde ulla necessitas absoluta in ipsum opus redundat.

Resp. neg. min. ; quemadmodum enim, nisi Deus praeditus esset infinita Sapientia, et Bonitate, esset simul, et non esset Deus, ita si Dei Sapientia, et Bonitas certo, atque infallibiliter postulassent, Verbum carnem fieri, nec tamen Verbum caro factum esset, fuisset simul, et non fuisset Deus.

Objic. 3.° quod nullatenus migrare potest in necessarium quod in se est contingens. Est autem Incarnationis opus in se contingens: Tametsi ergo ad illud certo, et infallibiliter Deus inductus esset ab ejus Sapientia, et Bonitate, nullatenus in necessarium migrare potuit.

Resp. dist. maj; nullatenus nempe migrare posse in necessarium quod in se est contingens, ita ut natura transeat in necessarium, non vero ita ut respectu operantis necessarium esse nequeat. Sic quamvis peccatum, et mendacium sit actus in se contingens, quia tamen Deus ab ejus Sanctitate, et veracitate a peccando, et mentiendo retrahitur, non est contingens respectu Dei, quod non peccet, vel non mentiatur, sed est absolute necessarium.

Objic. 4.° ; quod licet Deo tribuenda sit libertas cujusvis imperfectionis expers, necesse tamen non est, majorem ei libertatem tribuere in operibus ad extra, quam ea sit, quae creaturis rationalibus convenit. Hae autem, quamvis certo, et infallibiliter ad agendum determinentur a rationibus sufficientibus, et praevalentibus, libere tamen agunt: Et Deus igitur, quamvis certo, et infallibiliter ab iisdem inductus fuerit ad Incarnationis opus, liber nihilominus in eo fuit.

Resp. 1.° neg. maj.; cum enim creaturae rationales non sint sibi sufficientes, suamque beatitudinem quaerere extra se cogantur, etsi idcirco in electione boni, quod non sit infinitum intuitive cognitum, plena libertate fruantur, eadem tamen libertate, qua Deus, non sunt praeditae quoad ejus appetitionem, ipsae enim necessario inclinant erga quodvis bonum perceptum, et quidem magis, prout major fuerit boni perceptio; Deus vero, utpote sibi sufficientissimus, nullam patitur, vel pati potest erga aliquod extra se necessariam inclinationem. 2.° etiam neg. min.; cum enim libertas illa sit facultas, qua possumus aeque velle objectum in iisdem quoque adjunctis, in quibus illud volumus, si proinde ad volendum certo, et infallibiliter determinaremur a rationibus sufficientibus, et praevalentibus, quae se haberent ex parte objecti, non vero ex parte ipsius voluntatis, nulla amplius superesset libertas.

CAPUT II.

An in hypothesi creationis Mundi fuerit necessarium, quod Deus homo fieret?

Fuit haec prius Raymundi Lulli, dein vero Mallebranchii sententia (*Traitè de la nat., et de la grace Discours 2. art. 50*), in hoc a sententia Leibinitii differens, quod Leibinitius dixerit, tam ad creandum, quam ad creandum optimum, ideoque ad opus etiam Incarnationis certo, et infallibiliter Deum inductum fuisse ab ejus Sapientia, et Bonitate: Mallebranchius vero ultro concedit, Deum potuisse a creando se abstinere, ac solum contendit, quod in hypothesi creationis Mundi liber non fuit ad producendum opus minus perfectum; qualis haec rerum Universitas fuisset absque Deo homine. Sit tamen

Prop. Mallebranchii placitum, quod in hypothesi creationis Mundi fuerit necessarium Incarnationis opus, nec cum fide, nec cum ratione cohaeret.

Prob. 1. pars; fides enim docet, et quod opus Incarnationis a mera Dei Bonitate, et Misericordia erga homines agnoscendum est; et quod Deus in omnibus operibus ad extra, e quorum numero est opus ipsum Incarnationis, perfectissima libertate fruitur; et demum quod omne opus supernaturale, cujus quoque generis, immo omnium praecipuum, et maximum, fuit Verbi Dei Incarnatio, omnium creatarum rerum exigentiam superat. In hypothesi autem Mallebranchii, non quidem Bonitatis, et Misericordiae Dei erga homines consequens fuisset Verbi Dei Incarnatio, sed ipsius Mundi creationis; nec Deus in ejusmodi opere, quamvis ad extra, fuisset liber; nec demum Incarnationis opus, omnium operum supernaturalium praecipuum, et maximum, fuisset praeter creatarum rerum exigentiam, sed de earum exigentia: Cum fide igitur Mallebranchii placitum non cohaerere, perspicuum est.

Prob. 2. pars; haec enim Incarnationis necessitas in hypothesi creationis Mundi vel petenda esset ab ipsius Mundi essentia, vel ab ejus necessaria connexione cum Dei gloria sive accidentali, sive essentiali; vel demum ab ejus necessaria connexione cum immutabili rerum ordine. At non 1.m, quaenam enim in Mundi essentia sufficiens ratio, quod Deus homo fieret? Non 2.m, nam gloria

Dei accidentalis constituitur per hoc, quod creata omnia suas perfectiones manifestent, quodque a creaturis intelligentibus cognoscatur, laudetur, ametur. Ejusmodi autem gloria Deus non eget, utpote sibi sufficientissimus, nec scilicet quod ejus perfectiones magis, vel minus manifestentur, nec quod a creaturis intelligentibus magis, vel minus cognoscatur, laudetur, ametur. Ejus vero gloria essentialis ipsa est sui comprehensio, et amor; quae ambo tantum abest, ut necessario postulassent Incarnationis opus in hypothesi creationis Mundi, ut potius Deus comprehendendo ejus essentiae plenitudinem, omnemque beatitudinem inveniendo in amore sui ipsius, omnino indifferens constituatur erga quaevis opera ad extra, nec possit ulla necessitate ad aliquid extra se expetendum ferri, utpote aeque beatus, et perfectus, ac sui ipsius amore perfecte, et adaequate expletus sive cum, sive absque rebus extra se; nec non sive magis, sive minus, dum eas producere decreverit, ejus Attributa res creatae exprimant: Neque igitur Incarnationis necessitas in hypothesi creationis Mundi peti ullatenus potest ab ulla ejus necessaria connexione cum Dei gloria sive accidentali, sive essentiali. Nec denique 3.m; id enim immutabilis rerum ordo, a quo voluntas Divina nequit recedere, exigit, ut Deus operando ad extra creaturas intelligentes ab ejus cultu nequeat eximere, quia id repugnaret ordini immutabili; ut minus perfecta referat ad perfectiora, non enim secus haberetur ordo, sed deordinatio; ut demum nequeat opus producere ejus perfectiones nullo pacto exprimens, quia opus ejus perfectiones nullo pacto exprimens esset undequaque malum, quidquid enim extra Deum boni est, oportet, quod sit quaedam ejus perfectionum participatio; utque undequaque malum, hoc ipso etiam esset ordini dissentaneum, non enim ingredi in ordinem potest, quod omni ex parte sit malum. Nemo autem est, qui non videat, quod etiam absque Incarnatione et creaturae intelligentes ad Dei cultum tenebantur; et minus perfecta referebantur ad perfectiora; erantque demum ad manifestandas Dei perfectiones omnia suo modo apta, et idonea: Patet ergo, quod Mallebranchii placitum nec cum fide, nec cum ratione cohaeret.

*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° , quod omnia propter semetipsum , suam scilicet gloriam , operatum fuisse , et operari Deum ad extra, testis ipse est Prov. 16. ; immo quod alium finem in operibus ad extra sibi nequeat praestituere , omnes consentiunt , cum nihil aliud praeter seipsum sit Deo dignum. Gloriam autem ejus Majestati proportionatam parere non poterat , nisi Deus homo : In hypothesi igitur creationis Mundi necessarium dicendum est , quod Deus homo fieret. Accedit, quod, ut Mundus esset ad Dei gloriam, necesse profecto erat , ut ad eum referretur. Excluso autem ab ejus compage Incarnationis opere , ad Eum referri non poterat, tum quia nulla est , nec esse potest proportio , ideoque et relatio finiti ad infinitum : tum quia Mundus absque Deo homine nonne aliud , quam quid profanum ? Opus autem profanum indignum fuisset, quod ad Deum , cujus natura sanctitas , referretur : Non igitur , Incarnationis opere excluso , esse poterat Mundus ad Dei gloriam.

Resp. 1.° dist. maj ; quod nempe omnia propter seipsum operatur Deus ad extra hoc sensu , quod omnia operatur , nec operari potest , nisi ad manifestandas sui ipsius perfectiones ; non vero hoc sensu , quod propter suam utilitatem operetur , cum sibi sufficiat , nec ullius rei extra se egeat. 2.° dist. etiam min. ; quod nempe gloriam ejus Majestati proportionatam parere non poterat , nisi Deus homo . quam tamen Deo necesse non fuit in Mundi molitione sibi finem praestituere ; non vero quam sibi finem praestituere necessarium fuisset, cum nullatenus , ut diximus , ullius rei extra se egeat , utpote sibi sufficientissimus.

Ad id vero, quod additum est , resp. neg. min. ; et ad ejus probationem dist. quoad 1.m ; quod nempe nulla est , ac esse potest proportio *entitatis* finiti ad infinitum; non vero proportio *habitudinis*, prout effectus ad causam, creaturae ad Creatorem , subditi ad Dominum , etc. . Hujus porro generis asserimus esse proportionem , quam Mundus habet ad Deum : quem proinde ad ejus gloriam referri , ejusque gloriam enarrare , ab ipso etiam abstrahendo Incarnationis opere , nemo est , qui non videat. Quoad 2.m dist. etiam maj.; quod Mundus absque Deo homine fuisset aliquid profanum hoc sensu, quod nihil in

eo fuisset praeter rerum creatarum exigentiam; non vero hoc sensu, quod non fuisset ordini immutabili conformis. Ut autem ordini immutabili conformis, utique absque Incarnationis opere dignus etiam fuisset, ut ad Deum referretur, ejusque gloriae enarrandae esset idoneus.

Objic. 2.° D. Aug., qui non uno in loco docet, Deum meliora, et nonnisi meliora operari posse, ut l. 3. De lib. arb. c. 5. *Quidquid* (inquiens) *tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum, tamquam bonorum omnium Conditorem.* Item l. de quantitate animae c. 33. *Iustitia summi Dei factum est, ut non modo sint omnia, sed ita sint, ut omnino melius esse non possint.* Et l. 1. cont. adversarios legis, et Proph. c. 14. *Usque adeo desipiendum est, ut homo videat aliquid melius fieri debuisse, et hoc Deum vidisse non putet; aut putet vidisse, et credat facere noluisse; aut voluisse quidem, sed minime potuisse?* In hypothesi autem creationis Mundi, non fuisset hic quid melius, si Deus homo defuisset: In ejus igitur creationis hypothesi, necesse fuit, quod Deus homo fieret.

Resp. dist. maj.; Deum nempe meliora, et nonnisi meliora operari posse in ordine ad bonum Universi, ac finem, quem intendit; non vero absolute, ac ita ut nequeat efficere, nisi quod ejus perfectiones maxime exprimat. In primo autem, non secundo sensu locutum fuisse D. Augustinum, patet 1.° ex ejus scopo; cum enim Manichaei ex malis, quae in hoc rerum ordine deprehenduntur, malum quoddam principium arguerent, ajebat contra eos S. Doctor, quod mala ejusmodi Deus permittendo adeo de illis bona fecerat, ut melius fuerit illa permisisse, quam non: *Melius* (inquiens in Enchir. c 27.) *judicavit de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere*: ac 2.° ex eo quod ait tum *in eodem Enchir.* c. 95., quod multa a Deo effici adhuc potuerunt, quae non fecit; tum *l. 3. de lib. arb. c.* 5., quod adhuc Deus esset a nobis laudandus, etsi pauciores perfectionis gradus nobis largitus esset: ex quo utroque loco sequitur, non semper a Deo fieri absolute optimum, hoc enim posito, et nihil posset amplius efficere praeter quae fecit, et nobis tot perfectionis gradus conferre debuisset, quot poteramus suscipere.

Objic. 3.°, quod cum Deus necessario seipsum amet, ejusque Attributa idem realiter cum eo sint, haec quoque necessario amare, est dicendum. Quod cum ita

sit, illa profecto debet, quoad fieri potest, exprimere operando ad extra; nec illa taliter expressisset in Mundi creatione, nisi Incarnationis opus decrevisset: Istud igitur cum Mundi creatione simul decrevisse, ideoque in hypothesi ipsius creationis necessarium fuisse Incarnationis opus, consequens est.

Resp. neg. min.; ex amore enim, quo Deus sua Attributa prosequitur, illud tantum consequens est, quod eadem negare nequit; non vero, quod in omni opere ad extra eadem quammaxime exprimat, cum, utpote sibi sufficientissimus, nihil prorsus egeat ullius rei extra se.

Objic. 4.°, quod si e Mundi compage exclusisset Deus Incarnationis opus, magis sibi complacuisset in opere minus perfecto, quam in opere perfectiori. Id autem et contra suam sapientiam, et contra immutabilem rerum ordinem fuisset: Non ergo potuit in hypothesi creationis Mundi Incarnationis opus ab eo excludere. Accedit, quod Mundus finitus, qualis omnino fuisset absque Deo homine, impar quoque omnino erat infinitae Dei perfectioni exprimendae. In opere autem omnino impari ejus perfectioni exprimendae nullatenus sibi Deus complacere poterat, quin seipsum negaret: Neque ergo illud, quin seipsum negaret, condere poterat; ac proinde in hypothesi creationis Mundi necessarium omnino fuit, quod Deus homo fieret.

Resp. neg. sequ. maj; cum enim complacentia habeat pro objecto opus in se spectatum, non vero, prout possibile, vel actuale, ex eo idcirco, quod Deus magis sibi complaceat in opere perfectiori, quam in opere minus perfecto, non sequitur, quod necessario debuerit operi perfectiori, cujus non egebat, utpote sibi sufficientissimus, actualitatem conferre. Sic Artifex, qui e duobus operibus minus perfectum efficiat, perfectiore omisso, quia hujus non eget, nequit profecto vel de insipientia, vel de deordinatione argui, quasi in opere minus perfecto magis sibi complacuerit. Ad id vero, quod additum est, resp. dist. min., quod nempe in opere, quod nullatenus Dei perfectiones exprimat, nullatenus quoque Deus sibi complacere potest, quippe quod ejusmodi opus, ut diximus, esset undequaque malum; non vero in opere, quod ejus perfectiones, licet modo finito, exprimat, hoc ipso enim ejusmodi opus est bonum, tametsi finitum.

Objic. 5.°, quod inter quemvis effectum, et actio-

nem, qua productus fuit, proportio esse debet. Actio autem, qua Mundus e nihilo prodiit, Divina fuit; et perfectissima; nec Mundus ei respondisset, si exclusisset Incarnationis opus: Non igitur illud exclusisse, ideoque in hypothesi creationis Mundi necessarium fuisse, quod Deus fieret homo, est dicendum.

Resp. dist. maj.; quod nempe inter quemvis effectum, et actionem, qua productus fuit, proportio esse debet in creatis, omnis quippe effectus eo ipso, quod rationem sufficientem habet in actione causae, debet quoque esse ejus actioni adaequate proportionalis. In Divinis tamen subdistinguendum est, quod nempe inter effectum, et actionem, qua productus fuit, adesse debet proportio *habitudinis* in hoc consistens, quod effectus tot Divinarum perfectionum gradus manifestet, quot ab eo manifestari Deus voluit; non vero *entitatis*, ita ut effectus ejusdem sit perfectionis cum actione, qua productus fuit, cum enim quaevis Dei actio ipse sit Deus, est id proinde adeo impossibile, quemadmodum impossibile est, ut alter a Deo adsit Deus.

Objic. 6.°, quod Agens perfectissimum, qualis Deus est, nequit, nisi optimum, efficere. Hujusmodi autem non esset Mundus absque Deo homine: Rursum ergo in hypothesi creationis Mundi necessarium fuisse, quod Deus fieret homo, est dicendum.

Resp. dist. maj.; quod nempe Agens perfectissimum, qualis Deus est, nequit, nisi optimum efficere, dum ex necessitate agat, prout generans Verbum, et Spiritum Sanctum producens; dumque agat libere, nequit quoque, nisi optimum efficere, relative ad consilium, et finem sibi praestitutum: at non item, dum agat libere, nequit efficere, nisi optimum absolute, et in omni genere; quemadmodum enim potuit non facere, quae fecit, ita quot voluit perfectionis gradus creatis rebus conferre, tot quoque illis perfectionis gradus contulit. Accedit, quod cum Divinarum perfectionum manifestatio, quae fieri potest per quaslibet creaturas possibiles, numquam possit esse talis, ac tanta, quae ad aequalitatem pertingat, tantum proinde abest, quod Deus creando debuerit absolute, et in omni genere optimum efficere, ut potius ejusmodi optimum fuerit etiam, sitque adeo impossibile, quemadmodum impossibile est, ut creatum quoddam adaequate exprimat Ens increatum.

CAPUT III.

An opus Incarnationis fuerit Deo conveniens?

Advertendum primum est, aliquid conveniens rei esse posse intrinsece, vel extrinsece. Intrinsece scilicet rei conveniens dicitur, quod illam perficit, et aliquatenus complet. Extrinsece vero, quod illi affert decus quoddam extrinsecum, quo non indiget. Porro quod opus Incarnationis nec fuerit, nec potuerit esse Deo intrinsece conveniens, evidens est; cum enim Deus sit perfectissimus, nihil esse potest, quod ejus perfectionibus aliquid adjiciat, quo perfectior fiat. Superest igitur videndum, an illi saltem fuerit extrinsece conveniens; quare sit

Prop, Incarnationis opus ad salvandos e perditione homines fuit, extrinsece loquendo, tum in se, tum ratione modi, quo peractum fuit, Deo maxime conveniens. Ita communiter.

Prob. Extrinsece enim rei conveniens dicitur, quod illi affert decus quoddam extrinsecum, quin eo egeat. Ejusmodi autem Deo fuisse Incarnationis opus in se, spectatum, patet 1.° ex Scripturis, ubi vocatur Dei opus per excellentiam, ut Habacuc scilicet c. 2. *Domine, opus tuum in medio annorum vivifica illud*; nec non etiam Lucae 2. a B. V. illis verbis: *Fecit mihi magna, qui potens est.* 2.° ex eo quod in eo eluxit mirabiliter Dei Bonitas, tum Divinitatem suam maxime communicando, tum miserrimi hominis, *cui non erat adjutor*, redemptionem peragendo, cum enim condigna pro peccato satisfactio esset solvenda ex ostensis *tract. ant.* §.1.*c.* 7. *prop*, 2., conclamata, ac plane desperata fuisset hominis salus, nisi Verbum caro factum esset. Item ejus tum Misericordia, tum Iustitia, ex ostensis *l. cit.* §. 2; ac mirabiliter quoque Omnipotentia, ut enim disserit D. Greg. Nyss. orat. catech. c. 24., *Naturam Omnipotentem ad humanae naturae vilitatem potuisse descendere majus est potentiae argumentum, quam ingentia quaelibet, ac stupenda miracula. Etenim magnum aliquod, et excelsum elaborare Divinam potentiam, naturae quodammodo consentaneum est, ac proprium. At vero delapsus ille ad id, quod abjectum est, et humile, abundantia quaedam est potentiae, quae nec in illis quidem, quae sunt praeter naturam, impediri potest.* 3.° ex eo quod decorum,

et Dei clementiae apprime congruum erat, quod nedum mitiori poena animadverteret in peccatum hominis, quam in peccatum Angelorum, verum etiam quod homini salutis medium, quod peccantibus Angelis negaverat, indulgeret; ut enim disserunt D. Greg. Magnus *l.* 4. *Moral. c.* 9., D. Bernardus, D. Bonaventura, aliique, Angeli rebelles propria voluntate peccaverant; peccatum hominis ab uno Adamo prodierat, quin aliquis posterorum propria voluntate quidquam tunc operari posset. Item Angeli rebelles longe minores fuerant, quam Angeli stantes, quare ex Angelorum choris longe minor numerus perierat, quam fuisset numerus eorum, qui beatitudinem fuerunt assecuti; homines vero omnes in Adam peccaverunt, quare, nisi eorum saluti misericorditer Deus providisset, omnes omnino, quin aliquis salvus fieret, periissent. Item Angeli rebelles nulla tentatione illecti a Deo aversi fuerant, et quidem voluntate tam firmiter stabili in eo, quod quisque ex illis semel elegerat, ex ostensis in tract. De Ang., ut difficillime susceptum propositum mutasset; nostri protoparentes vero a Daemone tentati peccaverant, et quidem voluntate naturaliter instabili tam in bono, quam in malo, quod elegerunt. Quibus perpensis, quis non decorum, et Dei Clementiae apprime congruum non dicet, quod nedum mitiori poena animadvertisset in peccatum hominis, quam in peccatum Angelorum, verum etiam, quod homini indulsisset salutis medium, quod peccantibus Angelis negaverat; ideoque Incarnationis opus in se spectatum, utique fuisse, extrinsece loquendo, Deo maxime conveniens?

Quod et illi fuit pariter conveniens ratione modi, quo peractum fuit. Et 1.° decens maxime fuit, et conveniens, ut Verbum potius, quam Pater, et Spiritus Sanctus, carnem sumeret; 1.°, ut per idem Verbum, per quod omnia facta fuerant, omnia etiam reficerentur; ac idem, quod fuerat hominum Conditor, esset etiam eorum Redemptor. Ita nempe disserunt D. Athan. *l. de Incarn. n.* 7; D. Hilarius *in Ps.* 66. *ad v.* 21., D. Cyrillus Alex. *Glaphyrorum l.* 2.; aliique; atque ad id referunt etiam DD. Apostoli verba ad Heb. 2. *Decebat eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.* 2.°, ut idem, qui ab ae-

terno, esset etiam in tempore Filius, nec duo in Divina Trinitate nuncuparentur Filii. Ita quoque disserunt D. Fulgentius *l. De fide ad Petrum c.* 2., D. Anselmus *l. De fide Trinit.*, *et de Incarn. c.* 5., D. Bernardus *ser.* 2. *De Annunt.*, aliique. 3.° ut homo, qui factus fuerat ad Dei imaginem, per eum amissam recuperaret pulchritudinem, qui vi originis est *imago Dei invisibilis.* Ita quoque disserunt D. Athan. *l. cit.*, D. Cyrillus Alex. *l.* 1. *in Jo.*, D. Joannes Damasc. *l.* 4. *de fide orthod. c.* 4., aliique.

Item decens maxime fuit, et conveniens, quod Deus Verbum carnem sumpturus eam de Matre Virgine sumeret: *In Virginem enim adhuc Hevam* (ut disserit Tertull. *l. de carne* Christi c. 17.) *irrepserat Verbum aedificatorium mortis ; in Virginem aeque introducendum erat Verbum extructorium vitae, ut quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, per eumdem sexum redigeretur in ordinem.* Qua super re apposite etiam D. Aug. *l.* De Agone Christiano c. 22. *Magnum Sacramentum, ut quoniam per feminam nobis mors acciderat, vita nobis per feminam nasceretur.*

Decens quoque fuit, et maxime conveniens, quod Verbum caro factum, ut esset via, veritas, et vita hominibus, tum virorum novissimus appareret, tum vitam pauperem, atque austeram duceret: 1.° quia, ut disserit Richardus Victorinus De Incarn. c. 8., *sicut peccando facta fuerat elatio de imo ad summum, ita oportebat, ut ad remedium expiationis fieret humiliatio de summo ad imum.* 2.° quia cum homines a concupiscentia carnis, a concupiscentia oculorum, et a superbia vitae capti vitiis, et corruptelis se inquinassent, expediens, immo necesse erat, ut eorum Salvator tum coelestibus doctrinis, tum sui ipsius exemplo a triplici illa vitiorum, et foeditatum fonte eos revocasset: *Jam tandem* (ait proinde D. Aug. tract. 26. in Jo.) *erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus . . . Quid superbis homo? Deus propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem? Saltem imitare humilem Deum.* Et l. de catechiz. rudibus c. 22. *Omnia terrena bona contempsit homo factus Dominus, ut contemnenda monstraret. Et omnia terrena sustinuit mala, quae sustinenda praecipiebat, ut neque in illis quaereretur felicitas, neque in istis infelicitas timeretur.*

Decens quoque fuit, et maxime conveniens, quod cum redimere nos posset, *proposito sibi gaudio*, ut ait Apostolus ad Heb. 10., nedum scilicet unica sanguinis gutta, sed et Patrem semel deprecando, ut nobis miserrimis veniam impertiret, nos potius redimere elegerit totius sanguinis effusione, ac *peccata nostra* (ut ait Apostolorum Princeps ep. 1. c. 2.) *ipse perferendo in corpore suo super lignum*: scilicet, quemadmodum diximus *tract. ant. c.* 6. §. 2. *prop.* 2. *pag.* 325., tum ut peccati gravitatem, Justitiam Divinam, suamque erga nos charitatem ostenderet; tum ne nostra Redemptio visa nobis esset vilis, utpote unica aliqua actione, eaque facili ab eo perfecta; tum ut magis, ac magis Patrem suum suis actionibus, passionibusque pro ejus gloria susceptis glorificaret; tum denique ut praeceptum sibi a Patre de redimendis hominibus perfectissime adimpleret. Quidnam sapientius, ac vehementius nos urgens et ad peccata exhorrenda, et ad eum toto cordis affectu redamandum, et ad ejus religionis, patientiae, humilitatis, atque obedientiae exempla imitanda?

Quoad tempus demum, absconditum quidem est, cur sic statim post lapsum hominis, saltem non prius, sed post temporum intervalla Verbum caro factum fuerit; ut enim ait Apostolus ad Rom. 11., *quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Et rationes tamen de hoc redduntur tum ex parte Dei, tum ex parte hominum, velum quidem non omnino auferentes, sed quae satis esse debent. Ex parte Dei scilicet: quia enim, ut disserit D. Aug. tract. 31. in Jo. n. 5., *non parvum aliquid venturum fuit, diu fuerat praedicendus, semper tenendus. Quanto major Judex veniebat, tanto praeconum longior series praecedebat.* Ex parte hominum vero, ut quia homo per superbiam lapsus fuerat, experimento cognosceret, in quam malorum congeriem, atque abyssum, ac semper nitendo in pejus a Deo aversus ruat. Ne tamen homo ante Verbi Incarnationem careret mediis, quibus salvus fieret, ab ipsius Mundi origine omnibus Deus contulit, intuitu meritorum Christi, non quidem aeque ac post Incarnationem, at quantum satis fuit, salutis auxilia, quibus possent honeste vivere, et per fidem sive explicitam, sive implicitam, quemadmodum diximus *tract.* 1. *c.* 2. *prop.* 3. *in fine*, in Messiam venturum, salutem consequerentur. Hinc Christus dicitur Apoc. 13. *Agnus*

occisus ab origine Mundi. Qua super re ita praeclare D. Leo Magnus ser. 12. De Nativ. c. 3. *Incarnatio hoc contulit facienda, quod facta, et fundamentum salutis humanae in nulla umquam antiquitate cessavit . . . Non itaque novo consilio Deus rebus humanis, nec sera miseratione consuluit; sed a constitutione Mundi unam, eamdemque omnibus causam salutis attulit. Gratia enim Dei, qua semper est universitas justificata Sanctorum, aucta est, Christo nascente, non coepta. Et hoc magnae pietatis Sacramentum, quo totus jam Mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minus adepti sint, qui in illud credidere promissum, quam qui suscepere donatum.* Superest igitur, quod Incarnationis opus ad salvandos e perditione homines fuit; extrinsecé loquendo, tum in se, tum ratione modi, quo peractum fuit, Deo maxime conveniens.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod cum trium Personarum Divinarum Incarnatione, aut Verbi Divini cum omnibus creaturis intelligentibus unione Deus bonitatem suam magis communicasset, suaque Attributa significantius expressisset, dicendum proinde est, vel Incarnationem Verbi Divini non fuisse convenientem, vel convenientius fuisse, tres simul Personas Divinas carnem sumere, aut Verbum Divinum in unionem personae cum omnibus creaturis intelligentibus uniri. Hoc nemo probat: Nec probandum igitur, quod Verbi Dei Incarnatio fuerit Deo, et quidem maxime, conveniens.

Resp. dist. maj.; quod nempe trium Personarum Divinarum Incarnatione, aut Verbi Divini cum omnibus creaturis intelligentibus unione Deus Bonitatem suam magis communicasset, suaque Attributa significantius expressisset *extensive*, quatenus nempe naturarum a Deo assumptarum major fuisset numerus; non vero *intensive*, adeo enim arcta, et intima est unio hypostatica humanitatis cum Divinitate, ut nulla sit, ac dari possit extra Deum arctior, et intimior. Illa autem communicationis major extensio neque ad Mundi perfectionem, neque ad hominum salutem fuisset necessaria: Neque igitur deprehenditur conveniens, quod, praeter assumptionem humanitatis a Verbo factam, Pater quoque, et Spiritus Sanctus car-

nem sumerent, vel Verbum cum aliis creaturis intelligentibus uniretur.

Objic. 2.°, quod per Incarnationem, velut quodam velo, fuerunt Dei Verbi perfectiones obductae. Dedecoris ergo, non decoris illi fuit.

R. neg. cons.; ita enim videtur, ubi in rationis humanae adjumentum non vocetur fides; at non item fidem in ejus adjumentum vocando; quare ait Apostolus 1. ad Cor. c. 1. *Nos autem praedicamus Christum Crucifixum, Judaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Iudaeis, atque Graecis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Et sane, ut disserit Rufinus in Symbolo, *si quis videat parvulum in profundo coeni necari, et ipse, cum sit vir magnus, et potens, extremum; ut ita dixerim, ingrediatur coenum, ut parvulum liberaret morientem; pollutusne accusabitur hic vir, qui paullulum calcaverit luti, an ut misericors laudabitur, quod vitam contulerit morituro?* Idem porro, et multo magis de Deo dicendum esse, nemo est, qui non videat; etenim absque eo quod ullam attributorum suorum imminutionem passus fuerit, vel aliquid inde vilitatis hauserit carnem sumendo, quemadmodum Sol nihil vilitatis ex eo haurit, quod sordidissimis etiam locis praesens adest nec aliquid foeditatis Solaris radius contrahit, quum lutum penetrat; quin, inquam, ullam attributorum suorum imminutionem passus fuerit, vel aliquid inde vilitatis hauserit carnem sumendo, nostram Redemptionem manens quod erat, ac tantum quod non erat assumens misericorditer egit.

Objic. 3.°, quod statim providere alterius necessitati majus profecto bonitatis argumentum est, quam id differre; ad quod referri possunt illa Proverbiorum verba c. 30. *Ne dicas amico tuo: Vade, et revertere. Cras dabo tibi, cum statim possis dare.* Non igitur Incarnationis saltem per tot saecula dilatio Dei Bonitati maxime conveniens.

Resp. dist. ant.; quod nempe statim providere alterius necessitati majus bonitatis argumentum est, quam id differre, si nulla adsit dilationis ratio, nec interim provideatur alterius necessitati, quantum satis est; non vero, ubi ejusmodi ratio habeatur, ac provideatur interim, quantum satis est, alterius necessitati. Cum adfuerint proinde tum ex parte Dei, tum ex parte hominum rationes,

ut Incarnationis opus non perficeretur statim post hominis lapsum, sed differretur post temporum intervalla; nec Deus interim, ut diximus, defuerit saluti hominum providere per fidem sive explicitam, sive implicitam in Mediatorem promissum, ejus dilatio non obstat, quin etiam quoad tempus, quo peractum fuit, dicatur fuisse ejus Bonitati maxime conveniens.

CAPUT IV.

An, Adam non peccante, Verbum caro factum esset?

Praemittendum hic est, de fide esse adversus Pelagianos, Verbum esse carnem factum, ut homines perditos salvos faceret. Ita enim asseritur Lucae 19. illis verbis: *Venit Filius hominis quaerere, et salvum facere quod perierat.* Ad Gal. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* Item Jo. ep. 1. c. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli.* Itemque alibi. Procul quoque dubio esse, Decretum Incarnationis quoad modum, quantum nempe ad corpus passibile, et mortale assumptum, consequenter fuisse ad praevisionem peccati, hominisque reparandi consilium; quod probatione non eget. Tantum ergo quaeritur, an Incarnationis Decretum quoad substantiam, seu prout Verbum caro factum, fuerit antecedenter ad hominis lapsum; seu an, Adam non peccante, Verbum quoque caro factum esset; asserentibus Scotistis, Thomistis negantibus. Cum his tamen posterioribus sit

Prop. Nonnisi consequenter ad praevisionem hominis lapsus, ejusque reparandi consilium decreta fuit Verbi Incarnatio; nec proinde advenisset Christus, si Adam non peccasset. Ita probabilius.

Prob. 1.° ex Scripturis, ubi non alia redditur ratio, cur Filius Dei homo factus sit, quam hominum redemptio; nec jam dicitur, quod ob Adae peccatum venit in carne passibili, venturus nihilominus in carne impassibili, si Adam non peccasset, sed simpliciter, et absolute, quod ad id venit. Ita nempe Is. 61. *Dominus misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam.* Et Matth. 9. *Non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus . . . non enim veni vocare justos,*

sed peccatores. Et c. 18. *Venit Filius hominis salvare quod perierat.* Et Luc. 19. *Venit Filius hominis quaerere, et salvum facere quod perierat.* Et ad Rom. 5. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Et ad Eph. 2. *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.* Et 1. Jo. c. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli.* Quum non agitur autem, nisi de liberrimo Dei consilio, illud profecto nonnisi ex ipsius Dei revelatione potest nobis innotescere; fuitque Incarnatio Filii Dei opus liberrimum, liberrimo scilicet consilio a Deo ob suam erga homines Misericordiam decretum: Non ergo illam decrevisse, est dicendum, nisi consequenter ad hominis lapsum, ejusque reparandi consilium; quo proinde non labente, Christus non advenisset.

2.° ex Patribus; ita enim D. Irenaeus l. 5, adv. haereses. c. 14. *Si enim non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset.* Item D. Athan. or. 3. contra Arianos: *Necessitas, indigentiaque hominum anterior est, quam illius nativitas, qua sublata, carnem non induisset.* Item D. Greg. Nazianz. or. 36. *Quaenam humanae propter nos susceptae naturae causa extitit? Nempe ut nos omnes salutem adipisceremur.* Item D. Chrysost. hom. 5. in ep. ad Heb. *Propter hoc carnem assumpsit nostram, propter misericordiam solam, ut misereatur nostri; non est enim alia quaepiam causa dispensationis, quam haec sola.* Demum, praetermissis aliis, ita D. Aug. ser. 174. de verb. Apost. *Si homo non periisset, Filius hominis non venisset.* Et ser. 175. *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere.*

Ita tamen diximus *probabilius*; non enim adhaeremus illis ex Thomistis ajentibus, quod decretum Incarnationis Verbi antecedens praevisionem peccati hominis, ejusque reparandi consilium neque etiam concipi potest. Illud enim, ajunt, nequivisset esse, nisi efficax, tum quia respiciebat opus in tempore futurum, tum quia inclusisset praedestinationem Verbi Incarnati, ideoque decretum efficax. Antecedenter autem ad praevisionem peccati, quod Adam erat patraturus, ejusque reparandi consilium, nullum ha-

buisset locum ejusmodi Decretum; neque enim habere poterat pro objecto carnem passibilem, cum omnes fateantur, nonnisi ob peccatum expiandum fuisse carnem passibilem a Verbo assumptam. Neque carnem impassibilem, nam decretum efficax suum infallibiliter consequitur effectum, Verbum autem non venit in carne impassibili. Neque tandem ad carnem abstrahendo ab ejus qualitate passibili, vel impassibili; omnis quippe voluntas efficax habet pro objecto aliquod determinatum, quod reipsa ejus vi exititurum sit: Decretum ergo, inquiunt, Incarnationis Verbi antecedens praevisionem peccati hominis, ejusque reparandi consilium neque etiam concipi potest. Resp. enim negando, quod decretum illud fuisset efficax, nam eo ipso, quod antecedens praevisionem peccati hominis, ejusque reparandi consilium, non habuisset objectum omnibus suis circumstantiis stipatum, circa quod voluntas efficax haberi nequit. Se idcirco habuisset ejuscemodi decretum, perinde ac illud, quod, si Adam non peccasset, et ipse immunis fuisset ab omnibus hujus vitae aerumnis, concupiscentia, et morte, et omnes ejus posteri simul cum eadem immunitate originalem quoque justitiam sortiti essent. Quemadmodum ergo potuit Deus ab aeterno decernere, quod, si Adam non peccasset, aliter se habuisset hominum conditio, quam, eo in peccatum lapso, se habet; ita et potuisset decernere, quod, si Adam non peccasset, aliter quoque se habuisset Verbi Incarnatio, quam, eo in peccatum lapso, se habuit. Satis proinde sit, quod probabilius, Adam non peccante, neque etiam Verbum caro factum esset; cum enim et Scripturae, et Patres solam humani generis redemptionem assignent pro causa finali, et motiva Incarnationis; alia Incarnationis motiva Deo affingere, fingere est.

Hic tamen quaeritur, an Filius Dei venerit potissimum propter peccatum originale, vel propter peccata actualia? Ad quod dicimus, pro utrisque venisse; venit enim ex relatis Scripturarum locis ad praedicandam captivis indulgentiam, ad medendum hominibus infirmis, ad eos perditos salvandos, atque ad Diaboli opera solvenda. Porro tam propter peccatum originale, quam propter peccata actualia homines detinebantur captivi, infirmi languebant, aeterna illis imminebat mors, ac tam peccatum originale, quam peccata actualia ad opera Diaboli pertinent: Nedum igitur pro peccato originali, verum

etiam pro peccatis actualibus venit. Quia tamen peccatum originale omnes omnino homines infecerat, nec tantum maculaverat personas, sed naturam ipsam humanam in radice vitiaverat, fuerat que origo, cur ob ignorantiam, et concupiscentiam nobis inditam bonum aversemur, et ad malum propensi simus; ideoque, ut infert D. Thomas 3. *p. qu.* 1. *art.* 4., licet actualia sint forte originali graviora *intensive*, at *extensive* originale actualibus est longe majus; communis proinde Theologorum sententia docet, quod praecipue pro peccato originali, quam pro peccatis actualibus, advenit. Id vero quisque ex eo etiam suadere sibi potest, quod lapsis primis hominum parentibus in peccatum, quod omne eorum genus infecit, tunc quoque iisdem promissus fuit in carne venturus illis verbis ad serpentem: *Inimicitias ponam inter te, et mulierem, et semen tuum, et semen illius. Ipsa conteret caput tuum* (*Gen.* 2.).

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod de Christo homine, ut nonnulli ex Patribus interpretantur, dicitur Prov. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*; quodque Apostolus de Christo ait ad Coloss. 1. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae, quoniam in ipso condita sunt universa in Coelis, et in Terra . . . et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.* Si autem Christus initium viarum Domini, nec non primogenitus omnis creaturae, et ante omnem creaturam, ratione scilicet Decretorum Dei, ideoque decretus, idest intentus, et praedestinatus ante omnem creaturam: quidnam clarius, quam quod decretum Incarnationis antecedit ordine decretum creationis omnium rerum, ideoque et primi hominis? Et eo igitur non peccante, Verbum quoque caro factum esset.

Resp. neg. sequ. min.; quoad textum namque ex Prov. sumptum, intelligendum non esse de Christo, ut homine, sed de aeterna Verbi generatione, ex eo patet, quod secus dicendum esset, Christum etiam quoad humanitatem ante Mundum extitisse, ait namque ibidem: *Ante colles ego parturiebar . . . Quando praeparabat Coelos, aderam . . . cum eo eram cuncta componens.* Quoad textum vero Apostoli ad Coloss., de Christo

etiam, ut Deo, non, ut homine, intelligendum esse, communior est Patrum, et Doctorum sententia; et patet ex verbis: *Quoniam in ipso condita sunt etc.* ; Quod si uterque textus de Christo etiam, ut homine, intelligi velit, recte etiam Christus, tametsi, Adam non peccante, non advenisset, et initium viarum Domini, et primogenitus omnis creaturae, et ante omnem creaturam dicitur; honore scilicet, et dignitate, quemadmodum D. Hieron. in hunc l. interpretatur, non tempore, et ordine, non raro enim Scripturae pro primogenitis viros merito praecellentes, ac singulari dilectione claros intelligunt; ut Exodi 4, ubi de Jsrael Deus ait: *Filius meus primogenitus Israel.* Et de Davide Ps. 88. *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum prae Regibus terrae.* Et sane, quamvis Verbi Divini Incarnatio principaliter, et primario decreta fuerit ad hominum Redemptionem, adhuc tamen locum habet, et constat, quod hanc rerum dispositionem Deus decernendo, et condendo, nonnisi ad Christum, quem in ejusmodi dispositione consequenter ad Adae culpam videbat inclusum, maxime debuerit respicere; merito idcirco nuncupatum initium viarum Domini, ac primogenitum omnis creaturae, et ante omnem creaturam, quia opus scilicet longe omnibus praecellens.

Objic. 2.°, quod verba ab Adam prolata, quum vidit Evam e costis ejus eductam, et datam ei in uxorem, typus fuerunt, teste Apostolo *ad Eph.* 5., futurae unionis Christi cum Ecclesia. Prolata autem fuerunt ab Adam ante ejus casum: Antecedenter ergo ad ejus casum dicenda quoque est decreta Verbi Dei Incarnatio.

Resp neg cons.; dicitur enim ab Apostolo, quod verba ab Adam tunc prolata fuerunt typus futurae unionis Christi cum Ecclesia, non quia Christus praedestinatus fuerit venturus ante praevisionem illius peccati, sed quia castissima, et honestissima conjunctio Adae, et Evae similitudinem, et analogiam quamdam habuit cum unione Christi, et Ecclesiae.

Objic 3°, quod in Scripturis vocatur Christus, nedum hominum Redemptor, sed et Pastor, Visitator, Magister. Adam autem non peccante, locum adhuc habet, quod Pastor quoque, Visitator, et Magister fuisset: Et eo igitur non peccante, adhuc advenisset.

Resp. neg. cons.; et Pastor namque, Visitator, et

Magister vocatur, sed Pastor ovium deviarum, Visitator sedentium in tenebris, et umbra mortis, Magister eorum, qui ignorant, et errant; quae idcirco aliud potius argumentum praestant, quod, Adam non peccante, neque etiam fuisset venturus.

Objic. 4.°, quod nedum Caput hominum, sed et Angelorum Caput appellatur Christus ab Apostolo tum ad Eph. 1., ubi: *Et omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius*; tum ad Coloss. 2., ubi: *Estis in illo repleti, qui est Caput omnis principatus, et potestatis.* Postulat autem ratio Capitis, ut influat in membra, ideoque Christus fuerit causa sanctitatis Angelorum: Cum ergo fuerit causa sanctitatis Angelorum, qui nihil commune habebant cum homine, dicendum profecto, quod etiam, hoc non peccante, adhuc advenisset.

Resp. neg. etiam cons.; quamvis enim Verbi Divini Incarnatio principaliter, et primario decreta fuerit ad hominum redemptionem, adhuc quoque locum habet, et constat, quod hanc rerum dispositionem Deus decernendo, et consequenter ad Adae casum decernendo Verbi Incarnationem, potuerit velle, et voluerit, quod ipsis Angelis bonis aliquem gloriae gradum Christus conferret.

Objic. 5.°, quod Adam conditus fuit in justitia originali, gratia scilicet sanctificante ornatus, ut *l. 4. c. 5. prop. 1.* ostendimus. Quidquid autem nobis confertur gratiae non est, nisi a Christo, in quo, ut ait Ap. ad Eph. c. 1., *benedixit nos Deus in omni benedictione spirituali in Coelestibus*: Incarnationis igitur decretum ipsius Adae peccatum ordine praecesserat.

Resp. dist. min.; quod nempe quidquid nobis confertur gratiae non est, nisi a Christo post Adae peccatum, non vero antecedenter ad ipsius peccatum; cum enim nonnisi ad hominis reparationem ordinata fuerit Verbi Divini Incarnatio, antecedenter proinde ad ejus casum gratia illi collata independens omnino fuit a Christi meritis.

Objic. 6.°, quod beneficium a Deo collatum homini lapso, et inimico, quodque collatum homini innocenti, et amico, non habuisset quidem rationem remedii, utique tamen habuisset rationem doni, quod humanam naturam evexisset ad summum nobilitatis fastigium, et participem superabundantius fecisset Divinae Bonitatis, et

largitatis, beneficium, inquam, hujuscemodi collatum homini lapso, et inimico, multo magis collatum ab eo fuisset homini innocenti, et amico. Id genus autem est beneficium Incarnationis: Ipsum igitur multo magis collatum fuisset homini innocenti, et amico; quo idcirco non peccante, Verbum quoque caro factum esset.

Resp. neg. maj.; ut enim supra diximus, quae non sunt, nisi a liberrima Dei voluntate, prout Verbi Incarnatio, neque etiam, nisi ipso revelante, innotescere nobis possunt; in quibus proinde fas non est conjectationibus indulgere, nisi divinari voluerimus.

CAPUT V.

De causa efficiente, et meritoria Incarnationis.

Et 1.° quoad ejus causam efficientem sufficiat dixisse, actionem tum productivam Naturae assumptae, tum unitivam Naturae assumptae cum Verbo effectum fuisse totius Trinitatis. Fuit enim effectus Divinae Omnipotentiae; eaque communis est toti Trinitati. Quod si opus Incarnationis Matth. 1., et Lucae 1., etiamque a Patribus Spiritui Sancto tribuitur, id non fit, nisi per appropriationem; quatenus nempe Spiritui Sancto, ut diximus *l. 3. tract. 3 cap. ult. in fine*, tribuitur largitio omnium donorum, quorum maximum fuit opus Incarnationis, per quod *Filius datus est nobis*, ut Isaias dixerat c. 9., utque dicitur Jo. 3., *sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret*. Distinguenda tamen est ab actione, qua humanitas assumpta et producta, et unita fuit Verbo, ipsamet unio hypostatica; de hac enim docet fides, quod fuit solius Verbi, quippe quod solum Verbum humanam Naturam in unitatem Personae assumpsit.

Quoad causam vero meritoriam Incarnationis, jam diximus de Christo *tract. ant. c.* 6. §. 2, *prop.* 2. *pag.* 315., *et sequ.*, quod nec hypostaticam ejus humanitatis cum Verbo unionem, nec gratiae plenitudinem, neque ipsius augumentum sibi ullatenus meruit. Videndum ergo superest, an hoc pietatis Mysterium aliquatenus saltem meruerint veteres Patriarchae, aliique ante Christi adventum Justi, omniumque maxime B. ipsius Christi Genitrix. Diximus *aliquatenus*, duplex enim, ut scripsimus

in *tract. de Act. humanis c.* 3., a Theologis distinguitur meritum; de condigno scilicet, estque *illud, cui ex justitia debetur merces*; et de congruo, estque *illud, cui merces debetur tantum ex convenientia.* Ad illud vero, subdidimus, requiri 1.° ut opus sit omni ex parte bonum, quoad objectum nempe, finem, et circumstantias; 2.° ut sit supernaturale ratione tum principii, idest gratiae, ex qua fiat, tum motivi; 3.° ut fiat ab homine justo; 4.° ut sit libere elicitum libertate ab omni necessitate antecedente; 5.° ut sit ab homine viatore; ac 6.° ut pro illo Deus datam mercedem promiserit: ad meritum autem de congruo, quod opus sit bonum, supernaturale, liberum, et ab homine viatore. Quae omnia, ne actum agamus, possunt *l. cit.* consuli. Quibus praemissis, sit

Prop. I. Incarnatione non praesupposita, seu antecedenter ad ejus Decretum, nec Patriarchae, aliique ante Christi adventum justi, nec ipsa B. Virgo ullatenus eam meruere. Ita communiter.

Prob., omne enim meritum, tam nempe illud de condigno, quam illud de congruo, oritur ex gratia. Fuit autem Incarnatio omnis gratiae principium, dicente Apostolo ad Rom. 7. *Gratia Dei per Iesum Christum*, ideoque et principium omnis meriti; utque principium omnis meriti, antecedenter hoc ipso se habet ad omne meritum: Nullatenus ergo eam meruisse vel Patriarchas, aliosque ante Christi adventum Justos, vel ipsam B. Virginem, perspicuum est.

Prop. II. Incarnatione praesupposita, neque etiam illius circumstantias temporis, vel originis de condigno meruere veteres Patriarchae, ipsaque B. Virgo; utique tamen de congruo, atque ex iis B. Virgo de condigno etiam meruit eum gratiae statum, quo posito, prae aliis in Deiparam eligeretur. Ita etiam communiter.

Prob. 1. pars; ad meritum enim de condigno requiritur prae aliis, ut per opus bonum promiserit Deus, tamquam mercedem, id quod dicitur condigne per illud mereri; tum quia, ut diximus *l. cit. de Act. hum.*, nec etiam in civilibus merces debetur alicui, nisi pro ea conductus fuerit; tum quia Deus pro suo absoluto dominio in creaturas jus haberet exigendi omnia bona opera, nulla mercede proposita; tum quia bona opera non in Dei, sed in nostram utilitatem cedunt. Nullum autem opus

bonum, quamvis praecellens, adeat, per quod Deus promisisset, vel accelerandi Messiae adventum, vel ex hoc potius, quam alio ex genere venturum: Per nullum ergo opus, quamvis praecellens, tam Veteres Patriarchae, quam ipsa B. Virgo, potuerunt de condigno mereri, vel quod Messiae adventus acceleraretur, vel quod ex eorum potius, quam alio ex genere advenisset.

Prob. 2. pars; etenim circumstantiam accelerationis temporis desideriis, precibusque Danielem meruisse, patet ex c. 9. ejusdem: quibus etiam eam meruisse B. Virginem, satis colligitur ex eo, quod ait illi Angelus, quod apud Deum gratiam invenerat, ut legitur Luc. 2. Non autem de condigno ex ostensis: Ergo de congruo. Quod et de aliis Veteris Testamenti justis docet, et probat D. Thomas 3. p. qu. 2. art. 10. *Ex congruo* (inquiens) *meruerunt Sancti Patres Incarnationem petendo, et desiderando. Congruum enim erat, ut Deus exaudiret eos, qui ei obediebant.*

Circumstantiam vero originis, quod nempe Messias ex eorum genere nasceretur, meruisse Abraham, Isaac; et Jacob, patet ex promissione a Deo accepta, quod in eorum semine omnes Gentes benedicerentur, ut legitur Gen. c. 12., 26., et 28.; nec non David ex eo, quod ipse ait Ps. 131. *Iuravit Dominus veritatem, et non frustrabitur eam: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Quod et multo magis B. Virginem meruisse, expresse docet D. Thomas in 3. dist. 4. qu. 3. art. 1. *Praesupposita Incarnatione* (inquiens), *meruit, quod per eam fieret, non merito de condigno, sed de congruo.* Confirmatur vero tum ex praefatis ad eam Angeli verbis; tum ex gratiae plenitudine, quam illam salutando Angelus de ea praedicavit; tum ex verbis Ecclesiae, quod *ejus viscera meruerunt portare Dominum Christum*; quodque *dignum Filii Dei habitaculum effici meruit*; tum ex innumeris Patrum testimoniis, qui unanimiter eam praedicant nedum veram, sed et dignam Dei Genitricem; ex quibus ait D. Greg. Magnus in illa Jsaiae verba: *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium* (2.), quod ut *ad conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium Deitatis erexit.*

Prob. 3. pars, quod B. Virgo scilicet de condigno

etiam meruit eum gratiae statum, quo posito, prae aliis in Deiparam eligeretur; ut enim ostendimus *l.* 2. *tract.* 12. *cap.* 5. *prop.* 3. *pag.* 292., utique augumentum gratiae potest de condigno mereri. Quod cum ita sit, dicendum profecto, B. Virginem, *in qua* (ut scribit D. Bernardus serm. in Sign, magn.) *nihil nedum tenebrosum, vel obscurum, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum licet suspicari*, utique de condigno meruisse illud gratiae augumentum, ratione cujus ad altissimam Deiparae dignitatem prae aliis electa, et evecta fuit; cum enim ex ostensis *in tract. de pecc. orig. c.* 5. fuerit a communi labe immunis, fueritque immunis a quavis etiam, etsi levissima, culpa actuali, quemadmodum, ut ait Trid., *de ea tenet Ecclesia*: quin ullo idcirco impedimento retardaretur, totis animi viribus, ac maxima, quae concipi potest, perfectione quovis instanti coopèrando illi gratiae immensitati, qua ditata fuit ab ipsa ejus conceptione, prout eam decebat, quae praedestinata fuerat, ut Mater Dei esset, quovis etiam instanti ipsius gratiae augumentum de condigno eam meruisse, consequens est, atque hoc factum, ut ad eum gratiae statum perveniret, quo posito, prae aliis in Deiparam eligeretur. Patet ergo propositum.

APPENDIX

Super cultu, et invocatione Sanctorum, nec non cultu Sanctae Crucis, Sacrarum Reliquiarum, Sacrarumque Imaginum.

Cum disseruerimus *tract.* 3. *cap* 5. *prop.* 13. de cultu humanitati Christi debito, et *cap.* 7. §. 4. *prop.* 2. de Christi Mediatione, plurimorum demum Theologorum exemplum sectantes pertractandum ducimus in calce hujus libri de cultu, et invocatione Sanctorum, ut pro nobis apud Deum intercedant, nec non de cultu Sanctae Crucis, Sacrarum Reliquiarum, Sacrarumque Imaginum: quod cum a tractatione Incarnationis Verbi Divini exorbitet, quae proinde ad id pertinent, appendicis modo hic adjicimus. Utrumque autem necessarium est contra Lutheranos, et Calvinistas, qui veterum haereticorum, Manichaeorum nempe, Iconomachorum, Eunomii, Vigilantii, Petrobrusianorum, et Albigensium er-

rores e cineribus evocantes, tum Sanctorum cultum, et invocationem, velut quid injuriosum Christo, qui ab Apostolo vocatur *unus Mediator Dei, et hominum*, tum Sanctae Crucis, Sacrarum Reliquiarum, Sacrarumque Imaginum cultum, velut crimen Idololatriam redolens, Catholicis exprobrare ausi sunt: in hoc ab Iconomachis dissentientes, quod juxta Calvinianos possunt sacrae Icones domi ad solam memoriam retineri, etiamque in Ecclesia juxta Lutheranos, quin tamen ullo cultu honorentur. Porro ne actum initio capitis 5. *pag.* 253., *et sequ.* rursum agamus, consulatur ibi quid per cultum significetur, et quotuplex a Theologis distinguatur. Per invocationem vero hic intelligitur *quaecumque oratio ad eum, a quo, vel per quem bonum aliquod cupimus.* Quibus praemissis, sit

Prop. I. Licitum, ac pium est Sanctos cum Christo regnantes colere, et invocare. Est de fide.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex Scripturis, a quibus discimus cultum Sanctis Angelis delatum tum in Veteri Testamento a Josue, qui *pronus in terram adoravit* Angelum, qui ei dixerat, se esse *Principem exercitus Domini*, ut legitur Jos. 5., nec non a Patre, et Matre Sampsonis, quibus cum *Angelus Domini* apparuisset, *proni ceciderunt in terram*, ut legitur Jud. 13.; tum in Novo Testamento a Joanne Evangelista, qui, ut ipse refert Apoc. 19., cecidit ad pedes Angeli, ut adoraret eum. Quod licet Angelus respuerit, non tamen id respuit, quasi Joannes quid illicitum, et sacrilegum esset facturus, nam, hoc posito, dicendum quoque esset, Joannem in eo peccasse, aut errasse, quod dictu nefas; sed, ut scite advertit Ludovicus Habert, *pro sua modestia, et observantia in tantum virum, etsi natura minorem, dignitate tamen Apostolatus, sanctitate, et gloria martyrii sibi non imparem, ac forte etiam majorem.* Et sane, licet Joannes admonitus esset, ne eum adoraret, rursus tamen, ut legitur c. 22., ait id velle. Estne autem, qui dicere audeat, quod si admonitus ab Angelo fuisset, id esse malum, idem rursus tentasset? Si licet porro Angelis cultum deferre, aeque etiam licere illum deferre Sanctis cum Christo regnantibus, manifestum est, cum non minus illi, quam hi sint creaturae ejusdem beatitudinis consortes: Patet ergo propositum.

2.° ex praxi Ecclesiae, quae ab ejus primordiis dies festos in honorem Sanctorum instituit, ac statim, pace illi

data, Templa etiam, et Basilicas in eorum honorem aedificavit, quemadmodum de utroque fidem faciunt omnes fere Ecclesiae Patres, et Scriptores. Nefas autem in dubium vocare, an licitum, et pium sit id, quod in usu habuit semper Ecclesia: Procul ergo dubio habendum, licitum, et pium esse cultum Sanctis deferre.

3.° ex Patribus; ex quibus sufficiant D. Ambros. ser. 6 *Quisquis* (inquiens) *honorat Martyres, honorat et Christum; et qui spernit Sanctos; spernit et Dominum.* Item D. Aug. serm. 1. de SS. Petro, et Paulo: *Beatissimum Petrum piscatorem modo genibus provolutis adorat multitudo credentium.* Item D. Greg. Nyssenus or. in S. Theodorum M. *Cui Regum talis honor habetur? Quis ex iis, qui supra modum inter homines excellere visi sunt, tali memoria celebratur? Quis Imperatorum adeo honoratur, ut hic miles pauper?* Demum D. Jo. Damasc. l. 4. de fide c. 16. *An non honorandi, qui totius humani generis patronos se profitentur, ac Deo nostri causa supplicant? Honorandi certe, et quidem ita, ut in eorum nomine Templa Deo extruamus.*

Prob. 2. pars, licitum nempe, ac pium quoque esse eos invocare, eorum opem, atque intercessionem apud Deum implorando. Et 1.° quoque ex Scripturis; ut ex c. 48. Gen., ubi inducitur Jacob Angelum invocans super filiis Joseph: *Angelus* (inquiens), *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Ex c. 32 Exodi, ubi legitur Moyses ita Deum deprecans: *Esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac, et Israel servorum tuorum.* Quem imitatus Daniel, ita quoque legitur c. 3. Deum orans: *Neque auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum.* Job quoque c. 5. refertur Eliphaz sic Jobum alloquens: *Voca ergo, si est, qui tibi respondeat, et ad aliquem Sanctorum convertere.* Denique Apoc. 1. imploratur *gratia et pax a septem Spiritibus*, etc. In omnibus autem allatis locis Sanctorum apud Deum intercessio imploratur; ac proponitur, idque diximus per eorum invocationem intelligi: Licitum ergo esse, ac pium eos invocare, perspicuum est.

Quod ex illis etiam Scripturae locis colligitur, ubi tamquam utile proponitur, ut nos justorum adhuc hic degentium precibus commendemus; ut Job c. ult., ubi Deus ipse ad Eliphaz dixisse scribitur: *Iratus est furor*

meus in te, et in duos amicos tuos . . Sumite ergo vobis septem tauros, et septem arietes, et ite ad servum meum Job, et offerte holocaustum pro vobis. Job autem servus meus orabit pro vobis; faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia. Ad Rom. quoque ait Apostolus c. 15. *Obsecro vos, ut adjuvetis me in orationibus vestris ad Deum.* Et D. Jacobus omnes illis verbis monet in sua ep. c. 5. *Orate pro invicem, ut salvemini, multum enim valet deprecatio justi assidua.* Quod si utile est, ac nobis a Deo ipso propositum justorum adhuc hic degentium precibus nos commendare, quanto magis utile, ac Deo gratum, ideoque licitum, ac pium dicendum, illorum nos commendare precibus, qui eo in Coelis fruuntur, nec amplius ab ejus gratia possunt excidere?

2.º Ex Conciliis Gen., et constanti Ecclesiae praxi; in Chalcedonensi enim act. 2., *Flavianus* (inquit Conc.) *post mortem vivit; Martyr pro nobis oret.* In Nicaeno II. act. 6., *Cum timore Dei* (dictum fuit) *omnia faciamus, expetentes etiam intercessionem intemeratae Dominae nostrae, et natura Dei genitricis semper Virginis Mariae, atque Sanctorum Angelorum, et simul omnium Sanctorum.* Eam quoque expeti in antiquissimis, ac fere omnibus Liturgiis, nemo est, qui ignoret, *ut pro nobis intercedere* (quemadmodum Sacra faciens Sacerdos orat) *dignentur in Coelis, quorum memoriam agimus in Terris.* Qua super re mandavit demum Trid. sess. 25. omnibus Episcopis, *ut fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum, atque utile esse, suppliciter eos invocare; et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum, qui solus noster Redemptor, et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere. Illos vero, qui negant, Sanctos aeterna felicitate in Coelo fruentes, invocandos esse, impie sentire.*

3.º ex Patribus, quos unanimiter a quarto saeculo id tradidisse, ipse Dallaeus Calvinista omnium maxime in invocationem Sanctorum furens, Catholicis concedit veritate superatus. His proinde omissis, aliquos tantum ex illis referre sufficiat, qui tribus prioribus Ecclesiae saeculis floruerunt, ex quibus D. Irenaeus l. 5. adv. haereses c. 19. loquens de B. Virgine, eamque comparans cum Eva, *suasa est* (inquit) *obedire Deo, ut Virgini Evae Virgo fieret advocata.* Item Origenes hom. 26. in

c. 31. Num., *Quis* (inquiens) *dubitat*, *quod Sancti quique et orationibus nos juvent*, *et gestorum suorum confirment exemplis?* Itemque D. Cyprianus ep. 57 ad Cornelium Summ. Pont., *Si quis* (inquiens) *isthinc nostrum Divinae dignationis celeritate prior praecesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio*, *pro fratribus, ac sororibus nostris apud Misericordiam Patris non cesset oratio.* Ex posterioribus vero, quos Dallaeus ultro nobis largitur, omittendus non est D. Aug., et D. Hieron., quorum primus in Ps. 105. explicans illa verba: *Et dixit*, *ut disperderet eos*, *si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus*, ita ad rem scribit: *Ubi demonstratum est*, *intercessio Sanctorum quantum pro aliis valeat.* Alter vero l. adv. Vigilantium: *Si Apostoli* (inquit), *et Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro caeteris*, *quando pro se adhuc debent esse solliciti*, *quanto magis post coronas*, *victorias*, *et triumphos? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam*; *et Stephanus imitator Domini sui*, *et primus Martyr pro persecutoribus veniam deprecatur: et postquam cum Christo esse coeperint*, *minus valebunt?*

4.° demum ratione; si enim constat, utique Deum Sanctorum cum eo regnantium orationes pro nobis suscipere, profecto licitum, et pium dicendum erit, eorum pro nobis apud Deum orationes implorare. Constat autem, eorum pro nobis orationes Deum suscipere, scilicet ex l. 2. Mach. c. 15., ubi de Jeremia vita functo (etsi adhuc in limbo detineretur) dicitur: *Hic est Jeremias Propheta Dei*, *qui multum orat pro populo*, *et pro universa Sancta Civitate.* Quod et confirmant illa D. Petri verba ep. 2 c. 1. *Dabo operam*, *et frequenter habere vos post obitum meum*, *ut horum memoriam faciatis.* Inquit proinde Theodoretus Hist. c. 16. *Sanctorum deprecatio est commune morborum remedium.* Et Rufinus praefat. in Vitas PP. *Quis dubitet*, *Mundum precibus stare Sanctorum?* Licitum ergo, et pium dicendum eorum pro nobis apud Deum patrocinium implorare, ideoque eos invocare.

Diximus vero tantum de fide, licitum, ac pium esse Sanctos Coelites colere, et invocare; communiter enim docent Theologi, quod citra eorum contemptum, qui procul dubio esset sacrilegus, nec necessitate medii, nec necessitate praecepti singulos fideles obligantis id necessarium

est, cum nihil ejusmodi vel in Scriptura, vel in Traditione habeatur, ac illud solum Tridentinum declaraverit, *bonum, atque utile esse suppliciter eos invocare.* Finis quidem ab Ecclesia intentus, dies festos in Sanctorum memoriam instituendo, atque ad eorum observationem fideles obligando, fuit eos honorare: ex hoc tamen non sequitur, eorumdem cultum, et invocationem singulis fidelibus praecepisse; quia enim finis praecepti non cadit sub praecepto, ut omnes norunt, satis proinde est singulis fidelibus, ut Ecclesiae praecepto satisfaciant, quod in ejusmodi diebus adsint Missae sacrificio, et ab operibus servilibus, ubi utrumque praeceptum sit, se abstineant. Omnibus quoque ad Horas Canonicas obligatis praeceptum est eorum Officium in praefatis diebus persolvere: sed id eos tantum, non singulos fideles afficit. Excipitur tantum B. Virginis cultus, et invocatio; etenim ex universali saltem consuetudine vim legis habente ejus Angelicam salutationem cum ejusdem invocatione omnes, et singuli fideles addiscere, et recitare tenentur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.°, quod soli Deo nobis praecipitur cultum deferre Matth. 4, illis verbis: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*; et 1. ad Tim. c. 1., ubi: *Soli Deo* (dicitur) *honor, et gloria*: Nefas ergo, et idololatrjam redolens cultum Sanctis impendere.

Resp. neg. cons.; nobis enim utrobique praecipitur supremum latriae cultum soli Deo reddere, nec non nos, omnesque actus nostros ad Deum, tamquam ad ultimum finem, referre; non vero, quod Sanctis, tamquam ipsius Dei amicis, cumque eo regnantibus, honorem, licet inferiorem, caveamus reddere, cultus namque ipsis idcirco delatus, ut scite observat D. Hieron. ep. 53. ad Riparium, in ipsum Deum redundat, *honor* (inquiens) *servorum redundat ad Dominum.*

Objic. 2.° quod ait Ap. ad Coloss. c. 2., religionem, seu cultum Angelorum carpens illis verbis: *Nemo vos seducat volens in humilitate, et religione Angelorum quae non vidit ambulans frustra inflatus sensu carnis suae*: Non ergo Angelos, cumque iis Sanctos colere licet, idque rursus dicendum idololatriam redolens.

Resp. quoque neg. cons., arguit namque eo loci Ap.

stolus, ut advertit Cornelius Alapide, Simonem, Cerinthum, caeterosque illius aevi haereticos, qui Angelos ventitabant, tamquam minores Deos, ac Mundi Opifices, ipsoque Christo praestantiores, ad quos proinde vota nostra, et sacrificia essent dirigenda, ut salutem consequeremur. Loquens proinde D. Epiphanius de haeresi Simonis Magi, ipsum, ait, docuisse, *non posse salvari aliquem, nisi sacrificia Patri universorum per eos Principatus, et Potestates obtulerit*: utque eosdem haereticos profligaret, ideo quoque Apostolus tum ad Eph. c. 1., tum ad Heb., c. 1., Christum super Angelos extollit, eumque, docet, rerum omnium opificem fuisse.

Objic. 3.° canon 35. antiquissimi Concilii Laodicaeni, quo Angelorum cultus, tamquam idololatricus, perculsus fuit anathemate: *Non oportet* (inquiens) *Christianos, relicta Dei Ecclesia abire, et Angelos nominare, vel congregationes facere, quod est prohibitum. Si quis ergo inventus fuerit, huic occultae idololatriae vacare, sit anathema, quia reliquit Dominum Jesum Christum, et accessit ad idololatriam*: Rursum ergo sicut Angelorum, ita et caeterorum Sanctorum cultus redolens idololatriam.

Resp. neg. etiam cons.; reprehendit enim canon, ut scribit D. Hieron. qu. 10. ad Algasiam, et Haymo, eos, *qui sacrificabant Angelis*; quippe idcirco dicuntur *idololatriae vacantes*, quia sacrificium uni, ac soli Deo offerri potest, ideoque est latriae actus. Quod et confirmatur tum ex iis, quae supra diximus, tum ex D. Epiphanio haer. 60., et D. Aug. haer. 39. ajentibus, haereticos olim extitisse *Angelicos* appellatos, eo quod Angelos dicerent, latriae cultu colendos. Addit Baronius ad ann. Christi 60. n. 15, quod cum idem Concilium praec. can. 34. veri Martyris cultum suscipere dixisset, falsorum vero Martyrum venerationem prohibere, cum proinde can. sequenti ad Angelorum cultum pertransit, de cultu etiam, qui falsis Angelis deferebatur, intelligendum est, eosque percellere voluisse, qui Magicis artibus dediti, ad Magias suas perficiendas occulte eos invocabant, unde et ait, *occultae idololatriae eos vacare*.

Objic. 4.° quod ait D. Aug. l. 22. de Civ. Dei. c. 10. *Nos Martyribus nostris non Templa, sicut Diis,*

sed memorias, sicut hominibus mortuis, aedificamus. Eorum autem tantum servasse memoriam quemcumque alium honorem illis delatum excludit: Honorem ergo cujusvis generis illis deferre avitae Ecclesiae consuetudini est saltem contrarium dicendum.

Resp. neg. min.; non enim ait Aug., quod ad eorum tantum memoriam servandam illis monumenta aedificabantur, sed quod iis non aedificabantur Templa, sicut Diis, quippe quod Templa, Altaria, et Sacrificia mutuo sibi referuntur, et ad solum latriae cultum uni Deo debitum reddendum definita, et constituta sunt, ut ipse S. Doctor advertit l. 20. cont. Faustum c. 1. *Quis* (inquiens *Antistitum in locis Sanctorum corporum assistens aliquando dixit: Offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit . . . Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis, et societatis, quo et in hac vita coluntur Sancti homines Dei . . . at vero illo cultu, qui graece latria dicitur, cum sit quaedam proprie Divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.* Nihil profecto disertius.

Objic. 5.° quod ait Apostolus 1. ad Tim. c. 2. *Unus enim Deus, unus Mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus*; et ad Eph. 2., quod *per ipsum habemus accessum ad Patrem.* Quod si nemo praeter Christum Mediator pro nobis apud Deum agnoscendus est, ac nemo praeter eum, per quem accessum ad Deum Patrem habeamus, neminem quoque praeter eum orare, ac invocare fas erit: Nefas ergo alium praeter Christum orare, et invocare.

Resp. dist. maj.; quod nempe Christus est unus Mediator Dei, et hominum, nec non ille, per quem accessum habemus ad Patrem, hoc sensu, quod ipse solus sanguinis sui pretio nos Deo reconciliavit, et sui ipsius meritis interpellat pro nobis; quodque ipse solus, utpote Divinam simul, humanamque Naturam habens, potissimum, et praestantissima quadam ratione sibi vindicat Mediatoris munus; non vero hoc sensu, quod Coelites cum eo regnantes excludat; secus enim neque etiam liceret aliis nos commendare, ut pro nobis orent, quod et Pauli, et Jacobi verbis supra relatis manifeste adversatur. Et sane quod in primo sensu intelligenda sint Apostoli

verba, ex verbis immediate sequentibus manifestum est: *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*. Quo sensu igitur unus Mediator Christus? Mediatione scilicet Redemptionis. Hinc quia Coelites cum eo regnantes et nonnisi ejus meritis regnant, et nonnisi ejus dona, ejusque merita Deo Patri offerendo vim impetrandi habent, unde Ecclesia quantumcumque anctorum suffragia apud Deum impendat, semper tamen petitiones, et orationes suas concludit his verbis: *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, nedum proinde Sanctorum mediatio Christi honori, ac dignitati nullatenus officit, verum etiam ejus gloriam auget, utpote cujus merita tanta sunt, ut virtutem quoque Sanctis tribuant intercedendi apud Deum pro nobis. Ad haec: Quoniam *omnia, et in omnibus Christus, et omnes unum corpus sumus in Christo*; si Sancti meruerunt, et intercedunt, ipse Christus est, qui in membris suis et meruit, et intercedit: ad cujus proinde gloriam totum redundat.

Inst., quod nonne desiperet, qui habens praestantiorem Mediatorem, et sine quo nemo alius quidquam posset, ad alios potius, quam ad illum confugeret? Ex concessis autem solus Christus sui ipsius meritis est noster apud Deum praestantissimus Mediator; reliqui vero Coelites nihil, nisi ex ejus meritis, apud Deum valent: Et desipiens igitur dicendus, qui nonnisi ad Christum, sed ad alios quoque, ut pro eo orent, confugiat.

Resp. neg. cons.; cum enim Deus, ut conregnantium cum eo in Coelis gloriam augeat, ipse statuerit, per eorum orationes quaedam nobis concedere, rite idcirco fiet, et apposite, eorum orationes apud Deum postulare, ut illis donet, quod nobis sine illis negaret.

Inst. rursus, quod, ut ait D. Chrysostomus in c. 2. ad Coloss., *non tam facile Deus annuit, quum alii orant pro nobis, quam cum ipsimet oramus, etiamsi plurimis malis plenissimi*: Nec rite ergo, nec apposite ad Sanctos Coelites confugimus, ut pro nobis orent.

Resp. neg. etiam cons.; arguit enim Chrysostomus eos, qui orationis praeceptum tam graviter nobis impositum negligentes, spem ponebant in aliorum orationibus, ac praecipue Sanctorum, qui pro iis orarent. Hos ergo S. Doctor arguens, eorum ad orandum desidiam excitare conabatur, quamvis enim non mereamur exaudiri, opor-

tet tamen, quod et nos oremus, ut per Sanctorum intercessionem exaudiamur.

Objic. 6.°, quod Sanctos Coelites latent preces nostrae, ut enim dicitur Eccl. c. 11. *Mortui nihil noverunt amplius*. Quod si eos nostrae preces latent, frustra invocantur, nec proinde invocandi: Ita igitur.

Resp. dist. maj.: quod nempe eos nostrae preces latent citra Dei revelationem, non vero eas Deo ipsis revelante; a quo Sanctos passim discere quae geruntur in Terris, patet 1.° ex l. 2. Paral. c. 21., ubi refertur de Elia, quod Joram Regem Juda post suum e Terris discessum corripuit, datis ad eum litteris; itemque ex l. 2. Mach. c. 15., ubi legitur Jeremias orans post suum obitum pro Judaeis persecutionem patientibus. 2.° ex revelatione ipsis nonnumquam facta, dum adhuc mortalem hanc vitam ducerent, occultissimarum hominum cogitationum; nonne enim id legimus Prophetis factum? Utque aliud addamus, nonne et legitur l. 1. Reg. c. 9. Samuel inquiens Sauli: *Omnia, quae sunt in corde tuo, indicabo tibi*, quia nempe *Dominus revelaverat auriculam Samuelis, antequam veniret Saul.* Nonne et legitur Actuum 5., quod, Deo similiter revelante, cognovit Apostolorum Princeps Ananiae, et Saphirae simulationem? Quidni ergo et Deo revelante, preces ad eos directas possunt Sancti cognoscere, dum Deo in Coelis fruuntur? *Possunt* (ita proinde apposite D. Aug. l. de cura pro mortuis c. 15.) *spiritus mortuorum aliqua, quae hic aguntur, quae necessarium est eos nosse . . Deo revelante cognoscere: sicut Prophetae, dum hic viverent, cognoscebant, quae illis revelanda Dei Providentia judicabat.* 3.° ex iis, quae diximus *l.* 2. *tract.* 10. *cap.* 3. *prop.* 3. *pag.* 134. Addit quoque D. Aug. *l. cit.*, posse etiam Sanctos Coelites preces nostras cognoscere per relationem Angelorum, qui nunc e Coelis ad nos descendunt, nunc a nobis ad Coelos ascendunt; sicut etiam in ipsa Essentia Divina, cujus intuitione gaudent, ut cum eodem docent quoque D. Greg. Magnus *l.* 12. *Moral. c.* 13., nec non D. Thomas 2. 2. *qu.* 83; *art.* 4., *et* 3. *p. qu.* 10. *art.* 10 Quod si demum *mortui* ex consueta Sacrarum Litterarum locutione pro damnatis cit. loco accipiuntur, sensus habetur, qui nihil prorsus nostrae Thesi adversatur.

Prop. II. Licitum quoque est, et pium Sanctam Christi Crucem, sive ipsam, cui Christus affixus fuit,

sive quamcumque aliam ad illius similitudinem formatam venerari; ipsiusque Crucis signum manu expressum in pretio habere. Est de fide; praesertim contra nostri temporis Novatores, magis hac in parte impios ipsis Iconomachis, qui Crucem saltem, ipsiusque etiam signum venerabantur.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex Providentia, quam Deus de ea habuit, disponendo, ut Infideles eam quidem sub Terram altissime absconderent, non tamen vel in mare demergerent, vel comburerent. Exinde autem quidnam nobis datur intelligere, quam quod Deus ad lignum illud pretiosissimum servandum, ut suo tempore debitum a fidelibus cultum acciperet, mentem illis abstulerit?

2.° ex revelatione Helenae Magni Constantini Genitrici factae de loco Crucis, quemadmodum testantur Eusebius *in Chronico*, itemque D. Ambrosius, Rufinus, Paulinus, Severus Sulpitius, et alii. Et sane quomodonam citra revelationem invenire illam potuisset, cum Infideles ad illius notitiam prorsus abolendam nedum illam sub Terram altissime absconderant, verum etiam in loco Crucis Veneris simulacrum posuerant? Profecto autem illius locum Helenae Deus revelavit, ut reperta fidelium venerationi esset exposita.

3.° ex miraculis, quibus Deus ejus Inventionem illustravit; cum enim simul cum duabus aliis, in quibus pependerant latrones cum Christo crucifixi, inventa esset, ad dignoscendam Christi Domini Crucem admotae omnes tres fuerunt cuidam mulieri, quae in extremis vitae laborabat; cumque duae priores frustra admotae illi essent, ad contactum tertiae statim sana facta est, quemadmodum referunt Rufinus *l.* 10. *hist.* c. 8., Socrates *l.* 1. *c.* 13., Theodoretus *l.* 1. *c.* 18., Sozomenus *l.* 2. *c.* 1., et Nicephorus *l.* 8. *c.* 29.; utque addunt Sozomenus, et Nicephorus *l. cit.*, nec non D. Paulinus *ep.* 11. *ad Severum*, ipseque Severus *l.* 2. *Hist. Sacrae*, recens quoque mortuus, qui magno hominum concursu ad sepulchrum deferebatur, statim ac ea attactus fuit, ad salutaris ligni tactum, ut Lazarus quondam, ita ipse, morte profuga, omnibus mirantibus, redivivus incessit. Addit D. Cyrillus Jerosolymitanus *Catechesi* 10., idemque oculatus quoque testis esse potuit illius inventionis, quod confluentibus Jerosolymam ex omnibus Mundi partibus ad adorandam Christi Crucem fidelibus, licet singulis data fuerit

aliqua pretiosissimi illius ligni particula ; lignum tamen ipsum detrimenta numquam sensit , sed integrum perstitit. Quod et laud. D. Paulinus testatur *l. cit.* : unde Baronius ad ann. 326. n. 50 , *Haec* (inquit) *a S. Cyrillo , et a S. Paulino disertis verbis asserta ora obstruunt subsannantium Haereticorum , atque adeo objectantium , quomodo fieri possit , ut Crux una tot in partibus toto reperiatur Orbe diffusa.* Quod autem a Deo honoratum fuit , ipsis Naturae legibus derogando , multo magis a nobis toto cordis affectu honorandum est. Immo quid causae fuit , quod tot a Deo miraculis illustraretur , nisi ut lignum illud sacratissimi Christi Corporis contactu consecratum , ac pretiosissimo ejus sanguine respersum , miraculorum etiam voce proponeretur omnium venerationi ?

4.° ex cultu ubique terrarum illi a fidelibus reddito ex quo inventa fuit ; ad quem etiam referendum fidelium omnium ex eo tempore desiderium aliquam ejus particulam habendi. Fidelium autem omnium sensui contraire quis non dicet nedum impium , verum etiam insolentissimae insaniae ?

5.° demum , quia , ut disserit Bellarm. *De Reliqu. SS. c.* 27. , si locus , in quo Angelus stetit , terra Sancta dicitur Exodi 3. , et Josue 5. ; quanto magis , ideoque et venerabilior , Crux , in qua Christus pependit ? Si sudaria , et semicinctia Pauli honorabantur ob Apostoli contactum ; quanto magis honorabilior Crux Christi sanguine respersa ? Si Sacramenta honorantur , quia gratiae instrumenta ; cur non Crux , ubi chirographum decreti , quod erat contrarium nobis , Christus affixit , ac sui sanguinis pretio nostram Redemptionem egit ?

Prob. 2. pars. Et 1.° ex Conc. Nicaeno II. act. 7. in professione fidei ita ajente : *Sequentes divinitus inspiratum Sanctorum Patrum magisterium , et Catholicae traditionem Ecclesiae , definimus , sicut figuram pretiosae , ac vivificae Crucis , ita venerabiles , et Sanctas imagines proponendas , tamque de coloribus , quam quae ex alia materia , congruenter in Sanctis Dei Ecclesiis , et Sacris vasis , et vestibus , et in parietibus , ac tabulis , domibus , et viis : tam videlicet imaginem Domini Dei , et Salvatoris nostri Jesu Christi , quam intemeratae Dominae nostrae Sanctae Dei genitricis , honorabiliumque Angelorum , et omnium Sanctorum. Quanto enim*

frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui eas contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum eorum memoriam; et desiderium, et ad osculum, et ad honorariam his adorationem tribuendam. Non tamen ad veram latriam, quae solam Naturam Divinam decet, impertiendam. Imaginis enim honor ad primitivum transit, et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam. Quidnam autem per honorariam adorationem Crucis figurae tribuendam, quidnam eam licite, ac pie osculari, quam licite, ac pie illam colere?

2.° ex praxi Ecclesiae, quae ab ipsis ejus primordiis Crucem in honore, ac pretio semper habuit, coluitque; Tertullianus namque *in Apologetico c.* 16. objectioni Gentilium respondet de adoratione Crucis ligneae; idemque agit Minutius *in Octavio.* Origenes quoque *l.* 6. *in ep. ad Rom.* scribit de Crucis effigie, quod ante oculos posita valet, si attente consideretur, ad omnem depellendam tentationem. Additque hom. in Exodum: *Quid timent Daemones, quid tremunt? Sine dubio Crucem Christi, in qua triumphati sunt, in qua exuti sunt principatus eorum, et potestates. Timor ergo, et tremor cadent super eos, cum signum in nobis viderint Crucis fideliter fixum, et magnitudinem brachii illius, quod Dominus expandit in Cruce.* Pace postmodum Ecclesiae per Constantinum data, exterior Crucis cultus magis percrebuit; ut namque ajebat Chrysostomus hom. in parab. de ficu, *Reges, deposito diademate, Crucem suscipiunt, in purpureis vestibus Crux inest, in diadematibus Crux, in orationibus Crux, in armis Crux, in Sacra Mensa Crux, et ubique terrarum Crux Sole ipso clarius refulget.* Et hom. 54 in Matth, *Omnia* (inquit) *per Crucem administrari, quae apud nos transiguntur Mysteria, sive enim regenerari oportet, adest Crux, sive mystica illa nutriri oportet alimonia, sive ordinibus initiari, sive quid aliud facere, ubique salutis hoc adest signum: ac propterea et in aedibus, et in parietibus, et in fenestris, et in fronte, et in mente, magno studio illud inscribimus.* Quidnam autem afferri potest contra Ecclesiae praxim, quod non sit a recta credendi, et agendi ratione alienum?

Prob. 3.ª pars. Et 1.° testimoniis Tertulliani, et D. Basilii, qui ambo docent, Crucis signum ex avita Traditione haberi, ejusque usum ipsos Apostolos auctores agnoscere: *Ad omnem progressum, ad omnem aditum,*

et exitum, ad lavacra, ad mensas, quocumque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus. Harum, et aliarum hujusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi praetenditur auctrix, consuetudo conservatrix, fides observatrix; ita Tertull. l. de corona militis c. 3. Quod confirmans D. Basilius l. De Spiritu S. c. 27., *Dogmata* (inquit), *et instituta, quae in Ecclesia praedicantur, quaedam habemus ex doctrina scripta, quaedam rursus ex Apostolorum Traditione . . . quorum utraque parem vim habent ad pietatem. . . ut quod primum, et vulgatissimum primo loco commemorem, ut signo Crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit?* Quod si Crucis signum ex avita Traditione habetur, ipsique Apostoli nos docuere illo uti, quis non videt, in quo pretio sit habendum?

2.° ex ejus salutaribus effectibus, praesertim ad fugandos Daemones, ejusque opera dissolvenda, ut prae aliis docet D. Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 4., *Crucem Christi* (inquiens) *palam in fronte signare, ut Daemones signo illo regio conspecto procul trepidantes fugiant. Hoc vero signum facito manducans, et bibens, sedens, cubans, de lecto surgens, loquens, ambulans et, ut uno verbo dicam, in omni re.* Et D. Athan. l. De Incarn. Verbi: *Signo Crucis omnia magica compescuntur, veneficia inefficacia fiunt.* Hinc Magnus Antonius, ut idem S. Doctor refert in ejus vita, suos discipulos docebat, contra omnes terrores solo Crucis signaculo tutos esse. Per illud quoque aliqua etiam sanctitas confertur rebus, quibus accedit; ut enim disserit Bellarm. *l. cit. c.* 30., sanctificari aliquo modo eos, qui tangunt reliquias, constanter docent Patres, ut D. Basilius *in Ps.* 115. D. Greg. Nyssenus *in vita S. Theodori*, *D.* Ioannes Chrysost. *in serm. de SS. Iuventio, et Maximo*, aliique. Si autem contactus reliquiarum sanctificat, cur non etiam contactus vexilli salutaris? Operatur autem, ut addit, ex opere operantis, ratione scilicet fidei, pietatis, et orationis eorum, qui illud adhibent, nam signum Crucis est invocatio quaedam Christi Crucifixi signo expressa, loquimur enim nedum voce, sed et corde, et nutibus; etiamque interdum ex instituto Dei, et quodammodo ex opere operato, constat enim ex Nazianzeno *or.* 1. *in Iulian.*, Epiphanio

haer. 30., Gregorio M. *l.* 3. *Dial. c.* 7., Judaeos quoque, et Paganos sine ulla fide in Christum, ac solum intendentes facere quod Christiani faciebant, fugasse Daemones Crucis signo. Ex quibus profecto ejus effectibus nemo etiam non videt, in quo pretio sit habendum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.°, quod filio erga Patrem filialem animum habenti horrorem patibulum ingerit, in quo Pater interiit, nec nisi scelestissimus filius illud honore prosequeretur. A pari igitur, si Patrem Christum habemus, horrorem Crux debet nobis ingerere, et maximum aestimare scelus illam honorare.

Resp. neg. cons., et paritatem; scelestissimus namque esset filius, qui honori haberet patibulum, in quo Pater interiit, quia non aliud in illo spectare posset, nisi opprobriosam mortem, qua Pater ob aliquod atrox delictum, contra eum saltem legitime in judicio probatum, coactus fuit vita excedere, ejusque nomen diris tradi, cumque sceleratis, atque infamibus reputari. Non ita tamen Crux respectu Christi se habuit; 1.° enim piissimus, atque innocentissimus Salvator, quin ullam culpam umquam admisisset, vel contra eum probata esset, ipso Judice teste, qui non semel ait, se nullam in eo causam invenire, volens eam, ac lubens nostri causa oppetiit; ut nempe in ea pro peccatis nostris seipsum in sacrificium expiationis Deo Patri immolando, nostram Redemptionem ageret. Deinde nedum per eam nos Deo Patri reconciliavit, Diaboli imperium evertit, ac quotquot nobis collata fuerunt, et conferentur bona spiritualia, nobis meruit, verum etiam per eam sibi comparavit, ut intraret in gloriam suam, et nomen obtineret super omne nomen. Quibus positis, patet disparitas; et quam recte cum Apostolo ad Gal. 6. in *Cruce Christi gloriemur.*

Objic. 2.° quod si ob contactum Corporis Christi colenda esset Crux, colendus quoque esset asinus, super quem sedit Jerosolymam petiens, ipsiusque os Judae proditoris ob osculum illi datum, quum eum Judaeis tradidit. Falsum consequens: Ergo et quod Crux sit colenda.

Resp. neg. sequ. maj.; quae enim sensu, ac ratione pollent, honore non censentur digna, nisi ob propriam

excellentiam; qua quum destituuntur, neque etiam honore censentur digna. At non item quae sensu, et ratione carent, quae honori habentur etiam propter aliquam ad alia honore digna habitudinem. Patet ergo disparitas, et solutio.

Inst., quod si propter hujusmodi habitudinem honori habenda esset Crux, cui Christus affixus fuit, honorandi etiam essent clavi, quia et illis similes, quibus Cruci fuit affixus. Falsum consequens: Ergo etiam, quod ob praefatam habitudinem sit Crux honoranda.

Resp. neg. etiam sequ. maj.; falsum namque, quod clavi ad usum profanum formati habitudinem ad illos dicant, quibus Christus fuit Cruci affixus, quemadmodum Crux habitudinem dicit ad ipsum Crucifixum; habet enim Crux ad ipsum Crucifixum habitudinem, et quia ipsius in Cruce extensi similitudinem refert, et quia post Constantini edictum de sontibus non amplius crucifigendis ad profanum usum destinari nequit, et demum quia post id tempus quaecumque Cruces fiunt, ad Christi Crucem exprimendam conficiuntur, eamque etiam absque Christo crucifixo exprimunt. Nihil porro ejusmodi de clavis dici posse ad usum profanum confectis, cuivis consideranti est perspicuum.

Prop. III. Licitum quoque, ac pium dicendum Sanctorum reliquias, prout ossa, cineres, vestes, et quae eorum usui, dum viverent, deservierunt, venerari. Est etiam de fide.

Prob. Et 1.° ex miraculis, quae passim Deus operatus est, et operatur per Sanctorum reliquias; ut enim legitur l. 4. Reg. c. 2. v. 14., cum Elisaeus percussisset aquas Jordanis pallio, quod illi Elias reliquerat, *divisae sunt aquae huc, atque illuc, et transiit Elisaeus.* De quo etiam vita functo legitur ibidem c. 13. v. 22., quod cum *quidam sepelientes hominem projecissent cadaver in ejus sepulchro*, statim ac hoc *tetigit ossa Elisaei, revixit homo, et stetit super pedes suos.* De ossibus Joseph a Moyse ex Ægypto translatis dicitur Eccli. c. 49. v. 18., quod *post mortem prophetaverunt.* De muliere, quae sanguinis fluxum a duodecim annis patiebatur, refertur Matth. 9., quod cum ad Christum accessisset, et fimbriam tetigisset vestimenti ejus, statim *salva facta est.* Multos quoque vel aegrotos, vel a spiritibus immundis vexatos per sudaria, ac semicinctia D.

Pauli sanatos fuisse, auctor est D. Lucas in Actis Apostolorum c. 19 v. 11. Ipsam item D. Petri umbram salutem infirmis attulisse, ita ut fideles *in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis, et grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis*, idem D. Lucas ibidem refert c. 5. v. 15. . Quibus innumera ad severissimam trutinam vocata, et extra omnem dubitationis aleam posita addi possent ex Actibus Canonizationis Sanctorum. Quae autem Deus toties honorare dignatus est ipsis Naturae legibus derogando, quanto magis hominum honores mereri, dicendum est?

2.° ex Trid. sess. 25. *Affirmantes Sanctorum reliquiis venerationem, et honorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandae causa Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos, prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia.* De quo etiam idem Trid. rationem reddens, *Sanctorum Martyrum* (ait), *et aliorum cum Christo viventium Sancta corpora viva membra fuerunt Christi, et Templum Spiritus Sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda, et glorificanda, et per ea multa beneficia a Deo hominibus praestantur.*

3.° ex Patribus, ex quibus ita D. Basilius in Ps. 115. n. 4. *In veteri lege si quis moriebatur, horum morticina habebantur abominationi: contra si mors cuipiam irrogatur pro Christi nomine, pretiosissimae sunt reliquiae Sanctorum ejus. In priori lege dicebatur Sacerdotibus, et Nazaraeis: Non contaminabitur super ullo mortuo: modo vero quisquis ossa Martyris attigit, nonnullam sanctificationis communicationem percipit ex illa gratia, quae illius corpori insidet.* Quorum reliquias honorandas esse, scribunt quoque D. Greg. Naz. *or.* 3. *in Julian.*, D. Aug. *ep.* 212. *ad Quintilian.*, D. Hieron. *l. cont. Vigilantium*, aliique.

4.° ex praxi Ecclesiae, quam D. Chrysostomus describens hom. 16. in 2. ad Cor., *Sepulchra* (inquit) *servorum Crucifixi Regis aulis splendidiora sunt . . . nam et is, qui purpura indutus est, ad illa sepulchra se confert, ut ea amplectatur; abjectoque fastu, supplex stans Sanctos deprecatur. . . quodque sunt Imperatoribus in palatiis janitores, id in tumulo piscatoris sunt Imperatores.*

Martyrum quoque Acta testantur, in quo pretio eorum exuviae habitae semper fuerint apud fideles; ex quibus narrant, quod D. Ignatii Martyris ossa in capsa reposita fuere, *tamquam thesaurus* inappretiabilis; quod et testatur Ecclesiae Smyrnensis epistola de ossibus D. Polycarpi, quae *pretiosissimis gemmis chariora* appellat. Testis quoque est Eusebius Caesariensis *l. 7. hist. c.* 19., quod D. Jacobi Apostoli, et Episcopi Jerosolymitani Cathedra suo adhuc tempore religiose a fidelibus servabatur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.°, quod, ut legitur Deut. ult., abscondit Deus Moysis sepulchrum, ne scilicet Judaei ejus corpus colerent: Nec pium ergo, nec licitum Sanctorum exuvias colere.

Resp. neg. cons.; sapienter namque providit Deus, quod corpus Moysis ignotum esset Israelitis, ne ob eorum in Idololatriam proclivitatem, prout postea serpentem aeneum. ita illud latriae cultu prosequerentur.

Objic. 2.° quod Christus, ut legitur Matth. 23., Scribis, et Pharisaeis exprobravit, quod *aedificarent sepulchra Prophetarum, et ornarent monumenta justorum*: Rursum ergo nec pium, nec licitum cultum aliquem SS. reliquiis impendere.

Resp. etiam neg. cons., triplicem namque ob causam, inquit D. Chrysost. in hunc locum, id illis Christus vitio vertit; 1.° quia ad pompam id faciebant. 2.° quia dum Prophetas honorare simulabantur, eorum monita, et oracula contemptui habebant. 3.° quia ut magnifica sepulchra aedificarent Prophetis, extorquebant a pauperibus pecunias, eosque ob inopiam plorare cogebant. Addendum tamen 4.°, id nempe illis vitio vertisse ob hypocrisim, ut per id nempe viderentur esse justi, et religiosi legis tutores, ideoque zelo justitiae Christum persequi ad necem, propter quod subdidit: *Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui Prophetas occiderunt.*

Prop. IV. Licitum quoque, ac pium dicendum Sacras Imagines venerari. Est etiam de fide contra veteres Iconomachos, de quibus *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 2. *pag.*

228., nec non contra illos, de quibus supra, qui posterioribus saeculis eos secuti sunt.

Prob. Et 1.º quod licitum in se sit eas pingere, vel sculpere, ex eo manifestum est, quod Deus ipse jussit eas fieri, ut legitur Exodi 25., ubi: *Dixit Dominus ad Moysen: Facies duos Cherubim aureos ex utraque parte oraculi*; quos D. Hieron. in c. 41. Ezech. duas statuas aureas fuisse, scribit, quae duos Angelos Cherubinos repraesentabant. Salomon quoque *duos Cherubim de lignis olivarum* factos posuisse in Sanctuario, legitur l. 3. Reg. c. 6. v. 23. . Et v. 29., quod *omnes parietes Templi per circuitum sculpsit variis caelaturis. . et fecit in eis Cherubim.* Quod quidem approbante Deo fecisse, ex eo liquet, quod Templum sic ornatum Deus Majestate sua implevit, ut ibidem c. 8. legitur.

Licitum vero, ac pium esse illas venerari, prob. 1.º ex Scripturis, ubi res ipsae inanimatae propter solam relationem ad Deum adorari jubentur, ut Ps. 95. illis verbis: *Adorate scabellum pedum ejus*; itemque propter solam relationem ad cultum Divinum nuncupantur sacrae, ut Exodi 12., ubi: *Dies prima erit sancta, atque solemnis, et dies septima eadem festivitate venerabilis.* Et ibidem: *Faciesque vestem Sanctam Aaron fratri tuo in gloriam, et decorem.* Quod autem nedum Christi imagines, sed et Deiparae, et Sanctorum, ad Deum, tamquam ad omnis perfectionis, et sanctitatis fontem, relationem habeant, ex se patet; ob quam relationem, ad Deum et ad eorum prototypa, quae per ipsas repraesentantur, multo magis sanctas aestimandas esse, quam sint res inanimatae ad cultum Divinum pertinentes, cuivis consideranti fit perspicuum: Et adorandas igitur, et, ut res sanctas, licitum, ac pium esse eas colere, consequens est.

Accedit quoque ex Scripturis cultus Arcae foederis in Veteri Testamento exhibitus; ut Deut. 10., ubi legitur quod Moyses *separavit Tribum Levi, ut portaret Arcam Domini.* Et Josue 3. *Cavete* (inquit) *ne appropinquetis ad Arcam. . . Et ait ad Sacerdotes: Tollite Arcam foederis, et praecedite populum.* Et c. 7. *Iosue vero scidit vestimenta sua, et pronus cecidit in terram coram Arca Domini usque ad vesperam, tam ipse, quam omnes senes Israel.* Refertur quoque l. 2. Reg. c. 6., quod cum Oza extendisset manum ad Arcam Domini, *iratus est indignatione Dominus contra Ozam,*

et percussit eum super temeritate. Quam et graviter puniisse in Philistaeis, ac Bethsamitis, in iisdem libris Regum legitur. Quod si Arcam foederis honorare, ac venerari licitum, ac pium fuit; in eos vero, qui vel leviter eam inhonorassent, graviter Deus animadvertit: quanto magis licitum, ac pium dicendum honore prosequi imagines Christi, Deiparae, ac Sanctorum, utpote quas honorabiliores Arca foederis, fungum pro cerebro habeat, necesse est, qui id non agnoscat?

2.° ex Conciliis; scilicet ex Nicaeno II., cujus verba adduximus prop. 2.ª . . Quod et deinde definiit Constantinopolitanum IV. act. 10. can. 3. ita ajente: *Quicumque Christi Salvatoris imaginem non adorat, is in secundo Christi adventu non videat ipsius faciem. Eadem ratione intemeratae Genitricis illius effigiem, Sanctorumque Angelorum, quemadmodum illos Sacrarum Litterarum paginae describunt, ac Sanctorum omnium veneramur, et colimus. Qui aliter sentiunt, anathema sunto.* Quorum vestigiis inhaerens demum Tridentinum, idem quoque sess. 25, declaravit: *Imagines Christi, Deiparae, et aliorum Sanctorum, in Templis praesertim habendas, et retinendas, eisque debitum honorem, et reverentiam impertiendam: non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab iis sit aliquid petendum, vel quod fiducia sit in Imaginibus figenda, sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant; ita ut per Imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur.*

3.° ex praxi Ecclesiae ab ipso Apostolorum tempore, ut patet ex Concilio Antiocheno, tempore eorumdem celebrato, can. 8. apud Gonzalez *in apparatu de orig., et progressu Juris Canon. fol.* 17. *n.* 39., et Card. Petra *in Comment. ad Constit. I. Innoc. II.*. Quod et docet Adrianus I. ep. 1., Sacrarum (inquiens) Imaginum venerationem *ipse Apostolus B. Petrus, qui Apostolicae Sedi primitus praesedit . . . suis contulit, et tradidit Divino jussu Successoribus Pontificibus, quorum traditione Christi Sacram effigiem, Sanctaeque ejus Genitricis, Apostolorumque, vel omnium Sanctorum veneramur Imagines.* Auctor quoque est D. Gregorius *ep.* 1. *ad*

Leonem Isaurum, quod primi Christiani Imagines Apostolorum fieri sibi curabant. Testis quoque est Philostorgius Arianus *l.* 7., *c.* 3., mulierem, quam Christus a fluxu sanguinis liberaverat, Caesareae Philippi ipsi erexisse statuam aeneam, eique Christianos *competentem curam, atque observantiam detulisse* : quam et Eusebius Caesariensis *l.* 7. *hist. c.* 18. propriis oculis inspexisse, narrat : cumque ad pedes illius statuae crescere soleret planta, addit de hac, ut et confirmat Nicephorus *l.* 6. *c.* 15., et Sophronius *l.* 5. *c.* 20., quod statim ac attigerat vestis aeneae fimbriam, remedium praesentissimum ad omne genus morborum fiebat. Demum cum Tertullianus II. Ecclesiae saec. ad Montanistarum castra migrasset, cumque his lapsis post Baptismum negaret peccatorum veniam, objiciebant ei Catholici Christi effigiem in calicibus depictam sub specie Pastoris, deperditam, ac deinde inventam ovem super humeros suos deportantis : quibus ille, ut patet ex ejus *l. de Pudic. c.* 7., aliud non reponebat; quam quod Pastor ille depictus, non quilibet, sed Christus erat; cujus potestatem in Ecclesiae Ministros hac in re derivasse, inficiabatur.

4.° duplici etiam ratione; 1.° enim si licet Imagines Principum prosequi honore civili, licebit quoque Imagines Christi, Deiparae, et Sanctorum cultu religioso prosequi. Primum certum est ex consensu, et praxi omnium Orbis Nationum : Ergo et alterum omni procul dubio habendum. Deinde si non liceret Imaginum usus, et cultus, id profecto esset, vel quia in se malus, vel quia mali occasionem praebens, vel quia aliqua lege prohibitus. At non 1.m, tum ex dictis in hujus prop. initio, tum quia iis non defertur cultus, ut diximus cum Trid., eo *quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab iis sit aliquid petendum, vel quod fiducia sit in imaginibus figenda, sed quia honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant.* Neque alterum; nedum enim nulla mali occasio ex cultu Imaginum, verum etiam, ut disserit D. Greg. Magnus scribens ad Serenum Massiliensium Episcopum, eumque graviter reprehendens, quod Sacras Imagines fregerat, easque e Templis auferri jusserat, *quod legentibus Scriptura, hoc idiotis praestat picturam cernentibus . . . . et ex visione rei gestae ardorem compunctionis percipiunt.* Hinc

idem S. Doctor cum ad quemdam Secundinum Christi Imaginem, quam ille petierat, misisset, *valde nobis* (inquit) *tua postulatio placuit, quia illum toto corde, tota intentione quaeris, cujus Imaginem prae oculis habere desideras, ut dum picturam illius vides, ad illum animo inardescas, cujus Imaginem videre desideras. . . . Scio quidem, quod Imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recalescas, cujus te Imaginem videre desideras.* Neque demum dici potest aliqua lege prohibitus; cautum namque fuerat in Veteri Testamento, ne Judaei Imagines sculperent, vel pingerent; sed lex ejusmodi non fuit, nisi pro illis, utpote ad Idololatriam propensissimis, lata, quae simul cum aliis legibus caeremonialibus statim, promulgato Evangelio, obligare desiit.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° laudata Exodi lex c. 10. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, etc.*: Illicitum ergo imagines sculpere, vel pingere.

Resp. dist. cons.; illicitum nempe olim Judaeis, quia eis vetitum, ut diximus, ob eorum in Idololatriam proclivitatem; non vero nobis, quos lex Christi ab omnibus legibus coeremonialibus illis impositis solvit, quique idcirco non magis tenemur praecepto non sculpendi, vel pingendi Imagines, quam teneamur praecepto abstinendi a sanguine, et suffocato.

Objic. 2.°, quod cum Ezechias piissimus Rex *confregisset serpentem aeneum, quem fecerat Moyses, siquidem usque ad illud tempus filii Israel adolebant illi incensum*, dicitur de eo l. 4. Reg. c. 18., quod *fecit bonum coram Domino*. Ipso autem Christo teste Jo. 3., serpens ille aeneus exaltatus a Moyse typus sui ipsius fuit: Ipsis igitur Christi imaginibus nefas dicendum est cultum deferre.

Resp. neg. cons.; laudatur enim Ezechias, eo quod confregit serpentem aeneum, quem fecerat Moyses, quia illum Iudaei in idolum converterant, et, tamquam Deum, colebant, adolentes proinde illi incensum, quod a Iudaeis nonnisi in sacrificiis adhibebatur, quare idem apud eos erat adolere incensum, ac sacrificium offerre, ut patet

ex *l.* 4. *Reg.* *c.* 23. *v.* 5., aliisque etiam Scripturae locis. Hinc cum sacrificium nonnisi uni, ac soli Deo offerri possit, hoc ipso idcirco, quod adolebant serpenti illi incensum, in idolum illum converterant, et, tamquam Deum, colebant. Quid ergo exinde contra debitum Imaginum cultum, qui non sit latriae cultus soli Deo debitus?

Objic. 3.° , quod tam Prophetae, quam Patres passim Gentilibus exprobrant, quod opera manuum hominum colerent, tametsi ea, non, ut Deos, sed, ut eorum imagines, colerent: *Quis enim* (ait Celsus apud Orig. l. 7. cont. eumd.), *nisi sit plane fatuus, haec Deos esse putet, non autem Deorum simulacra*? Quod et testatur Arnobius *l. cont. gentes*, nec non Lactantius l. 2. *Inst. Div. c.* 2. . . Sunt autem Sanctorum imagines aeque etiam opera manuum hominum: Tametsi ergo non eas, sed earum prototypa in eis colamus, idipsum tamen idololatriam redolens est dicendum.

Resp. 1.° neg. illam majoris particulam, quod Ethnici idola sua venerantes, nec tamquam Deos, nec tamquam quid Divinum, illa existimassent: eos enim idola sua Deos vocasse, *nemo nescit* (inquit Bellarm. l. 2. De Imag. c. 13.), *qui aliquid in Poetis, vel etiam Oratoribus legerit*; prout etiam testatur et Auctor Sapientiae c. 13. illis verbis: *Appellaverunt Deos opera manuum hominum*; et Daniel c. 5.: *Bibebant* (inquiens) *vinum, et laudabant Deos suos aureos, et argenteos, aereos, ligneosque, et lapideos.* Hinc et Patres passim ejusmodi dementiam in illis irrident. Quod si apud Origenem, Arnobium, et Lactantinm videntur nonnulli ex iis contrarium sensisse, mirandum non est, quod postquam Christi Religio ubique terrarum obtinuerat, cordatiores ex ipsis errorem tam crassum deposuissent. 2.° neg. cons.; etsi enim Gentiles nec, tamquam Deos, nec, tamquam quid Divinum, idola sua coluissent, maxime etiam delinquebant quemlibet illis deferendo honorem, quippe quod hominum scelestorum Imaginibus, qui non fuerant, nisi iniquitate potentes, ideoque non cultu, sed abominatione, atque execratione digni. Illis porro e diametro opponuntur Sanctorum nostrorum Imagines, utpote Heroum in omni virtutum genere Imagines.

Objic. 4.° quod cujusvis generis Imaginum usum reprehendunt Patres, qui tribus prioribus Ecclesiae saecu-

lis floruerunt ; ut Tertull. *de Idolol. c.* 3., *l. de spectac. c.* 21., *et l.* 4. *cont. Marc. c.* 22., Clemens Alex. *l.* 5. *Stromat.*, Origenes *l.* 4. *cont. Celsum*, aliique ; quibus et addit Dallaeus can. 36. Conc. Illiberitani ita ajentem : *Placuit, picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, et adoratur, in parietibus depingatur* : Nec pium ergo, nec licitum cujusvis generis Imagines colere.

Resp. neg. cons., cum non in se, et absolute spectatum illum reprehenderint, sed 1.° quia tribus illis prioribus saeculis non adhuc usus in omnibus Ecclesiis obtinuerat illas colendi. 2.° quia cum Christiani simul cum Ethnicis viverent, facile ex earum cultu imminebat idololatriae periculum, quodque Christi fideles ad Ethnicorum superstitionem deflecterent. 3.° quia recens adhuc erat Gnosticorum, et Carpocratianorum haeresis, qui, testibus D. Irenaeo *l.* 1. *c.* 24., D. Epiphanio *de haer. Carpocr.*, et D. Aug. *l. de haer. c.* 7., simul cum Imaginibus Christi, et Sanctorum habebant etiam Imagines Pythagorae, Platonis, Aristotelis, et Homeri, quibus promiscue eosdem deferebant honores, etiamque sacrificia offerebant ; quod profecto fieri absque summa impietate non poterat. Ad id vero, quod additum est ex Conc. Illiberitano, respondetur, non quidem Imaginum usum illud prohibuisse, sed solum, ne pingerentur in Templorum parietibus ; cum enim, persecutione aliqua superveniente, non possent amoveri, Gentilium profanationi expositae fuissent.

Objic. 5.°, quod cum ex concessis saltem perquam rarus fuerit tribus prioribus Ecclesiae saeculis Imaginum usus, et cultus, eum proinde novitatem saltem invexisse in Ecclesiam, est dicendum. Nec pium autem, nec licitum quidquid in Ecclesiam novitatem invehit : Nec pius ergo, nec licitus Imaginum usus, et cultus.

Resp. neg. sequ. maj. ; 1.° enim si rarus prioribus illis saeculis fuit, non tamen nullus, ut inter probationes ostendimus ; quod satis est, ne dicatur, novitatem in Ecclesiam invexisse. 2.° quia si prioribus illis saeculis raro in usu fuerunt, ex justa id fuit oeconomia Ecclesiae, quae cum ex Judaeis, et Gentilibus colligenda esset, omnis scandali occasio erat ab utrisque removenda. Ejusmodi autem erat Imaginum usus, et cultus nonnullis tam ex Judaeis, quam ex Gentilibus : Judaeis scilicet,

utpote quibus Deus ipse in veteri Testamento prohibuerat Imagines sculpere, ac pingere, quique idcirco ex usu, et cultu Imaginum ab amplectenda Christi Religione alienari poterant. Gentilibus vero, utpote assuetis usque ad id tempus simulacra venerari, tamquam Deos, vel saltem, tamquam aliquid Divinum, quibus proinde ex usu, et cultu Imaginum videri poterat non relinquere, sed mutare idola.

Objic. 6.° Concilium Francofordiense sub Carolo Magno habitum an. 794., et Parisiense habitum sub Ludovico Pio an. 824., in quibus adversus Nicaenam Synodum super cultu Imaginum conclamatum fuit: Saltem igitur anceps Nicaenae Synodi definitio.

Resp. neg. cons., Concilium namque tam Francofordiense, quam Parisiense nec fuit Generale, nec umquam Rom. Pontifex eorum Acta quoad cultum Imaginum approbavit. E contrario et Generale, et a Rom. Pontifice confirmatum fuit Nicaenum, cui proinde, illis posthabitis, adhaerendum est. Caeterum incompetentem tantum, et indiscretum Imaginum cultum utrumque impetiisse, ac perstrinxisse, ex eo patet, quod ambo annuerunt, Sacras Imagines collocandas esse in Ecclesiis, ac solum respuerunt, quod errore facti putarunt, Nicaenam Synodum, quae nondum fuerat confirmata a Summo Pont. Adriano, et quam proinde nondum pro Oecumenica habebant, statuisse; *ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificae Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, anathemate judicarentur.* Id autem Gallis visum fuit 1.°, quia ob Interpretis inscitiam verba Constantini Cyprii in Synodo Nicaena act. 3. allata sic legebant, ut constat ex libris Carolinis, seu a Carolo M. Ecclesiae Gallicanae nomine ad Adrianum I. missis l. 3. c. 17. *Suscipio, et amplector honorabiliter Sanctas, et venerandas Imagines secundum servitium adorationis, quod Trinitati emitto*; dum e contrario in Actis Nicaenae Synodi habebatur: *Adorationem vero, quae sit secundum latriam, soli Trinitati emitto.* 2.° quia luminaria, thimiamata, oscula, salutationes, aliaque id genus in colendis Imaginibus a Nicaena Synodo probata, nondum in Galliis pro varietate disciplinae obtinuerant. 3.° quia Graecis, inter quos celebrata fuerat Synodus, non parum infensi erant Galli ob quasdam ab illis contumelias acceptas.

Objic. 7.°, quod nihil de fide esse potest, nisi quod

revelatum a Deo fuerit. Nullibi autem revelatum habetur, licitum, ac pium esse Sacras Imagines colere: Non ergo saltem dicendum de fide est.

Resp. dist. maj.; quod nullibi scilicet revelatum habetur, Sacras Imagines esse in Templis fidelium venerationi exponendas, ultro enim fatemur, ad disciplinam, non ad fidem id pertinere; utique tamen revelatum habetur, sin specialim, generatim saltem, Sacrarum Imaginum usum, et cultum licitum, utilem, et pium esse, quatenus revelatum habetur, legem veterem, quae praeceperat: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem*, non amplius obligare; ac eo plane modo, quo revelatum habetur, Christi fideles non teneri abstinere a sanguine, et suffocato, et ab Idolotytis. Quo posito, Ecclesia tum ex allatis Scripturae locis, tum ex Traditione non temere eruit dogma, quod declaravit, contrariumque sentientes, anathemate perculsit.

Objic. 8.° , quod pingi, et sculpi possunt tantum, quae habent corpus. Neque Deus autem, neque Angeli pollent corpore: Saltem ergo neque Deus, neque Angeli pingi, aut sculpi possunt.

Resp. neg. cons.; tametsi enim per novem prima saecula, ut constat apud Eruditos, nec Dei, nec Trinitatis Imago umquam formata fuerit, et patet praesertim ex verbis Nicaeni II. act. 7., in qua, *Christiani* (dictum fuit) *invisibilis, et incomprehensibilis Naturae imaginem numquam fecerunt*; quod et de saeculo nono constat ex illius aevi Scriptoribus; tametsi etiam non pauci ex veteribus contenderint, neque etiam Angelos posse pingi, aut sculpi, eo quod spiritualis prorsus naturae: temporis tamen processu usus in Ecclesia obtinuit, nedum Angelos, verum etiam ipsius SS. Trinitatis Imaginem fidelium venerationi exponere; circa quod ait solum Tridentinum sess. 25., docendum esse populum, *non propterea Divinitatem figurari, quasi corporis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit*; fuitque Romae in Tribunali Inquisitionis an. 1690. proscripta propositio, quae ajebat: *Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare*: Deus ipse enim identidem in Veteri Testamento sub aliqua sensibili figura sese hominum oculis objecit; ut Adae post lapsum, tamquam homo deambulans ad auram post meridiem (Gen. 3.), Abrahae sub specie trium Virorum (Gen. 28.),

Isaiae c. 6. sub specie Principis *super solium excelsum*; Danieli c. 7. sub specie senis *in Throno sedentis*. Matthaei quoque 3. refertur Spiritus Sanctus sub specie columbae apparuisse; unde ortum, quod D. Basilius, teste Amphilochio in ejus vita, columbas in Spiritus Sancti imaginem suspensas habuit: et Tharasius in Synodo Nicaena II., *Si in nomine* (inquit) *Spiritus Sancti superpositas columbas receperunt Patres, quanto magis Incarnati Verbi Icones, quod apparuit super terram cum corpore?* Hinc etiam, multo magis, subdidit idem Tharasius, *Angelos oportere pingi, quoniam circumscripti sunt, et veluti homines apparuerunt multis*; quosque et legimus Arcae superpositos, et a Salomone sculptos, et demum in praefata visione vidit quoque Isaias sub corporali specie habentes alas senas, ex quibus *duabus velabant faciem ejus, duabus velabant pedes suos, et duabus volabant.*

Objic. 9.°, quod falsa similitudo repraesentans id, quod revera non est, idolum, non imago dici potest, utpote quae vera similitudo rei, cujus dicitur imago, ac ita proinde dicta *ab imitando*. Quare et Scriptura numquam idoli nomen tribuit verae imagini, sed solum Gentium simulacris, ita quoque dictis *a simulando*. Sic Verbum imaginem Patris Apostolus vocat c. 1. ad Coloss., non vero idolum Patris; ex quibus concludit Theodoretus qu. 8. in Exod., *repraesentationes rerum non subsistentium dici idola*. Imagines autem Sanctissimae Trinitatis, et Angelorum repraesentant id, quod revera non est, Deum scilicet, et Angelos habere corpus, quo carent: Idola igitur, earumque cultus idololatriam redolens.

Resp. neg. min.; non enim Sanctissimae Trinitatis, et Angelorum imagines factae sunt ad repraesentandam Personarum Trinitatis, et Angelorum naturam, sed ad repraesentandam formam, in qua Divinae Trinitatis Personae, aut Angeli aliquando apparuerunt, vel certe ad exprimendas eorum proprietates, et perfectiones aliquibus signis corporalibus, ut quum pinguntur Angeli candida veste induti, et splendenti facie fulgentes ad designandam illorum naturae puritatem, et gloriae, qua perfruuntur, splendorem, etc. Falsum proinde, quod Sanctissimae Trinitatis, et Angelorum Imagines repraesentant id, quod revera non est, repraesentant enim id,

quod revera gestum est, vel saltem veras eorum proprietates, et perfectiones.

Objic. 10.° quod propositio hac super re Romae proscripta, et supra a nobis allata, conceptis verbis reperitur in D. Aug. l. de fide, et Symb. c. 7., ubi: *Nec quasi humana forma circumdatum esse Deum, arbitrandum est . . . ne in illud incidamus sacrilegium, quod execratur Apostolus in iis, qui commutarunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Tale enim simulacrum Dei nefas est Christiano in Templo collocare:* Vel igitur immerito proscripta allata superius propositio, vel in ea proscriptus ipse Augustinus.

Resp. neg. ant.; Augustinus enim ait, *tale simulacrum* (quo significetur scilicet, Deum humana forma esse circumdatum) *Dei nefas est Christiano in Templo collocare*, maxime cum illa aetate nondum usus obtinuerat Dei imaginem pingere ad repraesentandum, quomodo interdum *se mortalium voluit videri obtutibus*, ut ait Nicolaus I. ep. 2. Proscripta autem propositio generatim asserebat, id nefas esse; idque etiam hodie, quum disciplina illas pingendi, et Fidelium venerationi exponendi in Ecclesia obtinuit.

Prop. V. Cultus sive Sanctae Cruci, aliisque tum Vitae, tum Passionis Christi monumentis, sive Sanctorum reliquiis, eorumque Imaginibus debitus, ipsis quidem, Cruci scilicet, etc., deferendus est; eoque major, quo prototypum est dignius, ac majorem habet ad illud habitudinem: non tamen absolutus, sed relativus; sicut etiam inferior cultu, qui ipsis prototypis debetur. Prima, et ultima pars est communior, et verisimilior; secunda, et tertia communis, et certa.

Prob. 1. pars contra Thomasinum, aliosque ajentes, omnia externa venerationis signa, quae illis deferuntur, non ipsis deferri, sed coram ipsis dirigi ad eorum prototypa. Et 1.° ex relatis Nicaeni verbis, quod *figurae pretiosae, ac vivificae Crucis, et reliquis sacris monumentis, et Imaginibus honorariam adorationem tribuere debemus; Imaginis enim honor ad primitivum transit.* Juxta Thomasinum autem non fuisset dicendum, *figurae Crucis, et Imaginibus*, sed *coram ipsis* honorariam adorationem tribuendam esse eorum prototypis; nec quod

Imaginis honor, sed honor *coram Imagine* ad primitivum transit: Patet ergo propositum.

2.° ex eo quod ait idem Nicaenum de Christi Imaginibus, venerandas, inquiens, non esse latriae cultu. Si autem cultus non ipsis deferretur, sed coram ipsis dirigeretur ad eorum prototypa, profecto sicut Christo ex ostensis *tr.* 5. *prop.* 13., ita ejus Imaginibus latriae cultus deberetur: Cultus ergo, quem Imaginibus cum Ecclesia impendimus, nedum coram ipsis ad eorum prototypa dirigimus, verum etiam ipsismet impendere nobis commendatur.

3.° ex relatis verbis Constantinop. IV: *Christi Salvatoris Imaginem . . . Intemeratae Genitricis illius effigiem, Sanctorumque Angelorum, ac Sanctorum omnium veneramur, et colimus.* Quibus similia sunt Trident. verba: *Imagines Christi, Deiparae, et aliorum Sanctorum in Templis praesertim habendas, et retinendas, eisque debitum honorem, et reverentiam impertiendam . . . quoniam honos, qui eis* (non *coram eis*) *exhibetur, refertur ad prototypa.* Quidnam autem his reponi possit, plane non videmus.

4.° ex eo quod ita natura comparati sumus, ut quum aliquem diligimus, ac honore prosequimur, charum nobis sit, et honore dignum illius causa, et ob illius gratiam quidquid etiam ad illum habitudinem dicat, tamquam aliquid illius. Ejusmodi autem sunt respectu Christi Crux, in qua pependit, ejusque sanguine fuit respersa, aliaque tum Vitae, tum Passionis ipsius monumenta; sicut etiam respectu Sanctissimae ejus Genitricis, aliorumque Sanctorumque eorum reliquiae, et Imagines: Æque igitur dilectio, et cultus, quibus Christum, ejusque Sanctissimam Genitricem, caeterosque Sanctos prosequi debemus, causa esse debent, ut omnia ejusmodi sint nobis ob illorum gratiam chara, et honorabilia, ideoque ipsismet, ipsi nempe Cruci, aliisque tum Vitae, tum Passionis Christi monumentis, ipsisque B. Virginis, et Sanctorum reliquiis, et Imaginibus honorem impendamus.

Prob. 2. pars; colenda enim sunt hujusmodi, ut ait Tridentinum, propter prototypa, atque, ut diximus, propter habitudinem, quam ad prototypum habent. Quod cum ita sit, quo dignius etiam est prototypum, et major habitudo, quam ad illud habent, eo major esse debet cultus illis deferendus: Patet ergo propositum. Hinc ob

1.m major cultus deferendus est Christi reliquiis, et Imaginibus, quam reliquiis, et Imaginibus Sanctissimae ejus Genitricis, quia Christus est *Deus benedictus in saecula*, ut loquitur Ap. ad Rom. c. 9., Sanctissima vero ejus Genitrix pura creatura: Sicut etiam major cultus deferendus est reliquiis, et Imaginibus B. Virginis, quam reliquiis, et Imaginibus caeterorum Sanctorum, est enim B. Virgo tum ob Deiparae dignitatem, tum ob sanctitatem ejus dignitati congruam, atque ut decebat veram Dei Genitricem, cunctis Coelitibus sine ulla comparatione gloriosior; et quemadmodum ait VII. Oecumenica Synodus act. 5., *Si quis non confitetur, Sanctam semper Virginem Mariam, proprie, ac vere Dei Genitricem, sublimiorem esse omni visibili, et invisibili creatura, anathema sit.* Ob alterum vero major cultus deferendus est Sanctorum reliquiis, quam eorum Imaginibus, quia major concipitur habitudo reliquiarum, quam Imaginum ad eorum prototypum: itemque major Cruci, cui Christus fixus fuit, quam aliis Crucis Imaginibus, majorem namque ad Christum habitudinem habere concipitur illa, cui fixus fuit, quam merae ejus Imagines, tum ob contactum Sacratissimi ejus Corporis, tum ob pretiosissimum ejus sanguinem, quo fuit respersa.

Prob. 3.a pars; absolutus enim cultus dicitur, ut scripsimus *tract.* 3. *cap.* 5. *pag.* 254., qui directe redditur subjecto ob ejus propriam excellentiam. Relativus vero, qui rei exhibetur, non quidem directe ob excellentiam ipsi inexistentem, sed ob excellentiam alterius, ad quam specialem dicit habitudinem. Ob hanc autem habitudinem, quam Crux, ac praefata omnia dicunt ad eorum prototypa, non vero ob excellentiam ipsis inexistentem, quasi credatur inesse in ipsis aliqua divinitas, vel virtus, est illis cultus deferendus: Cultus ergo illis reddendus non absolutus, sed relativus dicendus est. Accedit, quod nedum illis nulla inest excellentia absoluta, propter quam sint colenda, verum etiam, quod inordinatum est, creaturam rationalem rebus inanimatis subjici. Subjiceretur autem creatura rationalis rebus inanimatis, si absolute, idest independenter a praefata habitudine, cultum sive Cruci, aliisque tum vitae, tum Passionis Christi monumentis, sive Sanctorum Reliquiis, eorumque Imaginibus redderet: Rursum ergo cultum illis exhiben-

dum, non absolutum; sed relativum esse debere, magis magisque est perspicuum.

Prob. 4. pars contra illos, qui ajunt, eumdem cultum, licet relativum, praefatis omnibus deferendum esse, qui eorum prototypis debetur, ideoque ipso latriae cultu Crucem adorandam esse. Ita quidem sensisse videtur D. Th. 3. p. qu. 25. art. 4. *Honor* (inquiens), *seu reverentia non debetur, nisi rationali creaturae; unde creaturae insensibili non debetur honor, vel reverentia, nisi ratione rationalis creaturae; et hoc dupliciter, uno modo, in quantum repraesentat rationalem creaturam, alio modo, in quantum ei quocumque modo conjungitur. . . . . Si ergo loquamur de ipsa Cruce, in qua Christus crucifixus est, utroque modo est a nobis veneranda, uno scilicet modo, in quantum repraesentat nobis figuram Christi extensi in ea, alio modo ex contactu ad membra Christi, et ex hoc, quod eius sanguine est perfusa. Unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriae, et propter hoc Crucem alloquimur, et deprecamur, quasi ipsum Crucifixum.* Negantem tamen sententiam tenent Bellarminus, Tournelius, et recentiores communius; eamque probant

1.° relata Nicaeni verba, scilicet *figurae pretiosae, ac vivificae Crucis, et Sanctis Imaginibus . . . honorariam adorationem tribuendam, non tamen veram latriam . . . impertiendam.* Assertum autem adeo probant relata verba, ut Bellarminus scripserit l. 2. De Sacr. Imag. c. 22., *est valde credibile, S. Thomam non vidisse Nicaenam Synodum II, neque VIII. Synodum Generalem, neque epistolam Adriani Papae I, pro defensione Synodi Nicaenae*, (et Adrianus namque ep. 1. ad Carolum M. docet, nullam Imaginem cultu Divino adorandam), *nam haec omnia longo tempore latuerunt, et hoc nostro saeculo primum edita sunt, ut vel ex eo cognosci potest, quod in Tomis Conciliorum paullo antiquioribus nihil horum extat; et S. Thomas, aliique Scholastici veteres nullam umquam de hac Nicaena Synodo mentionem faciunt.*

2.° quod per latriam supremus intelligitur cultus, qui Deo, tanquam primo omnium rerum principio, debetur. Contradictionem autem implicat, supremum exhiberi cultum primo principio propter aliud; nam si primo principio, non ergo propter aliud; si propter aliud,

non primo principio: Et contradictionem ergo implicat, quod Cruci supremus latriae cultus exhibeatur; nam vel ei exhibetur propter se, et profecto esset vera idololatria; vel non exhibetur propter se, et profecto deest cultui, quod est de latriae essentia, propter se nempe exhiberi.

3.° quod nedum Idololatria videtur dicenda quivis latriae cultus cuivis rei creatae exhibitus absque relatione ad Deum, verum etiam quivis latriae cultus cuivis rei creatae simul cum Deo exhibitus. Id vero fieret exhibendo latriae cultum Cruci, eo quod consideretur simul cum Christo: Non igitur latriae cultu honoranda.

4.° quia licet Imaginis honor ad exemplar transeat, eodemque actu, seu motu anima feratur in imaginem, et prototypum, non ideo tamen eodem plane honore imago cum exemplari, seu prototypo honorari concipitur; nemo enim in controversiae aleam vocabit, majorem longe honorem deberi ipsi Regis personae, quam ejus Imagini, aliisque ad eum habitudinem aliquam habentibus; ac plane desipere, qui diceret, eodem plane honore ipsam Regis personam, ac ejus Imaginem, aliaque ad eum habitudinem aliquam habentia prosequi deberi. Quod cum ita sit, neque etiam idem honor, sed longe major debetur Christo, quam eius Cruci, Imaginibus, etc.; itemque major, qui ipsi Deiparae, ipsisque Sanctis, quam qui eorum reliquiis, atque Imaginibus debetur: Longe ergo inferior his, quam earum prototypo debetur cultus; ideoque cultus sive Sanctae Cruci, aliisque tum Vitae, etc.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.°, quod licet adorationis nomen in Scripturis ipsis usurpetur nonnumquam pro quocumque cultu, etiam civili; ut quum dicitur de Abraham Gen. 23., *adorasse filios Het*, de fratribus Joseph Gen. 43., quod *adoraverunt Joseph proni in terram*; de Abigail l. 1. Reg. c. 25., quod adoravit David *prona in terram*, etc.; numquam tamen Ecclesia adorationis nomen usurpat, nisi pro cultu soli Deo debito, idest latriae. Cultum autem, quem ipsa Ecclesia Cruci defert, adorationis nomine exprimit, *tuam Crucem* (inquiens) *adoramus*, *Domine*: Latriae ergo cultu illam colit; quem proinde illi deberi, est dicendum.

Resp. neg. maj. ; ipsam namque Ecclesiam adorationis nomen pro cultu latria inferiori usurpare, dum Crucem praefato modo veneratur, ex ipsius verbis in Nicaena Synodo satis colligitur, ait enim *pretiosae, ac vivificae Crucis figurae honorariam adorationem tribuendam, non tamen veram latriam impertiendam* esse.

Objic. 2.° , quod, ut ait D. Basilius l. De Spir. S. c. 18., *imaginis honor ad exemplar primum transit*; Cultus ergo imaginibus exhibendus idem cum eo esse debet, qui exemplari debetur ; quod et de Sacris reliquiis ob eamdem rationem dicendum.

Resp. neg. cons. ; inde enim sequitur, quod honoranda sint, eoque magis, quo dignius sit exemplar, ac major habitudo, quam ad illud dicant ; non vero ex allatis rationibus, quod idem cultus et exemplari, et ejus reliquiis, atque imaginibus debeatur. Sic quia honor, qui redditur Jmagini in exemplar transit, ipsae Regis imagines honorandae sunt : non ideo tamen idem prorsus honor, qui ipsi Personae Regis redditur, ejus quoque redditur imagini, longe enim magis honoratur ipsa Regis Persona, quam ejus Imago.

Objic. 3.° quod ipsi diximus, cultum sive Sanctae Cruci, aliisque tum Vitae, tum Passionis Christi monumentis, ejusque imaginibus, sive reliquiis, atque *Imaginibus* Deiparae, et Sanctorum debitum, impendendum iis esse propter prototypa. Christo autem debetur cultus latriae, hyperduliae Deiparae, caeteris vero Sanctis duliae : Et Christi ergo Crucem, monumenta, et imagines cultu latriae, reliquias, et imagines Deiparae cultu hyperduliae, caeterorum demum Sanctorum reliquias, et imagines duliae cultu colendas esse, consequens est : vel saltem dicendum cum Antoine, Ferraris, aliisque, quod Christi Crux, monumenta, et imagines cultu latriae relativo, Deiparae reliquiae, et imagines cultu hyperduliae relativo, reliquiae demum, et imagines caeterorum Sanctorum cultu duliae relativo colenda sunt.

Resp. neg. cons. : 1.° enim si quidquam valeret allatum argumentum, valeret et istud : Calices, et Corporalia honorem quoque propter Christum merentur. Honor autem Christo debitus est latriae honor : Et calicibus ergo, ac corporalibus latriae honor debetur ; quod nemo dicet. 2.° quia licet praefata omnia colantur propter prototypum, an tamen eodem cultu colen-

da sint , en quod in quaestione versatur ; utque ostendimus , inferiori colenda esse cultu , et Concilia , et multiplex ratio suadet. Hinc neque etiam probandum videtur , quod Gabriel Antoine , Lucius Ferraris , aliique docent ; tum quia Nicaenum II. utrumque distinguit, et scilicet , quod cultus illis deferendus sit relativus , idest ratione primitivorum , et quod non sit latriae ; tum quia, ut diximus inter probationes, contradictionem videtur implicare , quod cultus latriae sit relativus , cum enim sit de latriae essentia , quod cultus exhibeatur propter se , hoc ipso plane , quod cultus praefatis omnibus debitus non propter se , sed propter prototypum exhibetur , hoc ipso , inquam , non est cultus latriae , sed eo inferior. Caeterum , ut Bellarm. advertit *l. cit. c.* 23. , ubi dicatur , quod Christi Crux , atque Imagines improprie , et per accidens possunt latriae cultu adorari , quia scilicet Imago accipitur pro ipso exemplari , et ea , quae fierent circa ipsum exemplar , si adesset praesens , fiunt circa Imaginem , mente defixa in exemplari , utique propositio admitti potest , tunc enim , proprie loquendo , non colitur Imago , sed ipsum exemplar , cujus Imago vicem gerere concipitur. Quo forte sensu loquitur D. Thomas *l. cit.* ; ideo enim ait , eodem cultu colendam esse Imaginem , et exemplar , quia unico actu , et motu mens colentis in ambo fertur. Quo etiam sensu Concionatores Crucifixi Imaginem alloquuntur , quum dicunt : *Tu nos redemisti*; *Tu nos Patri reconciliasti* : quae profecto non dicuntur Imagini, ut imago est, sed ut accipitur loco exemplaris, idest ipsi Christo, cuius imago vicem gerit.

FINIS QUINTI VOLUMINIS.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 35. v. 7. et	ex
Pag. 36. v. 14. *Tribus*	*Tribubus*
Pag. 46. v. 38. uberrate	ubertate
Pag. 57. v. 6. *syntentia*	*sententia*
Pag. 67. v. 34. in quos	inter quos
Pag. 68. v. 19. *bebdomadis*	*hebdomadis*
Pag. 71. v. 3. occupatam	occupatam
Pag. 107. v. 21. *eaque*	*eoque*
Pag. 162. v. 1. post remum	postremum
Pag. 229. v. 9. quue	quae
Pag. 264. v. 42. per assumpsisse	per se assumpsisse
Pag. 268. v. 11. eum	cum
Pag. 278. v. 3. um	tum
v. 19. *h c*	*hic*
Pag. 313. v. 10. *av*	*ab*
Pag. 315. v. 34. *introit m*	*introitum*
Pag. 335. v. 26. praccemptum	praeceptum
Pag. 346. v. 12. *Et*	*Ex*
Pag. 349. v. 8. *radderetur*	*redderetur*
Pag. 366. v. 23. Chsistum	Christum
Pag. 385. v. 37. *abundatius*	*abundantius*
Pag. 388. v. 20. immerico	immerito
Pag. 431. v. 7. anctorum	Sanctorum
Pag. 435. v. 37. *illad*	*illud*